



h B

HENRY BRADSHAW SOCIETY

Founded in the Year of Our Lord 1890

for the editing of Rare Liturgical Texts.



Vol. XXIII.

ISSUED TO MEMBERS FOR THE YEAR 1902,

AND

PRINTED FOR THE SOCIETY

BY

HARRISON AND SONS, ST. MARTIN'S LANE,

PRINTERS IN ORDINARY TO HIS MAJESTY.

CUSTOMARY

OF THE

BENEDICTINE MONASTERIES

OF

SAINT AUGUSTINE, CANTERBURY,

AND

SAINT PETER, WESTMINSTER

EDITED BY

SIR EDWARD MAUNDE THOMPSON, K.C.B.

VOLUME I.

(TEXT OF COTTONIAN MS., FAUSTINA C. XII.)

LONDON.

1902.

PREFACE.

FIVE-AND-THIRTY years ago, I transcribed for the Dean and Chapter of Westminster the Cottonian MS., Otho C. xi., containing the fourth part of the Customary of St. Peter's Abbey of Westminster, compiled under the authority of Abbot Richard de Ware in the latter part of the thirteenth century. The manuscript was badly injured in the fire which took place on the 23rd of October, 1731, at Ashburnham House, Westminster, where the MSS. of the Royal and Cottonian Libraries were stored. While the text of a certain portion of the volume escaped very severe injury, all the leaves were more or less burnt and shrunken and blackened by the action of the flames. Hence the work of transcription was not devoid of difficulty; and the copy, when completed, was at best a fragmentary narrative, marred by the loss of words or lines or sentences, or of entire passages. So great, however, was the interest of the subject-matter to all students of monastic customs and history, that the Council of the Henry Bradshaw Society resolved to print it; and by the courtesy of the Dean and Chapter the transcript was placed at their service. The Society did me the honour to entrust me with the duties of editor.

At this juncture, Mr. Edmund Bishop called attention to the close connection of the Customary of St. Augustine's Abbey of Canterbury, as contained in the Cottonian MS., Faustina C. xij., with the Westminster text; and a collation of the two manuscripts led to a change in the scheme of publication. It was decided that the Canterbury text should take pre-

cedence and be printed first; and that the Westminster text, or, rather, such portions of it as are sufficiently perfect, should be subordinate and should follow in a second volume. In the present volume, then, is presented the Customary of the Abbey of St. Augustine, Canterbury.

The Cottonian MS., Faustina C. xij., is a small folio, now consisting of 202 leaves (the first and the last being fly-leaves), measuring 12 inches by 7½ inches. A full third of the original text is unfortunately lost. At the beginning of the volume fifty leaves are missing; there are gaps here and there in the body of the manuscript, accounting for a further loss of twenty-seven leaves; and at the end at least twenty-seven again, and presumably more, leaves have gone astray, as appears from an entry among some notes of reference added on the fly-leaves which cites an original folio 303. The leaves still bear their original numeration; whence we know exactly which particular leaves are wanting in the body, as well as at the beginning and end, of the volume. The numbers run as follows (modern foliation being added within parentheses); 51(2)–58(9); 61(10)–86(35); 88(36)–108(56); 110(57)–183(130); 190(131)–232(173); 234(174)–240(180); 257(181)–276(201). The missing leaves of the series are: 59, 60, 87, 109, 184–189, 233, 241–256, twenty-seven in all. We thus account for a total loss of at least 104 leaves from the original manuscript.

The writing is a large, serviceable book-hand of the first half of the fourteenth century, perhaps of about the decade 1330–1340; thirty-five lines filling a page. The text is supplied with rubrics; and the principal initial letters are alternately red and blue. Marginal notes in hands of the fourteenth and fifteenth centuries mark particular passages here and there through the volume.

On the first fly-leaf is a monogram composed of the letters M. L. conjoined, with the letter I. above them, which must have been inscribed not very many years after the manuscript was written, for it existed before the notes of reference, above

referred to, were entered on the fly-leaves, as they are so arranged as to keep clear of it. The notes are of the latter part of the fourteenth century, about 1360 to 1370. Dr. Montague James has suggested that the monogram, read as I. M. L., may possibly refer to John Mankael, a monk of St. Augustine's, as the donor, whose name appears largely in the catalogue of the abbey library; if it is allowable to take the first and last letter of a name for combination.

The text of the manuscript does not present a single work, but a number of separate compilations, which, however, with one exception, are cognate and deal with the discipline and usages and religious services of the monastery. The exception is a series of documents relating to the succession of Ralph de Bourne to the abbacy in 1309. He presided until the year 1334; and it was probably towards the end of his time that the manuscript was written.

We will now take a general survey of the contents of the volume. As already stated, the text now begins with the original leaf 51. This leaf and the first page of the next leaf contain the concluding portion of a customary which almost certainly occupied also the whole of the fifty leaves now lost. For the note, "Capitula libri precedentis, 98," which is added at the end (p. 4), indicates that the compilation was of considerable length; and the occurrence, among the rough notes entered on the fly-leaves, of the reference, "Omnes debent communicari, fo. 4a," proves that quite at the beginning of the perfect manuscript the text was that of a customary. The small surviving portion of this compilation relates to admission to confraternity and the profession of novices.

Next follows (pp. 5–15) an article: "Informacio noviciorum, secundum usum ecclesiæ Augustinianæ Cantuariæ," written without division into chapters and on that account noted at the end as "capitulum unicum."

Then comes the series of documents connected with the election of Abbot Ralph de Bourne, on the death of Thomas

de Fyndone (pp. 16–31); to which were added, on a blank leaf, some interesting notes of measurements of the conventual buildings, together with elementary weight-calculations (p. 32).

After this is a group of articles of the time of Abbot Nicholas de Spina, or Thorne, A.D. 1273–1283, commencing with his "Reformaciuncula," or revision of regulations; which is succeeded by a brief account of the election and duties of the abbot and those of various officers chiefly in immediate attendance on the abbot, together with the fees and offerings and the establishment of his "familia" (pp. 34–64).

The principal compilation in the manuscript is the customary which occupies pp. 65–370 of this volume. The arrangement of the subject-matter is not altogether satisfactory, being rather roughly grouped into sections, as follows: First the election and duties of the various officers of the abbey are described. This section is followed (p. 145) by an "Explanacio sive recapitulacio," with cases for excommunication, etc. The next groups deal with the usages and discipline of the Refectory (p. 159), the Dormitory (p. 185), the Cloister (p. 202), the Chapter (p. 221); then with offences and punishments (p. 239). Next follows (p. 254) a group dealing with admissions to confraternity, professions, etc.; in which is inserted a chapter (p. 283) of instructions in case of accidents happening at the Consecration of the Mass. Regulations for the Infirmary and for blood-letting commence at page 297; and to these succeed (p. 332) the usages and rules observed in visiting the sick, extreme unction, death, and burial.

Then follows (p. 370) a series of chapters which may be regarded as an appendix to the foregoing customary, and which concern the provision of candles, fees for bell-ringing and other services, the "sonitus" or order of ringing the bells on various festivals, and the "lucerna" or order of burning lights on festivals and other occasions. A chapter "De processionibus" (p. 381), with a few concluding memoranda, may be regarded as closing this section.

On page 383 begins an independent compilation on the profession and discipline of novices, apparently a fragment of a section which may have extended through the sixteen leaves which are lost from this part of the manuscript, and ending on page 389. It is to be noted that the name of John Herewad, Prior, appears (p. 387) as an authority.

The last important section is the "Tradicio generalis capituli super mores et observancias monachorum ordinis sancti Benedicti," again dealing largely with the discipline of novices, pp. 389–430. And the manuscript closes with the order of festivals arranged in their "dignities" for the "officium ad horas" throughout the year, wanting the end.

As the Westminster Customary is but a version of that of Canterbury, it will be best to defer any remarks upon the text until the former is also in type, when a comparison of the two manuscripts can be conveniently made.

In company with the Westminster manuscript, it is proposed to include in the second volume of this edition an early form of customary of St. Augustine's, Canterbury, which is found in MS. 211 of Gonville and Caius College, Cambridge.

In conclusion I have to acknowledge most gratefully the assistance I have had from Dr. Wickham Legg and the Reverend E. S. Dewick, while passing the sheets through the press, and especially from the Reverend H. A. Wilson, of Magdalen College, Oxford, who has carefully read the whole of the text and has favoured me with many valuable suggestions.

E. M. T.

BRITISH MUSEUM,
4th July 1902.

TABULA.

CONSUETUDINES
MONASTERII SANCTI AUGUSTINI
CANTUARIÆ.

tris ad mandatum inibi faciendum & alia duo manutergia
ad manuum ablucionem preparabit. Balneare debet conventus
bis in anno. videlicet ante natale & ante pentecosten. Nullus
enim aliis temporibus anni balneare debet. sicut nec sibi san
guinem minuere absque licencia speciali. Consueverunt autem
fratres omnes & singuli quater in anno antiquitus balneari. scilicet
quatuor anni tempora. videlicet ante Natale domini. ante pascha. ante
Nativitatem sancti Johannis baptiste. & ante festum sancti Michaelis. per
diem. s. quatuor fratres. primo seniores. & deinde per ordinem usque
ad novissimos. Sed postea provisum est ut balnearum usus
iuxta tenorem regule non nisi infirmis & indigentibus fratribus
concedatur. & non pro affectu voluptatis. sed pro remedio & cura
salutis. Nam medendi causa & pro necessitate langoris &
si nolint fratres iubente priore ut sic si forte queat egritudinem
vitare. balneari debet. Sed hoc caveatur ne adolescentes &

CONSUETUDINES MON. S. AUGUSTINI CANTUARIÆ

Brit. Mus. MS. Cotton. Faustina C. xii.

[CONSUETUDINES MONASTERII SANCTI AUGUSTINI CANTUARIÆ.]

. . . .

/ . . . in capitulum, in locum scilicet in quem fratres [fo. 2. veniunt in judicium. Veniens igitur hospes in locum illum cum silencio prosternit se. Interrogatus ab illo qui preest capitulo quid dicat, jacendo respondebit:

Peticio.

"Ego peto misericordiam Dei et sanctæ Mariæ et sanctorum hujus loci et vestram, quatinus concedatis mihi societatem oracionum quæ fiunt in domo ista."

Quo dicto, jussus surgere eriget se, stans in eodem loco in pace. Abbas autem ostendit ei quod conventus, audita ejus voluntate bona, libenter adquievit peticioni suæ; et, concesso ei a presidente et conventu quod petit, cancellatis manibus et manicis, inclinabit ad majestatem, et ibit ad pedes presidentis et, flexis genibus coram eo, accipiet societatem super regulam, protensis manibus super eam, dicente eo qui preest capitulo:

Concessio capituli.

"Concedimus tibi, ex parte Dei et sanctæ Mariæ et "sanctorum Petri et Pauli et sancti Augustini sociorumque ejus "et sancti Benedicti et omnium sanctorum, quatinus amodo sis "particeps bonorum illorum quæ[1] dederit nobis Deus facere in "missis et matutinis, in vigiliis et oracionibus, in jejuniis et "elemosinis, et omnium beneficiorum quæ fient in domo ista in "perpetuum. Et tu, ex parte tua, concedes nobis eorum quæ "dederit Dominus tibi facere bonorum omnium partici-"pacionem."

Quod annuente hospite, subjunget presidens: "Deus Dominus "noster et sancta Maria et alii sancti qui prenominati sunt et

[1] *qui*, MS.

"omnes sancti dent nobis ita societatem istam dare et recipere, "ut prosit nobis in remissionem peccatorum nostrorum et ad "salutem animarum nostrarum in vitam eternam." Respondente conventu "Amen," osculabitur hospes regulam. Quo facto, surgens statim ibit ad locum ubi prius se prostravit, capietque curtam veniam, inclinans humiliter versus majestatem. Abbas vero vel prior et qui sedent a dextris eorum et a sinistris, versi scilicet ad orientem,[1] surgentes paululum humiliter inclinabunt ad eum. Postea capiet curtam veniam versus dextrum chorum; et omnes ex parte illius chori, versi scilicet ad aquilonem,[2] surgentes paulum inclinabunt ad eum. Capta eciam curta venia versus sinistrum chorum, chorus ille pariter inclinabit ad eum.[3] Quo facto, eriget se in eodem loco versus majestatem. Tunc abbas precipiet eum ire sessum, assignans ei locum sedendi. Hospes vero, hoc audito, cancellatis manicis, humiliter inclinabit ad majestatem; et, veniens ante locum in quo sedebit, faciet ante et retro, et, cum sederit, inclinabit utrimque sibi assidenti, et ipsi ad eum./ Quo facto, intimabit ei abbas quod [fo. 2b. amodo in consilio et auxilio domui obligatur, et tenetur ex debito quod prius forte gratis faciebat, et cetera in hunc modum. Quibus dictis, absolvet presidens capitulum, et more solito dicent "Verba mea."

Si vero "Verba mea" cantatur in capitulo, statim post absolucionem capituli magister hospitum educet hospitem, facto prius ante et retro, in locutorium. Si contingit die illa conventum post capitulum cum "Verba mea" ire in monasterium, hospes quoque ibit cum eis usque ad introitum monasterii. Quo cum venerit, magistro hospitum innuente, divertet ad sanctum Gregorium; et, cantato "Verba mea," facient ante et retro et cetera secundum quod ordo postulaverit.

De professione noviciorum.

Ad illam missam qua[4] benedicendi sunt monachi dicatur pro eis oracio, "Omnipotens sempiterne Deus, qui artam viam." Antequam vero legatur evangelium, cantor, ut

[1] *versi...orientem:* in margin. [2] *versi...aquilonem:* in margin.
[3] *Capta...eum:* in margin. [4] *que*, MS.

indutus est, educat eos de choro qui benedicendi sunt, et faciat illos exuere[1] cucullas suas. Lecto autem evangelio, statim cantor incipiens hunc psalmum, "Miserere mei, Deus," inducat ante altare novicios portantes professiones suas scriptas, quisque suam; et statim prosternant se ante altare, et jaceant ibi quousque conventus cantaverit predictum psalmum cum "Gloria Patri." Finito psalmo, surgant et accedant ad altare singillatim, quisque per se, secundum quod sunt priores preordinati, et legant ibi professiones suas; quas cum quisque per se legit, faciat propria manu crucem in ipsa cedula, et sic eam offerat abbati astanti, osculans manus suas. Lectis igitur professionibus eorum, novicii illi in loco quo prius jacuerunt cum genuflexione dicant hunc versum, "Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectacione mea"; quem conventus ter repetat post eos. Dicto ter versu, faciant novicii ante et retro; quod dum faciunt dicant "Gloria Patri," "Sicut erat." Hoc facto, prosternant se ante altare cum abbate; et cantor cum socio suo statim in choro incipiat letaniam. Dicta letania, erigat se dominus abbas cum mitra et baculo, et dicat super novicios has oraciones: "Deus, indulgenciæ pater," "Deus, qui per coeternum,"[2] "Domine Jhesu Christe, qui es via." Post has oraciones, sine genuflexione incipiat abbas hunc ympnum/ festive, "Veni creator [fo. 3. Spiritus"; quem conventus per ordinem cantet, dexter chorus primum versum, sinister secundum; ultimus versus, "Si[t] laus Patri cum Filio." Post ymnum dicat abbas hanc oracionem, "Sancte Spiritus, qui te Deum." Qua dicta, aspergat eos aqua benedicta. Tunc surgant. Super cucullas autem dicatur hæc oracio, "Domine Jhesu Christe, qui tegimen." Qua dicta, accedant novicii ad exuendum habitum secularem, si ita contigerit, et dicatur hic versus, "Exuat te Dominus," et cetera. Ad indu[endum] habitum mo[nachi]cum dica[tur hic] versus,[3] "Induat te Dominus," et cetera. Et, omnibus monachico habitu indutis, prosternant iterum se, nondum cooperti capuciis, et subsequetur oracio,

[1] Altered from *exurgere*. [2] *coeterne*, MS.
[3] *Exuat...versus*, in margin; imperfect, edge of leaf frayed.

"Deus misericors." Dicta oracione, et accepto ab abbate prius pacis osculo, abbas ipse imponat eis capucia super frontem usque ad nasum, et incipiat "Credo in unum Deum," si tamen ipsa die dici debeat; sin autem, incipiat "Dominus vobiscum." Subsequetur offerenda.

Interea novicii eant per ordinem ad osculandum in choro fratres omnes, infra formulas incedentes. Sicque dato pacis osculo, permaneant cum summo silencio usque in diem tercium, cooperti capuciis, sicut dictum est, usque ad descensum nasi; ad capitulum venient, et ad "Benedicite" exibunt usque in oratorium, sedentes interim juxta stallum abbatis in choro vel prioris. Ad primam missam qua benedicendi sunt communicentur, et ad magnam missam in crastina. Die tercia [ad] privatam missam qua debent communicari, prior qui dicit illam missam vel alius, cum dat eis pacem, deponat capucia sua; et sic remaneant integre in capitulo.

Forma professionis.

"Ego frater N., presbiter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel "acolitus, vel conversus, promitto stabilitatem meam et con- "versionem morum meorum, et obedienciam secundum "regulam beati Benedicti, coram Deo et sanctis ejus, in hoc "monasterio, quod est constructum in honore sanctorum "apostolorum Petri et Pauli atque sancti Augustini, et in "presencia dompni abbatis N."

Explicit.[1]

[1] Here is added a note in another hand: "Capitula libri precedentis, 98."

In the lower margins of ff. 3 and 2b the following has been added:—

"'Jube, dompne, benedicere': per quod innuitur quod nullus in ecclesia, nisi "jussus vel concessus, legere debet. Sed nota quod dicit 'dompne,' non "'domine'; in fine vero leccionis 'Domine,' non 'dompne,' ubi dicit 'Tu "autem, Domine,' et cetera. Hic dicit 'dompne,' quoniam ad hominem "loquitur, qui semiplenus et imperfectus est respectu Domini; ideoque utitur "vocabulo sincopato, quod observant monachi, dicentes 'dompnus abbas,' non "'dominus abbas.' Hinc est quod famuli servientes dominis, quando pocula "porrigunt, non debent utrumque genu flectere sed alterum tantum, scilicet "sinistrum, per quam partem significatur corporalis servitus, quæ tantum debetur "hominibus et non spiritualibus. Nec est acclinandum principi seculari recta

/*Informacio noviciorum secundum usum ecclesiæ* [fo. 3b. *Augustinianæ Cantuariæ.*

Quoniam labilis est humana memoria in hiis maxime quæ rarius contingunt circa informacionem noviciorum, et quæ in principio sui noviciatus circa ipsos gerenda sunt, hic aliqua breviter inseruntur.

In primis igitur, statuto certo die rasturæ, moneat dominus abbas vel prior ipsos radendos quod tertia die ante rasturam omnes simul in domo conveniant; et, comedentibus illis cum abbate, vocet abbas priorem et duos vel tres de senioribus, et ordinet de magistris suis et qualiter debent stare, et sicque accersitis noviciis coram magistris suis dicat abbas quod tales ordinavit magistros ipsorum, et quod intendant eis per omnia et nullis aliis, et alia quæ viderit expedire dicenda. Tunc magistri, convocatis noviciis et eorum procuratoribus, videant quod omnia sua sint ordinata, sufficiencia, et satis larga, et in presencia prioris si potest haberi. Postea moneant eos magistri sui quod mane mundent se per confessionem, si quid mundandum fuerit, et quod redeant post privatas missas. Tunc, illis redeuntibus, doceantur facere inclinacionem, longam veniam, et curtam veniam; et dicatur eis quod ab illa hora non licebit egredi; et comedant cum priore; et ducantur ea die in dormitorium, ut cognoscant lectos suos, et alibi sicut videbitur expedire. Et adhibeatur circa ipsos omnis diligencia, ut sciant quæ eis sunt necessaria.

"facie, sed aversa (?)[1] sinistra, capite flexo. Finita leccione, dici tlector 'Tu autem, "Domine,' et cetera. Non dicit 'dompne,' quia ad Dominum loquitur, perfectum "Dominum et plenum, et perfectum pleno vocabulo dignum. Nec est illud ex "leccione nec leccioni premissæ continuatur. Sed lector dirigens se[r]monem ad "Dominum, leccione finita, et se excusans, dicit 'Tu autem, Domine,' et cetera. "Et est sensus: 'Domine, ego forsitan peccavi in legendo, modulate pronuncians "humanæ laudis cupidine: et auditores similiter peccaverunt, variis cogitacionibus "intendentes, et auditum leccioni non attribuentes.' Antiphona prosequitur, "'Tu, Domine, miserere nostri.' Quod autem respondetur generaliter, 'Deo "gracias,' ad leccionem respicit, et est vox ecclesiæ gracias Deo persolventis, ac "si diceret: 'Deus pavit nos verbis salutis, quæ sunt cibus animæ; et pro bene-"ficio tali Deo gracias suppliciter[2] persolvimus, Amen.'"

[1] *averc*, MS. [2] *suple*, MS.

Die vero rasturæ, mane post primam ibunt de hostilaria ad missam sanctæ Mariæ, precedentibus prioribus, ibique tenentes chorum suum, seniores superius versus altare, nullas facient observancias, nisi quod inter epistolam sedebunt. Post evangelium offerent singulos denarios secundum prioritates, et post elevacionem unus magistrorum educet eos ordine quo prius ad sanctam Brigidam, et ibi excercetur diligenter quid sit faciendum in capitulo. Postea, cum tempus exigit, ducantur in capitulo, precedentibus prioribus bene custodientibus visum per omnia, et facient inclinacionem ad capita petrarum simul. Sicque venientes in aream capient longas venias. Requisiti quid dicant, dicat prior nomine omnium, "Nos requirimus /misericordiam Dei," et [fo. 4. cetera; et jussi surgere, dicet abbas quod dura et ardua querunt, et quod viderit magis expedire. Et queret ab eis quasdam questiones affirmativas et quasdam negativas.

Questiones affirmativæ hæc solent esse: Primo, si sint liberæ condicionis, videlicet, non serviles personæ? Item, si sint sani corpore, videlicet, absque perpetua infirmitate vel morbo incurabili? Tercio, si sint parati ad dura et mollia, ad obedienciam et obprobria, pro amore Christi et propria salute sustinenda? Quibus respondendum est quod ita per graciam Dei.

A parte negativa solet queri: Si unquam fuerunt professi in arciori[1] religione ista? Item, si contraxerint cum aliqua per verba de presenti? Item, si sint onerati alico debito vel compoto reddendo, unde possit in posterum ecclesia dampnificari? Item, si incurrerunt irregularitatem majorem, videlicet per homicidium vel consensum? Quibus omnibus et similibus respondendum est quod non per graciam Dei.

Sicque visa habilitate et devocione ipsorum ex parte una, et non esse obstaculum ex parte altera, quin libere possint admitti, tunc abbas concedet eis peticionem suam, invocata gracia Spiritus Sancti et sanctis ad quorum nomina fecerunt suam peticionem. Ad quam concessionem ipsi novicii inclinabunt, et ibunt inmediate ad eum per ordinem, osculantes manum suam, flexis genibus, et inclinantes ad eum redibunt

[1] *arceriori*, MS.

ad locum suum, et, ultimo redeunte, iterum accipient longam veniam cum secunda peticione ut orent pro ipsis, et cetera. Sicque jussi surgere et injuncto cantori quod faciat pro eis quod incumbit, abbas commendet eos Deo, et inclinantes conjunctim recedant, precedentibus prioribus, ut prius, ad rasturam.

Postmodum, ipsis rasis et habitu indutis, reducantur ad sanctam Brigidam et instruantur de subsequentibus.

Cum pulsatur signum ad horam, statim ducantur per claustrum, prioribus precedentibus, et chorus abbatis per columpnas, capitibus discoopertis, usque ad hostium ecclesiæ, et ibi capient curtas venias, osculantes gradum superiorem. Postea ab uno magistrorum suorum accipient aquam benedictam; et sic ibunt ad altare sancti Augustini, facientes inclinaciones intermedias, et ibi coram altare capient curtam veniam, dicendo "Pater noster," prioribus jacentibus in medio. Et surgentes facient inclinacionem; et revertentes ordine quo prius chorus abbatis per feretrum /sanctæ Mildrethæ usque ad [fo. 4b. hostium chori, et ibi, precedentibus junioribus, intrabunt chorum, et inclinantes inferius ante formulas per ordinem intrabunt stallos suos, stantes versus altare usque percuciatur oracio, et cetera facient juxta doctrina[m] magistrorum suorum, et ita morantibus ibidem usque post evangelium missæ; et tunc reducentur ad sanctam Brigidam, precedentibus prioribus et transeuntibus infra stallos per socios suos; et ita facient communiter quando priores exeunt, nisi sedeat aliquis professus inferius inpediens.

Postea dicatur de gestu habendo ad horam et ad prandium, et qualiter chorus abbatis stabit ad hostium refectorii a parte sinistra. Et transeuntes in refectorium inclinabunt in medio successive et ante scannum simul; nec oportet quod chorus prioris expectet ipsos cum inclinacione sua, sed statim sedentes dicent "De profundis." Post gracias ascendent mensas; et, quando incipitur leccio, discooperient panes, preponent cyphos, et extrahent cultellos, et cetera. Et, quando colligunt coclearia, reponent cultellos; et, cum percutitur mensa, evacuabunt cyphos. Si autem abbas in refectorio fuerit, expectabunt coram mensis in refectorio priusquam exeant, donec detur

benediccio; et tunc inclinantes ibunt ad ecclesiam. Post gracias de ecclesia ducantur ad ordines suos in claustro, sedentes super mattas novas, quas debet sacrista providere. Junior a parte prioris locetur versus ecclesiam, et junior a parte abbatis versus capellam, et, ibi dicto "De profundis," ibunt ad lavatorium, precedentibus junioribus, choro prioris tendente per columpnas. Post locionem manuum, collocetur chorus abbatis ad columpnas versus locutorium, et chorus prioris per carulas, precedentibus senioribus; et e converso ponuntur quando vadunt ex alia parte versus claustrum, precedentibus junioribus. Sicque venientes ad sanctam Brigidam, dicatur postmodum quid faciendum est ad vesperas et ad mutacionem, et quod non ibunt ad lavatorium, si sit dies jejunii, priusquam percuciatur ad potum; et quid sit agendum ad potum, ad collacionem in capitulo, ad completorium, et modus eundi cubitum, et cetera quæ expediunt.

Et, quia communiter fit rastura inter festum sancti Michaelis et ordinacionem sancti Augustini, dicatur eis de una leccione et de tribus leccionibus in feriis, et quando agitur de sancta Maria et de sancto Augustino, et de die Dominica, et de xii. eccionibus et earum /varietatibus, circa observancias in [fo. 5. choro, capitulo, et in claustro, et de missa eorum die Dominica, quando debent communicari, et quid impedit, et de modo eundi ad confessionem, et de omnibus aliis observanciis quæ propinquius sunt futuræ.

Item, dicatur eis quod post capitulum, quando veniunt ad parliamentum suum, quod juniores ex utraque parte ponant mattas suas inter columpnas in medio ad sessiones magistrorum suorum, et alii extrahant mattas suas ut simul sedeant ad addiscendum ordinem suum; et quod nullus loquatur cum socio suo in parliamento vel solacio suo, nisi de speciali licencia magistrorum; et quod ibi debent tondere digitos suos, petita licencia, ex utraque parte, a sociis suis.

Postea dicantur eis quædam regulæ quæ debent esse eis utiles et communes.[1] Quarum prima potest esse: quod omni die pectinabunt capita sua ante primam, preterquam in die Parascevæ, junioribus stantibus[2] propinquius locutorium per

[1] 9ēs [convenientes ?], MS.

[2] In margin.

ordinem; et quod omni die accipient aquam benedictam, preterquam in die Dominica. Item, quod semper vadunt ad processionem, quando vadunt simul; et nullus debet transire inter processionem suam, sed a latere, cui obviando debent inclinare modicum. Item, debent tenere processionem suam et chorum suum, quamdiu possunt, absque mutacione. Notandum quod novicii debent communicari, preter dies Dominicos, in Nathali Domini, quacunque feria evenerit, et in die Ascensionis, et tribus diebus ante Pascha, et tribus diebus facta professione, sive fragilitas eis acciderit sive non illis quatuor temporibus, cum Pascha et Pentecoste. Item, transeunte abbate nostro per ipsos in claustro, choro, ecclesia, capitulo, refectorio, et ubique communiter infra tectum, debent ei assurgere et inclinare. Et eodem modo faciendum est episcopis transeuntibus et omnibus abbatibus nostri ordinis. Item, instruantur de omnibus inclinacionibus inter "Gloria in excelsis," et circa veniam in "Credo in unum," infra stallos, et inclinacione ibidem, et "Jam lucis," et "Ob hoc precatu supplici," et "Ave maris stella," et ibi "Veni, sancte Spiritus," et "Te deprecamur, agie," et aliis consimilibus quæ communiter accidunt, sicut "O crux, ave," et cetera. Item, quando non possunt videre super libros ante collacionem post festum Omnium Sanctorum, debent sedere inter columpnas, ita quod fiat unum spacium inter quemlibet; et, quando unus incipit ibi sedere, omnes simul/ consedeant, et [fo. 5b. vultus suos non vertant ad invicem.

Item, notandum quod de refectorio, de locutorio, de dormitorio, et de capitulo juniores semper precedunt versus ecclesiam, et chorus abbatis per columpnas, nisi quando conventus vadit de capitulo ad ecclesiam; et ideo oportet quod novicii descendentes de dormitorio, quando conventus est in capitulo, quod illi de choro abbatis mutentur versus hostium capituli, ad conformandum se conventui et suo choro. Item, in capitulum, in locutorium, in refectorium seniores debent semper precedere, nisi quando vadunt de leccione capituli in refectorium ad potum. Item, nunquam ibunt soli, nisi habeant magistrum vel socium, preterquam ad confessionem. Et sciendum quod omni die Dominica, post

"Domine Jhesu Christe" de missa matutinali, debent reponere in almariolum in claustro libros suos propter processionem, et eciam ante vesperas quando est processio, et nullatenus alias, nisi fuerit solempnis processio. Item, duo priores ex utroque choro semper querent libros suos quando sunt in almariolo et reponent, et eodem modo pelves suas reportabunt in dormitorium post mandatum, et, redeuntibus illis de dormitorio, illi qui remanserunt super scannum ibunt versus ipsos ad lavatorium.

Item, semper querent pannos suos ad rasturam et reportabunt, nisi magistri sui aliquando hoc faciant propter brevitatem temporis. Item, ille versus, "Adjutorium nostrum," et cetera, post collacionem semper dicitur, ubi terminatur leccio collacionis sive in capitulo sive in refectorio. Item, quando capiunt mixtum, seniores debent sedere superius per ordinem et juniores inferius. Et econverso sedebunt per ordinem, quando cenant cum minutis. Et sciendum quod non debent lavare post mixtum, sed tantum ante; et debent juniores precedere usque hostium refectorii. Et, si fuerint professi non minuti cenaturi, sedebunt remocius a minutis quam novicii. Item, nunquam mutabunt pannos suos nisi in tribus leccionibus, et hoc non feria sexta nec in vigilia xii. leccionum, nisi fuerit urgens necessitas. Modus mutandi est post primam, et, precedentibus junioribus, cum venerint ad lectos suos, primo deponent capucium furratum, postea froccum, deinde preparent pannos suos mutandos; postea, sedendo co/ram lectis [fo. 6. suis, deponant calciamenta, pedules, et caligas ante formas, et, denodato bracili anterius et extracto, inponant novis femoralibus, et, deposito veteri et novo assumpto et recalciato, reponant caligas, pedules et calciamenta. Postea decingentes se exuant vetus staminum et, novo ordine retrogrado superinducto caute et capite semper cooperto, recingant se, et postea pan[n]os veteres plicent, femoralia infra staminum; et sic resumentes froccos suos, cum omnes perfecerunt, simul descendant ad lavatorium et postea ad scannum in claustro, et cetera. Et sciendum quod mutare debent quando balneant, sicut quando sunt minuti, preter cultellum, quia pectinare debent ibidem capita sua et scindere panem suum in prandio.

Item, sciendum quod, quando sunt minuti, debent primo die reddere completorium extra capitulum in claustro, preter in yeme, et nocte secunda apud sanctum Gregorium coram cruce non facient nisi unum "Pater noster" post completorium, sicut nec prima nocte ante capitulum. Item, nunquam osculabuntur textum cum portatur, quando ceperunt mixtum, vel quando ea nocte accidit fragilitas. Item, semper dabunt locum servitori ecclesiæ qui portat turribulum in xii. leccionibus ad vesperas ex parte chori cujus ipse est, et ad turrificacionem sacerdotis qui cantat inclinabunt. Item, ad omnem antiphonam quam abbas incipit post versum primi psalmi, et ad "Te Deum," et ad pronunciacionem in capitulo, cum ipse inclinat, et ipse inclinabunt. Item, cum obviant facientibus mandatum cotidianum, stabunt inclinantes eis, et ad inclinacionem cujuslibet fratris venientis ad satisfaccionem in choro. Item, dicatur eis, quando incipietur "Christe, qui lux"; cetera haberi poterunt satis per rubricas. Poterunt tamen doceri de modo habendi in minucione sanguinis, et de modo balniandi. Et quando aliquis sociorum est minutus, omnes ad instanciam ipsius habebunt aliquod solacium. Sciendum tamen quod in tempore quando tenetur disportum non capient solacium, nisi feria quarta et sexta. In tempore autem Adventus et Quadragesimæ, ter in septimana capiunt solacium, nisi ex occupacione magistrorum aut ex festivitate temporis impediantur. In cimiterium tamen fratrum non ducuntur communiter ante Septuagesimam vel Quadragesimam, nisi propter minucionem aut infirmitatem.

Postea de festis principalibus, et paribus principalibus, /duplicibus, et altis duplicibus, et eorum differenciis et [fo. 6b. varietatibus, et quæ festivitates ex se habent processionem, et quot sunt, expedit informari. De Quadragesimæ observacione notandum quod nunquam vadunt de capitulo in chorum, nisi in festis duplicibus et supra; in aliis vero temporibus in Quadragesima semper in claustrum. Item, in feriis semper portabunt novicii libros suos in almariolum post "Domine Jhesu Christe." In xii. vero leccionibus, quando est processio post missam, descendent seniores et juniores ascendent versus altare; et post oracionem, scilicet "Deus misereatur," portabunt

libros suos in almariolum. Et, quando non est processio, retinebunt libros penes se et portent secum in dormitorium. In Quadragesima, quando fit processio feria quarta et sexta per claustrum, debent reponere libros suos sub mattis in stallis suis usque post processionem. In xii. leccionibus et vigiliis semper mutandum est in Quadragesima inmediate post prandium. In feriis post gracias eundum est in claustrum, et dicent "De profundis"; et post eundum est ad lavatorium, et de lavatorio redeundum est ad scannum. Et post commestionem servitorum eundum est ad ecclesiam ad reddendum "Dirige," et postea mutantur; nec tunc descendendo de dormitorio lavabunt manus, antequam percuciatur cimba ad potum, quia lavaverunt post prandium.

Hic consequenter circa professionem noviciorum, et quæ professionis tempore utilia eis sunt, notantur. Primo igitur, appropinquante tempore professionis, instruantur qualiter debent legere, psallere, et punctuare epistolas et lecciones diversas in choro. Postea, modus legendi martilogium et brevia et tabulas, secundum suas diversas distincciones. Deinde, de servitoribus ecclesiæ, et modus turrificandi, et eorum officia diversis temporibus per loca diversa. Et qualiter ingrediuntur die Dominica ad omne officium quod habet cursum per septimanam; et quod omni septimana duo servitores ecclesiæ sunt de uno choro, et alii duo in sequenti septimana de choro altero; et prior duorum de choro uno habet officium turribuli, qui habet portare crucem ad processionem, et stare debet a parte sinistra sacerdotis, quando vadit per officinas, quia sacerdos dat benediccionem a parte dextra. Prior candelabrorum habet portare aquam benedictam et curare de magna missa, quando tantum est unum candelabrum; et junior de mis/sa matutinali, quando debet esse unum [fo. 7. tantum. Postea debent doceri de officio epistolari, qualiter se debet habere circa altare; et de modo eundi et standi inter "Confiteor," et deponendi et levandi pannos circa altare; et quibus horis debet communicare, et quando debet tenere patenam et quando non, et multis aliis diversitatibus temporibus et locis diversis, quæ nimis longum esset hic enarrare. Postea de disco doceantur, et de leccione ad servitores, et

quæ sunt eorum officia diversis locis et temporibus, ut candelabra portanda ad processiones et ad crucem et in criptas certis temporibus, et quid habent facere ad mandatum, si abbas fuerit presens, et eciam quando sedet ad discum. Deinde de parva cantaria et quæ competunt illi officio, secundum diversas temporis exigencias, et leccionibus mortuorum.

Appropinquante igitur certo die professionis, die tercia ante professionem instruendi sunt novicii qualiter scribere debent suam professionem et sub certa forma, quæ talis est: "Ego "frater N., presbiter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel accolitus, "vel conversus, promitto stabilitatem meam et conversionem "morum meorum, et obedienciam secundum regulam sancti "Benedicti, coram Deo et sanctis ejus, in hoc monasterio, quod "est constructum in honore sanctorum apostolorum Petri "et Pauli atque sancti Augustini, et in presencia domini "abbatis N." Postea scribant manu propria, si scribere noverint, vel alius rogatus ab ipsis, apud sanctam Brigidam vel in claustro post primam; de quo non est multum curandum. Sed quolibet die diligenter recitent quid die professionis agendum est. Et debet dies professionis ordinari in xii. simplicibus leccionibus, ita quod dies Dominicus vel processio sollempnis non sequatur, priusquam ipsorum capucia deponantur.

Igitur die professionis, post correcciones capituli, vocentur de dormitorio sufficienter instructi, et ordine quo primo die fecerunt peticionem suam pro habitu recipiendo, eodem modo facient petendo professionem, hoc excepto quod magistri eorum non precedent ipsos in aream capituli. Ipsis igitur expeditis, quoad questiones et osculacionem manuum, et peticione secunda ut primo die, et, commendatis ad Deum, recedent omnes ut prius. Sed, si abbas tam cito absolverit capitulum antequam exierint, debent morari ad "Verba mea." Postmodum, ipsis plenarie ad omnia instructis, stabunt in ordinibus suis/ ad magnam missam usque evangelium. [fo. 7b. Inter evangelium cantor ducet eos ad altare sancti Gregorii, precedentibus prioribus et eciam superius intrantibus, et, ibi depositis cucullis, frocco remanente, sequentes cantorem ad hostium chori superius, et perlecto evangelio statim incipiet

cantor "Miserere mei, Deus," et, venientibus coram altari, prioribus stantibus in medio, statim capient longam veniam super dorserium ibidem positum. Dicto psalmo, erigent se omnes, et accedentes ad sinistrum cornu altaris a parte orientali singillatim secundum prioritates legent professiones suas, quas promptas portabunt in manibus suis, voce satis alta; et, perlectis professionibus, quilibet signabit sua[m] propria manu, crucem faciens in fine, et sic eam offerat abbati stanti ex altera parte altaris, flexis genibus, osculando manum suam; et surgentes inclinabunt ei revertentes ad locum suum. Omnibus itaque reversis, statim cum genufleccione incipiant hunc versum, "Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam," usque ad metrum, cum curta venia. Surgendo dicant "Et non confundas me ab expectacione mea," inclinantes in fine. Quo versu ter sic dicto, et a conventu repetito, adjungant "Gloria patri," suaviter inclinantes cum "Sicut erat," et cetera, usque "Amen." Quo facto, statim prosternant se ibidem cum longa venia, et cantor cum socio suo incipiet letaniam, inter quam jacebit abbas super scabellum coram altare; et, ipsa percantata, eriget se abbas cum mitra et baculo, ipsis noviciis in pace jacentibus, dicens super ipsos has oraciones: "Deus indulgenciæ," "Deus coeternum," et "Domine Jhesu Christe, qui es via." Postea dominus abbas sine mitra coram medio altaris cum genufleccione incipiet festive ympnum "Veni Creator," quem conventus cantabit per ordinem, dexter chorus primum versum, et sinister alium, cum finis melodia, "Sit laus Patri," et cetera. Deinde dicat abbas oracionem, et postea aspergat eos aqua benedicta; et statim surgant novicii, erigentes se in pace, donec abbas benedixerit cucullas et asperserit aqua. Quo facto, accedant singillatim ad abbatem secundum prioritates, ad exuendum veterem hominem cum, et cetera.

Ad induendum dicatur hic versus, "Induat te Dominus," et cetera. Ipsisque sic /monachico habitu indutis, [fo. 8. prosternant se iterum in loco priori, nondum positis capuciis, et subsequatur oracio, "Deus misericors." Qua dicta, surgant et, accedentes ad abbatem secundum prioritates, accipiant ab ipso pacis osculum; et ipse abbas ponat capucia sua usque ad

medium nasi; sicque osculuntur sacerdotes, diaconos, subdiaconos, et alios revestitos per ordinem, postea cantores et totum conventum; primo a parte abbatis transeundum infra stallos. Sacerdos cum osculatus fuerit incipiat "Credo in unum," si dici debeat, vel offerenda. Sicque, osculato toto conventu, permaneant in stallis cum summo silencio, capitibus continue coopertis.

Quando cantatur "Sanctus" de missa, prior in choro percuciet unam oracionem; et sedebunt super misericordias dicendo "Pater noster," et postea ad repercussionem surgent. Ad illam missam communicabunt omnes, et die sequenti, licet fragilitas eis acciderit, capitibus coopertis, et sic vadent ad processionem, si necesse fuerit. Die tercia communicabunt ad altare sancti Gregorii, et ibi prior, vel qui missam cantaverit, post "Agnus Dei" digito suo deponet capucia eorum, et dabit eis pacem singillatim; sicque remaneant usque post missam.

Et sciendum quod, illis duobus diebus quo vadunt cooperti, debent tenere spacia in choro, prioribus sedentibus propinquius stallum abbatis ex choro illo et in choro prioris ex parte alia, ibique reddere debent lecciones mortuorum.

Depositis igitur capuciis, post missam ibunt in claustro, et tunc sedebunt priores per ordinem propinquius ecclesiam, juniores versus capellam. Venientes igitur ad capitulum, post "Benedicite," sedebunt in pace; et tunc preses jubet eos surgere et stare versus majestatem in ordine suo, vel ire in area[m] si placuerit, et injunget eis sub debito juramenti quod secreta capituli nemini revelabunt. Item, correcciones ordinis non repplicabunt contra priores vel scrutatores ordinis malo zelo vel animo. Item, non pacientur ecclesiam pro debito alterius quantum in eis est obligari.[1]

[1] In the margin are the words *capitulum unicum.*

/*De vacacione abbaciæ per mortem Thomæ abbatis.* [fo. 8b.

Quia periculis iminentibus cicius quo potest est occurrendum, anno Domini millesimo trescentesimo nono, prior et conventus monasterii sancti Augustini Cantuariæ, ex certis indiciis et consilio medicorum reverendo patri suo, abbati domino Thomæ de Fyndona, gravi infirmitate languenti, mortis periculum conspicientes appropinquare, considerantesque quot et quanta pericula et dampna per vacacionem diutinam monasterio eorum predicto per regem et ejus ministros provenire solebant, ac hiis viis quibus poterunt volentes remedia preparare, ex communi consensu fratrum, pro fine vacacionis faciendo, confratres suos Willelmum de Byholte, Willelmum de Tylmanstona regiæ majestati ordinarunt, eorum dicto abbate vivente, destinandos; qui pridie idus Februarii, anno quo supra, iter versus curiam regis cum literis credenciæ arripuerunt, quarum tenor talis erat:—

"A noble home et chier amy, si lui plest, monsieur Rogier "le Brabasoun, les seons devots, si li plest, le priour et "le covent de seint Augustin de Canterbury saluz, reverence, "et honur. Sire, nous vous mercioms a tote la bone volente "que nous poums de la grant affeccioun et especiale bienvoy-"lance que vous avez en vostre merci a nostre bon pyere, "nostre abbe, et a nous; parquei, sire, la meson vous est "tenue et serra a tous honurs. E pur ceo, sire, que nous "avoms grant mester de vostre consail et vostre ayde, pur "grosse bosoysnes que touchent nous et nostre eglise, si come "nos chiers freres Willeam de Byholte et Willeam de "Tylmanston, portours de ceste lettrers, vous purront, sil "vous plest, plus pleynement monstrer de par nous; devoute-"ment requeroms vostre segnurie que nos freres avantdites "voilletz, sire, graciousement oyer et crere, et nous de vostre "consail, de qui nous fioms, ayder, en continuant, śil vous "plest, come seignur e amy, cele bone affeccion ke en avez a "nous et nostre eglise, et nous fiablement comander de totes "choses que bones vous soient devers nous, prestes a tous

"honurs a nostre poer. /Dieus omnipotent, sire, vous [fo. 9. "save et doint sante et bone vie. Donez en nostre capitre le "xiii. jour de Feverer."

"Venerabili in Christo patri et domino, domino Dei gracia "Cycestriensi episcopo, domini nostri regis Angliæ "cancellario, sui in Christo devoti prior et conventus "monasterii sancti Augustini Cantuariæ, ad Romanam "ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem et devotam "promptitudinem obsequii, reverenciæ, et honoris. Inmensa "vestræ bonitatis affluencia, quæ in nos semper et monas-"terium nostrum predictum per presidia favoris et graciæ "specialiter se infudit,[1] pro quibus paternitati vestræ ad "referendas gracias humiliter inclinamur, nos animat et "inducit, ut pro negociis dicti monasterii nostri, quociens nos "artaveri[n]t, ad vestram reverenciam fiducialiter recurramus. "Hinc est quod dilectos confratres nostros Willelmum de "Byholte et Willelmum de Tilmanstona, latores presencium, ad "vestram mittimus venerabilem presenciam, supplicantes "humiliter et devote quatinus dictos fratres nostros, in hiis "quæ paternitati vestræ vice nostra dicent, audire dignemini "graciose, nobisque, si placet, in presentibus negociis solita "succurrere bonitate. Nos enim, preter premia quæ exinde "sperare poteritis[2] apud Deum, prompti pro viribus esse "volumus vestris beneplacitis et preceptis. Altissimus vos "conservet per tempora diuturna. Datum in capitulo nostro, "xiij. die mensis Februarii."

Consimilis litera directa fuit thesaurario domini regis :—

"Venerandæ discrecionis viro et amico, si placet, in Domino, "karissimo domino Johanni de Sandale, sui devoti in "Christo, prior et conventus monasterii sancti Augustini "Cantuariæ, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, "salutem et devotam promptitudinem obsequii, reverenciæ, et "honoris. Inmensa vestræ bonitatis affluencia, quæ in nos "semper et monasterium nostrum predictum per presidia

[1] Altered from *infundit*. [2] *poterit*, MS.

“ favoris et graciæ specialiter se infudit,[1] pro quibus reverenciæ vestræ ad referendas gracias humiliter inclinamur, nos animat et inducit, ut pro negociis monasterii nostri, quociens nos artaverint, ad vestram benivolenciam fiducialiter recurramus. Hinc est quod dilectos confratres nostros, Willelmum de Byholte et Willelmum de Tilmanstona, /latores [fo. 9b. presencium, ad vestram mittimus presenciam, supplicantes humiliter et devote quatinus dictos fratres nostros, in hiis quæ vobis vice nostra dicent, audire dignemini graciose, nobisque, si placet, in presentibus negociis solita succurrere bonitate. Nos enim, preter premia quæ exinde sperare poteritis apud Deum, prompti pro viribus esse volumus vestris beneplacitis et mandatis. Altissimus vos conservet. Datum in capitulo nostro, xiii. die mensis Februarii.”

“ Venerandæ discrecionis viro et amico, si placet, in Domino, karissimo domino Willelmo de Meltona, domini nostri Regis clerico speciali, sui devoti prior et conventus monasterii sancti Augustini Cantuariæ, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem et votivum obsequium cum honore. Licet ex parte vestra multa precesserint merita, quæ ad exaudiendas preces nostras vestram debeant dulcedinem excitare, sperantes tamen processu temporis uberiorem a vobis mereri graciam, cum de vobis habuerimus cognicionem pleniorem, vestram amiciciam, de qua ex nunc confidere volumus, intime requirimus et rogamus quatinus dilectis confratribus nostris, Willelmo de Byholte et Willelmo de Tilmanstona, presencium exhibitoribus, quos pro specialibus negociis nostris ad vestram mittimus reverenciam, velitis credere graciose in hiis quæ vobis referent vice nostra, apponentes, si placet, in dictis negociis procurandis vestrum consilium et juvamen. Nosque vobis teneri semper volumus ad beneplacita et honores. Altissimus, et cetera. Datum, et cetera.”

Quæ litteræ hiis quibus fuerant directæ non fuerunt ostensæ nec ostendendæ, quia sigillatæ fuerunt et missæ sine abbatis consensu, ipso adhuc superstite ; quod fieri non deberet, quia, abbate vivente, conventus nichil

[1] Altered from *infundit.*

effectuale agere potest sine ejus assensu. Defuncto vero postea, sicut Domino placuit, bonæ memoriæ dòmino abbate predicto, scilicet xiiij. kal. Marcii, anno quo supra, cum per xxvj. annos et menses x. ecclesiam suam bene et honeste rexisset, ipsiusque corpore die Veneris proxime sequente cum debita reverencia ecclesiasticæ tradito sepulturæ, ac abbacia per Hugonem de Caustona, tunc subeschaetorem,[1] in manus domini regis capta, miserunt/ [fo. 10.

[*Two leaves are here missing.*]

. . . . ecclesiæ Anglicanæ millesimo trecentesimo nono. Dicto vero die eleccionis celebrandæ statuto, convocatis omnibus et singulis, qui dictæ eleccioni debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse, celebrata prius missa de Sancto Spiritu, invocataque Spiritus Sancti gracia, ac lecta constitucione consilii generalis, "Quia propter," quædam[2] moniciones et protestaciones de consensu et mandato omnium fratrum factæ erant per priorem in forma subscripta: "In Dei nomine, amen. Nos prior et conventus " monasterii sancti Augustini Cantuariæ, ad Romanam " ecclesiam nullo medio pertinentis, protestamur quod, si " forsan apparere posset, quod non credimus, aliquos de " collegio susspensos esse, interdictos, vel excommunicatos, " non intendimus eos in eleccione, tanquam jus habentes " ad eleccionem, admittere, nec uti suffragio vocis suæ; sed " eorum voces[3] qui de jure non fuerunt admittendi non " valeant nec eciam numerentur. Actum, et cetera." Hiis vero sic peractis, habebatur tractatus per quam viam seu formam melius posset ecclesiæ provideri. Tandem placuit omnibus per viam procedere compromissi, et sibi abbatem et pastorem providere. Electis siquidem septem de collegio fratribus fidedignis, ac illis coram conventu, ut moris est, astantibus, injunctum fuit eis forma quæ sequitur:—

"In Dei nomine, amen. Nos injungimus vobis, in " nomine Sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus " Sancti, et per sanctam professionem et obedienciam vestram " quam fecistis in hac ecclesia, et per sacrosanctum Corpus " Domini nostri Jhesu Christi quod coram vobis est, et

[1] *subeschactorem*, MS. [2] *quasdam*, MS. [3] *voce*, MS.

"per omnes sanctas reliquias hujus ecclesiæ, et per sancta "Dei evangelia, quod vos eligatis nobis unum fratrem "in futurum abbatem et pastorem de vobis vel de aliis "istius congregacionis,[1] qui judicio vestro sit Deo devotus, "et pro communitate istius congregacionis bonus et "benivolus, et pro statu istius ecclesiæ utilis, et pro "religionis observancia necessarius; nec omittetis aliquem "propter odium vel rancorem vel invidiam vel aliquod "factum vel dictum displicenciæ vobis vel vestris quoquo-"modo factum vel procreatum. Nec eligetis aliquem "causa familiaritatis seu propinquitatis vestræ vel favore, "vel alicujus comodi temporalis vobis vel vestris facti "seu spe facien/di, sed talem qui sciat, possit, et [fo. 10b. "velit fratres suos in timore Dei diligere, statum et con-"suetudines bonas hujus ecclesiæ pro viribus observare in "forma predicta; sic Deus vos adjuvet, et sancta Dei "evangelia. Eatis ad Deum, et habeatis Deum ante vos "in periculo animæ vestræ."

Petita postea per eosdem eorum potestate eligendi communi sigillo sigillata, data est eis formam continens subsequentem:—"In Dei nomine, amen. Omnibus Christi "fidelibus ad quos hæc scriptura pervenerit, frater Johannes, "prior, et conventus monasterii sancti Augustini Cantuariæ, "ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem "in Domino Jhesu Christo. Bonæ memoriæ Thoma, quon-"dam abbate monasterii supradicti, viam universæ carnis "ingresso, corpore tradito sepulturæ, petita ab excellentis-"simo principe domino Edwardo, Dei gracia rege Angliæ "illustri, eligendi licencia[2] et optenta, nos in capitulo nostro "convenientes in unum statuimus unanimiter septimum "diem mensis Marcii, cum continuacione dierum sequencium, "ad eleccionem futuri abbatis canonice celebrandam; quo "die presentibus in capitulo nostro omnibus qui debuerunt, "voluerunt, et pot[u]erunt comode interesse, invocata "Spiritus Sancti gracia, placuit nobis omnibus et singulis

[1] A note was added in the margin for insertion here: "sive de alia congrega-"cione nostri ordinis, si necesse fuerit"; but it is now erased.

[2] *licenciam*, MS.

"per viam procedere compromissi et monasterio nostro "providere. Electis siquidem septem de collegio fidedignis, "videlicet fratribus Johanne de Pecham, Johanne Godcheap, "tercio priore, Radulfo de Bourne, Roberto de Fekenham, "Ada de Ryddenne, camerario, Symone de Byere, Willelmo "de Oxonia, nos eis concessimus et dedimus unanimiter "liberam potestatem ut iidem, vel major pars ipsorum, "vice sua et nostra, per eleccionem canonicam monasterio "nostro vacanti supradicto, Deum et bonum statum ipsius "monasterii habentes præ oculis, de persona ydonea dum-"modo de eodem collegio nostro[1] provideant, omnem po-"testatem nostram et vicem eis super hoc totaliter com-"mittentes, ita quod unus ipsorum, de consensu aliorum "collegarum vel majoris partis eorum, vice sua et collegarum "ac nostra, illum, in quem omnes ipsi vel major pars "eorum convenerint, eligat, et eleccionem hujusmodi in "nostra presencia solempniter publicet; promittentes quod "illum recipiemus/ in abbatem et pastorem, quem [fo. 11. "omnes vel major pars ipsorum ex se vel ex aliis de "nostro collegio[2] duxerint eligendum. In quorum omnium "testimonium, presentem scripturam sigillo nostro com-"muni fecimus communiri. Data in capitulo nostro, mense "Marcii, die septimo supradicto, anno Domini, secundum "cursum seu computacionem ecclesiæ Anglicanæ, millesimo "ccc° nono."

Qui dictam potestatem acceptantes et in partem secedentes, habita deliberacione diligenti, elegerunt sibi in abbatem et pastorem unum de compromissariis suis predictis, virum bonum et providum, fratrem Radulfum de Bourne. Quam eleccionem frater Adam de Ryddenne pronunciavit coram conventu in eorum capitulo in forma quæ sequitur:—

"In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. "Anno Domini, secundum cursum seu computacionem

[1] Marginal note for insertion here: "vel de alio nostri ordinis collegio, si fuerit necesse."

[2] Marginal note for insertion here: "vel de alio nostri ordinis collegio, si fuerit necesse."

"ecclesiæ Anglicanæ, m° ccc° nono, mense Marcii, die "septimo, ego frater Adam de Rydenne, de voluntate et "concessu fratrum Johannis de Pecham, Johannis Godcheap, "tercii prioris, Roberti de Fekenham, Symonis de Biere, et "Willelmi de Oxonia, collegarum meorum, in quos, una cum "fratre Radulpho de Bourne commonacho nostro, a priore et "conventu monasterii nostri exstitit unanimiter compro- "missum, vice mea et ipsorum ac omnium in eleccione jus "habencium et hic presencium, ex potestate mihi et collegis "meis concessa, invocata Spiritus Sancti gracia, dictum "fratrem Radulphum de Bourne, unum de compromissariis "nostris, in quem nos supradicti compromissarii simul con- "venimus, in nostrum et monasterii nostri abbatem eligo et "pastorem, ipsamque eleccionem solempniter in communi "publico in hiis scriptis."

Tunc dicti prior et conventus, eidem eleccioni consencientes ac gratam habentes et acceptam, dictum electum cum instancia rogaverunt, ut hujusmodi eleccioni de ipso factæ suum preberet assensum. Qui diu requisitus tandem annuit votis suis, eleccioni consenciens de se factæ; qui statim eum usque ad magnum altare deduxerunt, "Te Deum," ut moris est, cantando, pulsatis interim campanis in turri et in campanili. Deinde vero, eleccione predicta coram populo in eadem ecclesia per priorem publicata, remansit dictus electus in ordine suo solito usque post prandium, et tunc ductus fuit ad cameram prioris, ibidem moraturus.

De hiis omnibus et singulis antedictis/ injunctum [fo. 11b. fuit notario, in presencia magistri Petri de Dene ac aliorum clericorum, qui, ubi et quando erant facta predicta, personaliter exstiterunt, quod faceret publica instrumenta in testimonium et ad majorem confirmacionem premissorum. Dictus vero electus versus dominum regem, Londoniis tunc existentem, ix. die mensis Marcii iter arripuit, cum quibusdam fratribus litteram secum deferentibus, ex parte conventus regi antedicto directam, cujus tenor talis erat:—

"Excellentissimo principi et domino suo reverentissimo "domino Edwardo, Dei gracia Regi Angliæ illustri, "Domino Hyberniæ et Duci Acquitaniæ, sui humiles et devoti

"prior et conventus monasterii Sancti Augustini Cantuariæ, "ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, rever-"enciam omnimodam et honorem in Eo per quem reges "regnant et principes dominantur. Vacante monasterio "nostro predicto per mortem bonæ memoriæ Thomæ nuper "abbatis nostri, petitaque a vobis alium nobis eligendi in "abbatem et pastorem licencia et optenta, diem eleccionis "hujus ordinavimus prefigendum, et, invocata Spiritus Sancti "gracia, dilectum confratrem nostrum Radulphum de Bourne "in nostrum abbatem unanimi assensu elegimus et pastorem. "Ipsum igitur fratrem Radulphum, electum nostrum, per "dilectos confratres nostro[s], Willelmum de Byholte, "Ricardum de Cantuaria, et Salomonem de Ripple, vestræ "regiæ majestati duximus presentandum, supplicantes humili-"ter et devote quatinus electum nostrum predictum dignemini "benigne admittere, et eleccioni per nos in hac parte factæ "adhibere sensum regium et favorem; pro eodem vero electo "quod regiæ vestræ voluntati placuerit ulterius demandantes. "In cujus rei testimonium sigillum nostrum commune presen-"tibus est appensum. Conservet vos Altissimus, et cetera. "Datæ in capitulo nostro Cantuariæ, viii. idus mensis Marcii, "anno Domini m° ccc° ix°."

Qui, omnibus expeditis, xvij. die mensis Marcii, redierunt cum litteris regis et reginæ, domino papæ et regi Franciæ pro dicto electo directis, quarum tenor sequitur:—

"Sanctissimo in Christo patri domino C[lementi], divina "providencia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ "summo ponti/fici, Edwardus, eadem gracia Rex [fo. 12. "Angliæ, et cetera, devota pedum oscula beatorum. Decet "nos, inter cetera quorum cura nos angit, circa statum "prosperum monasteriorum regni nostri, quæ de nostro patro-"natu existunt, pervigili studio operam et opem adhibere, ut "quæ viduata existunt pastoris solacio recreentur, et pro "oppressorum relevacione vestram clemenciam sepius excitare. "Cum igitur religiosus vir et nobis in Christo predilectus frater "Radulphus de Bourne, electus monasterii Sancti Augustini "Cantuariæ nostri patronatus, cujus eleccioni regium assensum "nostrum adhibemus et favorem, sub spe confirmacionis

" ejusdem a vestra beatitudine optinendæ, ad vestri presenciam " jam accedit. Nos, considerantes monasterium predictum " ere alieno diversimodo depressum, statumque domus ejusdem " per ipsius electi circumspeccionis industriam[1] posse in " proximo relevari, ipsum electum, quem provida circum- " speccio in spiritualibus et in temporalibus et aliarum diver- " sarum virtutum insignia condecorant, vestræ sanctitati " specialiter commendamus, affectuosis precibus supplicantes " quatinus prefatum electum, in hiis quæ apud sanctitatem " vestram habet facienda, ad exaudicionis graciam dignemini " nostris precibus admittere, et ad monasterium predictum " remittere feliciter expeditum. Conservet vos, et cetera. " Datæ apud Westmonasterium, xiij. die Marcii, anno regni " nostri tercio."

" Rex dilecto suo Roberto de Kendale, constabulario suo " castri Dovorriæ et custodi quinque portuum suorum, " salutem. Mandamus vobis quod dilectum nobis in Christo " fratrem Radulphum de Bourne, electum ecclesiæ Sancti " Augustini Cantuariæ, qui pro negocio eleccionis de ipso " factæ prosequendo[2] ad partes transmarinas de nostra " licencia jam accedit, ad dictas partes transire permitatis, " non obstante inhibicione per nos nuper facta, quod aliqua " notabilis persona ad dictas partes se non transferret sine " nostra licencia speciali. Teste me ipso, apud Westmonas- " terium, xiij. die Marcii, anno regni nostri tercio."

" Sanctissimo patri ac domino, et cetera, Ys[abella] et cetera. " Affectus intimæ caritatis nos excitat et inducit, ut, " quem morum probitas litterarumque pericia vitæque " honestas insigniunt eundem sanctitati/ vestræ [fo. 12b. " debeamus uberius commendare. Pro eo eidem sanctitati " vestræ supplicamus humiliter et devote, quatinus dilectum " nostrum dominum Radulphum de Bourne, fidedignorum " relacione dignum laudibus antedictis monachum electum in " pastorem abbaciæ Sancti Augustini Cantuariæ, exhibitorem " presencium, ac ejus negocia, ut racio suadebit, caritatis " intuitu nostrique consideracione ipsa vestra sanctitas habere

[1] *industria*, MS. [2] *prosequendum*, MS.

"dignetur propensius comendatum. Conservet vos, et cetera. "Scriptum apud Westmonasterium, et cetera."

Item, Regi Franciæ.

"Mon cher seignur, jeo vous pri ke moen bien ame dan "Rauf de Bourne, moyne, eslu pur estre abbe de "labbeye de seint Augstin de Canterbury, et ses bosoygnes "vos plese aver pur recomandes duemunt,[1] solunc rayson, "pur amur de moy, ainsy qil se peusse apercevoir de mes "prieres. Mon cher seignur, et cetera. Donot, et cetera."

Dictus vero electus, versus curiam Romanam kalendis Aprilis iter suum arripiens, secum habuit subscripta :—

Decretum.

"In Dei nomine, amen. Anno Domini, secundum cursum "seu computacionem ecclesiæ Anglicanæ, m° ccc° "nono, xvj. die Februarii, bonæ memoriæ Thoma, quondam "abbate monasterii sancti Augustini Cantuariæ, ad Romanam "ecclesiam nullo medio pertinentis, viam universæ carnis "ingresso, ejusque corpore xx. die mensis predicti tradito "sepulturæ, petita ab excellentissimo principe domino "Edwardo, Dei gracia rege Angliæ illustri, eligendi licencia "et optenta, nos, frater Johannes prior et conventus ipsius "monasterii, in capitulo nostro quinto die Marcii convenientes "in unum, statuimus unanimiter ejusdem mensis Marcii diem "septimum, cum continuacione dierum sequencium, ad elec-"cionem futuri abbatis canonice celebrandum. Quo die, "presentibus in capitulo nostro omnibus qui debuerunt, "voluerunt, et potuerunt commode interesse, invocata "Spiritus Sancti gracia, placuit nobis omnibus et singulis "per viam procedere compromissi, et nostro monasterio "providere. Electis siquidem vij. de collegio fidedignis, "videlicet, fratribus Johanne de Pecham, Johanne Godcheap, "tercio priore, Radulpho de Bourne, Roberto de Fekenham, "Adam de Ryddenne, camerario, Symone de Biere, et

[1] *demūt*, MS.

“ Willelmo de Oxonia, nos eis concessimus et dedimus “ unanimiter liberam potestatem, ut iidem vel major “ pars/ ipsorum, vice sua et nostra, per eleccionem [fo. 13. “ canonicam, nostro monasterio supradicto vacanti, Deum “ et bonum statum monasterii ipsius habentes præ oculis, de “ persona ydonea dummodo de eodem nostro providerent “ collegio, omnem potestatem nostram et vicem eis super hoc “ totaliter committentes, ita quod unus ipsorum, de consensu “ aliorum collegarum vel majoris partis eorum, vice sua et “ collegarum ac nostra, illum, in quem omnes ipsi vel major “ pars eorum convenirent, eligeret, et eleccionem hujus in “ nostra presencia solempniter publicaret; promittentes quod “ illum recipiemus in abbatem et pastorem, quem omnes vel “ major pars ipsorum ex se vel ex aliis de nostro collegio “ ducerent eligendum. Dicti vero compromissarii, secedentes “ in partem, deliberacione ac discussione inter se habita “ diligenti, prout nobis postmodum retulerunt, tandem in “ fratrem Radulphum de Bourne, commonachum nostrum, “ unum de compromissariis supradictis, ceteri sex compro- “ missarii unanimiter convenerunt, virum utique Deo devotum, “ sanctæ religionis fervidum relatorem, de legittimo matri- “ monio procreatum, maturæ etatis, in sacerdocii ordine “ constitutum, providum et discretum in spiritualibus et “ temporalibus, circumspectum, scientem et valentem[1] jura “ monasterii nostri defensare; quem frater Adam de Ryddenne, “ secundum formam in compromisso appositam, in hunc “ modum elegit: ‘In nomine Patris et Filii et Spiritus “ ‘ Sancti, amen. Ego frater Adam de Ryddenne, et “ ‘ cetera’; ut supra notatur. Eleccionemque hujus in “ communi in scriptis pronunciavit ac eciam publicavit. “ Dictam autem eleccionem, sic canonice celebratam et “ publicatam in communi, omnes unanimiter recepimus et “ approbavimus, electumque ipsum in capitulo tunc presentem “ instanter rogavimus et requisivimus ut eleccioni hujusmodi “ consentiret; qui, licet ex humilitate se insufficientem “ asserens multipliciter excusaret, instancia tamen nostra “ devictus, nolens resistere voluntati divinæ, Dei auxilio

[1] *et valentem*, in margin.

"invocato, tam timide quam devote votis fratrum assensit, "eleccionem ipsam, officium, et onus sibi impositum cum "exuberancia lacrimarum humiliter suscipiens et acceptans. "Nos vero electum ipsum ad majus altare deduximus, 'Te "Deum laudamus,' more/ solito decantando; elec- [fo. 13b. "cionem quoque predictam coram populi multitudine copiosa "fecimus solempniter publicari. In quorum omnium testi-"monium, hoc decretum eleccionis nostræ subscripcionibus "nostris et sigilli nostri communis inpressione fecimus "communiri."

Modus vero subscribendi talis erat:—

"Ego frater Johannes, prior predicti monasterii, supra-"dictis omnibus et singulis consensi et consencio et manu "propria subscribo ⊕."

Qui vero per alium subscripsit, modum hunc sequentem:

"Ego frater de supradictis omnibus et singulis consensi "et consencio: et, quia manu propria scribere nequeo, per "fratrem———de———subscribo."

Litera domino papæ directa, in qua continetur decretum.

"Sanctissimo in Christo patri ac domino, reverendo "domino Clementi, divina providencia sacrosanctæ "Romanæ ac universalis ecclesiæ summo pontifici, sui "servuli humiles et devoti, frater Johannes, prior, et con-"ventus monasterii sancti Augustini Cantuariæ, ad Romanam "ecclesiam nullo medio pertinentis, cum omni subjeccione "et reverencia pedum oscula beatorum. Bonæ memoriæ "fratre Thoma, quondam abbate monasterii supradicti, "viam universæ carnis ingresso, ejusque corpore tradito "sepulturæ, petita ab excellentissimo principe domino "Edwardo, Dei gracia regi Angliæ illustri, eligendi "licencia et optenta, nos, in capitulo nostro convenientes "in unum, statuimus unanimiter septimum diem mensis "Marcii, cum continuacione dierum sequencium, anno "Domini, secundum cursum seu computacionem ecclesiæ "Anglicanæ, millesimo trescentesimo nono, ad eleccionem

"futuri abbatis canonice celebranda[m]," et cetera, de verbo ad verbum, sicut supra in decreto, usque ibi: In quorum omnium testimonium. "Vestræ igitur sanctitati devotissime "suplicamus, ut eleccionem supradictam dignemini con-"firmare, et electo nostro predicto munus benediccionis "impendere, ut, auctore Deo, nobis et aliis in hiis quæ ad "abbatem spectant preesse valeat et prodesse. Ut autem "omnium nostrorum vota in hanc eleccionem et peticionem "convenire noscatis, Sanctitati vestræ has litteras mittimus, "propriis subscriptis manibus et sigilli nostri communis "munimine roboratas. Actum in monasterio nostro, dicto "die septimo mensis Marcii, anno Domini supradicto." Et subscripserunt fratres sicut superius in decreto.

Littera procuracionis ad curiam Romanam./ [fo. 14.

"Sanctissimo in Christo patri ac domino reverendo, domino "Clementi, divina providencia sacrosanctæ Romanæ "ac universalis ecclesiæ summo pontifici, sui servuli humiles "et devoti Johannes, prior, et conventus monasterii sancti "Augustini Cantuariæ, ad Romanam ecclesiam nullo medio "pertinentis, cum omni subjeccione et reverencia pedum "oscula beatorum. Sanctitati vestræ tenore presencium "intimamus quod, ad presentandum eleccionem de fratre "Radulpho de Bourne commonacho nostro in abbatem "monasterii nostri per nos factam electumque ipsum, "necnon ad prosequendum ipsius eleccionis negocium, "dilectos nobis in Christo Robertum de Fekenham, con-"fratrem nostrum et commonachum, et magistrum Johannem "de Grand, clericum, et quemlibet eorum in solidum, ita "quod non sit melior condicio occupantis, facimus et "constituimus procuratores nostros et nuncios speciales; "dantes eisdem et eorundem cuilibet liberam potestatem et "speciale mandatum, nomine nostro et monasterii nostri "predicti, confirmacionem eleccionis predictæ petendi, in "animas nostras jurandi, alium procuratorem loco sui "substituendi, substitutumque revocandi, et procuratoris "officium reassumendi, quociens eis videbitur expedire,

"necnon omnia alia et singula faciendi, quæ circa premissa "necessaria fuerint seu oportuna, eciamsi exigant mandatum "speciale; ratum habituri et gratum quicquid per eosdem "procuratores et quemlibet eorundem substitutumque ab "ipsis procuratum seu actum fuerit in premissis. In cujus "rei testimonium, sigillum nostrum commune presentibus "est appensum. Actum et datum in capitulo nostro, tercio "die Aprilis, anno Domini m° ccc° decimo."

Euntes ad curiam Romanam cum electo portabant secum infrascripta:—

Primo, litteras domini regis de licencia eligendi.

Item, litteras, sigillatas sigillo communi, de assignacione die eleccionis.

Item, litteras, sigillatas sigillo communi, continentes qualiter unanimiter concordarunt procedere per viam compromissi, et nominacionem compromissariorum et potestatem eis datam, ut supra patet.

Item, litteras summo pontifici directas supplicatorias, ut eleccionem confirmet, singulorum manibus subscriptas et sigillo communi consignatas.

Item, decretum eleccionis similiter subscriptum, sigillatum.

Item, litteram domini regis de recepcione electi./ [fo. 14b.

Item, instrumenta quæ sequuntur: videlicet, instrumentum super processu eleccionis; item, instrumentum super protestacione, quod tamen non ostendatur in curia, nisi aliquis objiceret de suspensione vel excommunicacione contra aliquem de conventu; item, instrumentum publicum super diem arrepcionis itineris electi una cum procuratoribus et instructoribus.

Explicit.

"Noverint universi me Guydonem Donati, civem et mercatorem Florentinum, de societate Bardorum de Florencia, tam pro me quam pro omnibus sociis meis de eadem "societate, habuisse et recepisse in civitate Londoniarum die "confeccionis presencium, a religiosis viris et honestis, dominis "priore et conventu Sancti Augustini Cantuariæ, quingentas "libras sterlingorum bonorum et legalium, ex cunio domini

" regis Angliæ coronatorum, pro negociis meis, sociorum meorum, dictæque societatis nostræ utiliter agendis et expediendis ; unde protestor me in bona pecunia numerata bene fore contentum. Pro quibus quidem quingentis libris sterlingorum supradictis promitto et teneor per presentes, pro me et omnibus sociis meis, per solempnem et legitimam stipulacionem reddere, solvere, et deliberare domino Radulpho de Bourne, electo in abbatem et pastorem dicti monasterii, vel fratri Roberto de Fekenham, procuratori prioris et conventus monasterii predicti, aut alicui alteri certo nuncio per dictum electum misso, in curia Romana, ubicunque fuerit eadem curia, tria milia ducentos sexaginta et decem parvos florenos aureos de Florencia, bonos et legales ac justi ponderis, infra primos quindecim dies postquam presentes litteræ in eadem curia Romana sociis meis ostensæ fuerint et presentatæ, sine quacunque contradiccione vel ulterioris temporis prolongacione, videlicet, nomine precii et cambii, pro qualibet marcha sterlingorum quatuor florenos aureos et terciam partem unius floreni aurei, et ultra viginti parvos florenos aureos,[1] in tota summa supradicta. Et si predictus dominus Radulphus electus, vel frater Robertus de Fekenham, dictorum prioris et conventus procurator, vel alter certus nuncius transmissus per predictum electum aliqua dampna incurerint, expensas fecerint vel interesse occasione dictæ summæ trium milium ducentorum sexaginta et decem parvorum florenorum aureorum de Florencia dictis loco modo et termino non solutæ, quod absit, omnia hujus dampna, expensas, et in/teresse promitto et teneor per [fo. 15. presentes, pro me et omnibus sociis meis, eidem domino Radulpho vel dicto fratri Roberto vel alteri certo nuncio ejusdem reddere et in integrum restituere, ad simplex dictum latoris presencium, sine juramento, taxacione, et sine alio genere probacionis, et sine quacunque diminucione dicti debiti principalis. Ad quæ omnia premissa et singula in suo robore bene et fideliter tenenda et observanda, ego predictus Guido obligo me et socios meos de dicta societate, omnes et singulos, et quemlibet nostrum, pro toto et in solidum,

[1] *aurei...aureos*, in margin.

" heredes et executores nostros, et omnia bona nostra et societatis nostræ predictæ mobilia et inmobilia, presencia et futura, capienda, distringenda, arestanda, et detinenda per camerarium domini papæ et per omnes alios ejusdem papæ ministros, et quoscunque alios vicecomites et ballivos, magistros, custodes nundinarum, prepositos, scabinos, justiciarios, et judices, tam ecclesiasticos quam seculares, sub quorum potestate [et] jurisdiccione contigerit nos vel aliquem nostrum, seu bona dictæ societatis nostræ, tam citra mare quam ultra, tam infra libertatem quam extra, inveniri; renunciando, pro me[1] et omnibus sociis meis, excepcioni dictæ summæ sterlingorum non habitæ, non receptæ, mihi non traditæ, deliberatæ, seu non numeratæ, et in utilitatem nostram non fore conversæ, ac omnibus aliis excepcionibus, cavillacionibus, et defensionibus, privilegiis, statuto ac omni juris remedio et auxilio, tam canonici quam civilis, et rebus aliis quibuscunque quæ contra premissa vel eorum aliquod objici possent vel opponi, et specialiter juridicenti generalem renunciacionem non valere. In quorum omnium et singulorum premissorum testimonium, ego dictus Guido, pro me et omnibus sociis meis, presentibus sigillum meum apposui. Datum Londoniis, die Martis proxima ante festum Paschæ, anno Domini m° ccc° decimo.

Explicit.

1 *renunciando mihi premissis ego dictus Guido pro me*, MS.

/Hic[1] inseruntur latitudines et longitudines quarundam domorum hujus monasterii. [fo. 15b.

Longitudo ecclesiæ constat ex 111 ulnis, quæ faciunt 333 pedes.

Latitudo ecclesiæ cum exedris 24 ulnis, quæ faciunt 72 pedes.

Latitudo navis ecclesiæ sine exedris 10 ulnis et dimidia, quæ faciunt 34 (*sic*) pedes et dimidiam.

Longitudo capituli 29 ulnis, quæ faciunt 87 pedes.

Latitudo capituli 11 ulnis, quæ faciunt 33 pedes.

Longitudo dormitorii 68 ulnis, quæ faciunt 204 pedes.

Latitudo dormitorii 14 ulnis et 2 pedes (*sic*), quæ faciunt 44 pedes.

Longitudo domus necessariorum 64 ulnis, quæ faciunt 192 pedes.

Latitudo domus necessariorum 8 ulnis, quæ faciunt 24 pedes.

Longitudo studiorum 34 ulnis et 2 pedes (*sic*), quæ faciunt 104 pedes.

Latitudo studiorum 3 ulnis et 2 pedibus, quæ faciunt 11 pedes.

Longitudo refectorii 33 ulnis et dimidia ulna, quæ faciunt 103 (*sic*) pedes et dimidium pedem.

Latitudo refectorii 13 ulnis et 3 quartariis ulnæ, quæ faciunt 41 pedes et dimidium.

Latitudo claustri sub tecto.

Longitudo claustri sub tecto.

Omne pondus habet originem a granis frumenti. Et omnis mensura originem habet a granis ordei. Et primo dicendum est de ponderibus:

Denarius usualis sive sterlingus, quod idem est, ponderabit 32 grana frumenti rubei et boni et rotundi, in medio spicæ sumpta. Duo denarii ponderabunt 64 grana. Tres denarii ponderabunt 96 grana. Quatuor denarii ponderabunt 128 grana. Quinque denarii ponderabunt 160 grana. Sex

[1] The verso of fo. 15 was originally left blank: and has been utilized by another hand for the insertion of these measurements, etc.

denarii ponderabunt 192 grana. Septem denarii ponderabunt 224 grana. Octo denarii ponderabunt 256 grana. Novem denarii ponderabunt 288 grana. Decem denarii ponderabunt 320 grana. Undecim denarii ponderabunt 352 grana. Duodecim denarii ponderabunt 384 grana. Tresdecim denarii ponderabunt 416 grana. Quatuordecim denarii ponderabunt 448 grana. Quindecim denarii ponderabunt 480 grana. Sexdecim denarii ponderabunt 512 grana. Septemdecim denarii ponderabunt 544 grana frumenti. Octodecim denarii ponderant 576 grana. Novemdecim denarii ponderant 608 grana. Viginti denarii ponderant 640 grana. Et sic semper procedendo per addicionem 32 granorum usque ad infinitum.

Scrupulus ponderabit unum denarium et quadrantem, hoc est 40 grana frumenti. Dragma ponderabit 2 denarios et obolum, hoc est 80 grana frumenti. Uncia ponderabit 20 denarios, hoc est 640 grana frumenti. Libra ponderabit 12 uncias, hoc est 240 denarios, siliset 7680 grana frumenti.

Et est libra triplex, videlicet libra subtilis, quæ constat ex 20 solidis; et est libra usualis, quæ constat ex duabus marcis; et est libra grossa, quæ constat ex septem libris subtilibus.

Una marca constat ex 160 denariis, hoc est 5120 grana frumenti.

Libra subtilis conceditur specietariis pro labore eorum in omnibus quæ teruntur pistelle, ut in pulveribus et electuariis et ceteris hiis similibus, sed non de aliis grossis speciebus.

Ista calculacio debet de jure sufficere omni scienti bene calculare de ponderibus.

|*Reformaciuncula abbatis Nicholai, anno ejusdem secundo facta.* [fo. 16.

Cupientes statum domus nostræ, juvante Domino et fratrum consilio, reformare, ordinamus in primis quod intra septa monasterii ac eciam extra, in nostris maneriis et ecclesiis omnibus, sit ad recipiendum et eciam liberandum unimoda et equalis, videlicet communis domini regis Edwardi, bladi mensura; et quod per ipsam mensuram plene et integraliter de blado meliori ad nostrum majus granarium firmæ maneriorum, per bonæ memoriæ predecessorem nostrum abbatem Rogerum tercium ordinatæ, mittantur de cetero. Ita eciam quod nec expensa bladi facta in ipsis maneriis pro solito hospitum vel abbatis adventu, maxime ubi ipse abbas ultra tres dies in anno moram non fecerit, pro ipsa firma custodibus allocetur. Ordinamus eciam quod redditus assisi, una cum romescot et dono vicecomitis de Plumstede et de Lenham, sicut et ceterorum maneriorum omnium et ecclesiarum, ubi redditus annui sunt assisi, terris in rotulis eorum reddituallibus distinctis, thesaurariæ solvantur. Quod si ipsi redditus, romescot, vel donum vicecomitis sine causa racionabili et eciam manifesta proximos dies novem posterim thesaurariæ, ut predicitur, non fuerint persoluti, custodes ipsi, per quorum negligenciam hoc evenerit, cibis quadragesimalibus ex tunc sint contenti et a vino eciam abstineant, donec super hoc thesaurariæ sit plenarie satisfactum.

Item, quoniam mora in raciociniis seu compotis custodum nostrorum, diversis nunc usque temporibus redditis, multis de causis nostro monasterio dampnosa dinoscitur extitisse, ordinamus quod ipsi custodes omnes singulis annis, statim post festum sancti Jacobi apostoli, de suis custodiis parati sint, diebus ab abbate vel suo in hoc vicario constitutis, ad thesaurariæ communis scacarium reddere racionem. Elemosinarius tamen et custos hospitalis sancti Laurencii, infirmarius, hostillarius, precentor, et custos officii beatæ Virginis non ad scacarium predictum, sed privatim, rotulos

compotorum suorum abbati singulis annis, ut predicitur, ante festum sancti Petri ad Vincula, offerendo, racionem de suis receptis et expensis persolvant fidelem; sollicite precaventes, tam hii scilicet quam predicti/, ne, si in [fo. 16b. predictis compotis reddendis aliquam scienter falsitatem suggesserint, veritatemve suppresserint, maxime quam in suis compotis sit expressum, sibi absque consciencia sui abbatis ultra compotum reservando proprietatis, quod absit, incida[n]t in reatum. Precipimus eciam per obedienciam, et eciam sub pena proprietariis debita inhibemus, ne quis nostrorum fratrum custodum bona ecclesiæ sibi commissa distrahat indebite vel consumat, sed juxta datam sibi a Deo industriam et preceptum sui abbatis, cui propria, quod absit, industria nullatenus preponatur, ipsa bona in utilitatibus fideliter expendat ecclesiæ.

Sub eadem pena eciam prohibemus, ne aliquis predictorum rotulos maneriorum nostrorum vel ecclesiarum, reddituales cartas, vel scripta, seu quicquam ad valorem sex denariorum, cum de sua custodia fuerit amovendus, secum asportare vel aliter amovere presumat, absque sui abbatis licencia speciali. Nec aliquis terras de novo emat, vel redditus seu nova edificia de centum solidorum custu abbate construat inconsulto.

Novas eciam gracias, quæ, in consuetudinem ductæ, prejudiciales monasterio possent fieri vel dampnose, omnibus et singulis fratribus interdicimus ordinacione presenti; pro sepius expertis dampnis eciam ordinantes et mandantes quod nostri messores, parcarii, ortolanii seu gardinarii, feoda pro dictis officiis non recipiant, sed pro solitis feodis eorum, si necesse fuerit, stipendia augeantur. Caveant eciam fratres nostri custodes, ne servientem, quem aliquis eorum pro facta fraude ammoverit vel delicto, alius ipsum presumat in servicium admittere.

Sed, quoniam quasi incassum de providencia nostræ domus ordinatur exterius, nisi ordinis disciplina interius observetur, aliqua inter nos expedit, tam in capite quam in membris, juvante Domino, circa hoc eciam reformentur. Placet igitur quod papæ Gregorii noni, legatorum eciam sedis Romanæ,

D 2

Octonis scilicet ac eciam Octoboni, necnon et generalis nostri capituli statuta super reformacione nostri ordinis temporibus in eisdem constitutis legantur, et tam a capite quam a membris, quatenus regulæ vel privilegiis indultis/ canonice non [fo. 17. obviant, firmiter observentur. Ad hoc abbas ordinem et divinum officium debite faciat et sollicite sustentari, causas hiis contrarias seu occasiones tollendo pro viribus ; nec intra septa monasterii nec extra, in spirituali vel temporali officio, gracia humani favoris vel affeccionis privatæ, quemquam constituat, vel sic institutum stare permittat. Sed in hiis et in aliis honorem Dei et ordinis ecclesiæque profectum semper attendat, antiquas eciam consuetudines approbatas, quatenus a regula non discordant, quoad suum et conventus solacium, nisi de communi consilio, non immutet. Caveant tamen fratres omnes et singuli ne, sine sui abbatis speciali vel generali licencia petita scilicet et optenta, aliquid ultra constitutas liberaciones a quoquam recipiant, vel cuiquam fratri vel cuiquam alteri dare presumant. Poterunt tamen, immo tenentur, omnes et singuli, capas per licenciam habentes, aut sellas et cetera ad equitaturam pertinencia, vel alia quæ ex communi liberacione non proveniunt, sibi invicem cum indiguerint communicare.

Verum, quia ex precepto regulæ abbas loca fratrum, propter opus peculiare, ne forte ibi inveniatur, sepius perscrutari, ac cum, pro honestate ordinis conservanda, a parte infirmitorii et ecclesiæ custodia major solito jam sit apposita claustro nostro, mandamus quod nullus de cetero carulam aut scabellum, armarium sive banchum, vel aliud cum serrura in claustro, in dormitorio, studiis, vel refectorio, sine licencia abbatis habeat speciali. Qui autem secus attemptare presumpserit, vel aliquid, quod abbas non dederit aut scienter permiserit, proprium fuerit repertus habere, vel claves seu firmacula per licenciam habita ad primum abbatis preceptum mox humiliter non obtulerit, privetur gracia preconcessa, regulariter nichilominus ut inobediens vel proprietarius puniendus. Eandem penam fratres incurrant, res peculiares aliquas penes[1] seculares sine abbatis consciencia deponentes. Mandamus insuper sub

[1] Supplied in margin.

pena eadem quod nullus fratrum nostrorum ad alterius fratris sui lectum vel studium, carulam vel armarium, absque precepto vel licencia abbatis aut priorum, vel saltem eorum voluntate seu sciencia quorum predicta fuerint, venire presumat, exceptis camerariis, quatenus circa fratrum lectos habent facere/ secundum consuetudinem approbatam. [fo. 17b.

Mandamus insuper quod circa ordinis disciplinam melius observandam solliciti sint priores ac ceteri loquentes de ordine, nunc hos monendo secrecius et eciam obsecrando, nunc illos corripiendo publice et eciam increpando, juxta quod magis ad animarum lucrum crediderint singulis expedire. Nullius nisi secundum Deum personam accipiant, hujus vel illius parentes vel patriam distinguendo, illud magistri nostri regulæ attendentes, quod, sive servi sive liberi, omnes in Christo unum sumus, et sub uno Domino equalem servitutis miliciam bajulamus. Nec a conventu, nisi ex causa pernecessaria, priores maxime se absentent; sed facto magis quam dicto, in hiis quæ sunt ordinis, sint fratribus in exemplum, caventes precipue inter cetera ne chorus vel claustrum monachis, in dispendium salutis et scandalum ordinis, [plus] solito spolietur; nullique de completorio, sine manifesta et justa necessitate, concedant licenciam. Inordinatam vero post completorium cenam vel moram post ignitegium facientes sic castigentur in crastino quod ceteri terreantur. Ebdomadarii circuitorum, per se vel per socium si per se non poterint, semel ante prandium et semel post cotidie, horis in competentibus, juxta regulam et morem antiquum, per ecclesiam, claustrum, et locutoria suos circuitus facere non omittant.

Item, cum magister noster et pater sanctissimus Benedictus in sua precipiat regula quod abbas omnium fratrum opera sic discernat et temperet, ut fortes sint quod cupiant, et infirmi quod non refugiant, ac eciam ex statuto nostri generalis capituli licitum sit prelatis in suis monasteriis, si qua in officiis divinis visa fuerint racionabiliter superflua, resecare, ut tanto facilius a fratribus cetera addiscantur, ac sacris leccionibus et meditacionibus ab eisdem possit studiosius inserviri—hinc est quod nos, ut eciam pondus officii divini eo virilius sustentari valeat et alacrius, quo equanimiter ab omnibus fuerit sup-

portatum, aliqua de predictis officiis, quæ scilicet de regulæ nostræ substancia non existant, duximus moderari.

Hæc igitur sunt quæ reddi et cantari cordetenus sufficere cre/dimus in conventu: videlicet, psalterium, ymnarium, [fo. 18. canticularium, regula monachorum, omnia invitatoria, versus omnium responsoriorum et processionum responsoria, antiphonæ de laudibus, et omnia responsoriola, sex communes feriæ integræ, et totum commune sanctorum. Cetera autem omnia sufficiat reddere ter in libro et super libros eciam in conventu cantari. Permittimus eciam quod, diebus quibus conventus sermoni interest vel leccioni, septem penitenciales psalmi extra chorum a singulis secrete solvantur. "Verba mea," quod post laudes dici solebat semper, nisi dum fratris duraverit trigintale, licite, sicut credimus, poterit eciam intermitti. In principalibus quoque festis et quasi sola de cruce, cum tamen hoc tempori congruit, et de omnibus sanctis ad vesperas et ad laudes sufficit memoria in conventu, salvis tamen processionibus solitis et propriis de die contingentibus memoriis faciendis. Hujus autem pretextu moderaminis, mandamus quod divinum officium morosius et devocius ab omnibus in conventu pro viribus sustentetur, et eciam fratres quod sine justa causa a divino officio non absentent nec inde leviter exeant, illam sacræ scripturæ sentenciam pretimentes, qua dicitur: "Maledictus homo qui facit opus Dei fraudulenter." Item, ne per ignoranciam seu desidiam divinum officium videatur apud nos in aliquo deturpari, "Kyrie" eciam in missis privatis extra chorum, sicut et in choro, alternatim dicantur. Item, in Annunciacione Dominica et in festo sancti Benedicti, quando videlicet Paschali tempore celebrantur, necnon et in sancto Pascha, Ascensione, et Pentecoste, et in festo Sanctæ Trinitatis, sancti eciam Augustini nostri, quando scilicet ante festum sanctæ Trinitatis celebratur, in festo Assumpcionis et Natalis Domini, cum quatuor cantoribus et candelabris totidem ad utrasque vesperas est processio facienda. Ad nocturnas eciam vigilias, post psalmum invitatorii, scilicet "Venite exultemus Domino," occurrentes, secundum quod regula precipit, satisfaciant ut tenentur. Item, festivis diebus, cum abbas vel loco ejus prior celebrat

magnam missam, minorem missam celebrans in conventu, debet ipso die claustrum tenere, horas eciam et completorium in choro dicere, ac benediccionem in refectorio eciam debet dare. Item, ne vivi seu defuncti per negligenciam debitis missis priventur, omnes nostri fratres in sacerdocio constituti teneantur/ cotidie missas suas celebrare, cum nulla [fo. 18b. justa causa fuerint prepediti; nec sine abbatis vel prioris consciencia ultra tres vel ad plus quatuor dies debent a celebracione divinorum ullatenus abstinere. Quod cum liberius in Domino facere possint omnes, per priorem duo vel tres simul ad celebrandum in altaribus singulis deputentur, nec aliquis ad ministrandum de cetero excusetur pretextu fragilitatis per sompnium contingentis, sed, facta confessione si vacaverit contricione previa, benedicta eciam primitus aqua sumpta cum necesse viderit, ministret cum Dei timore, ne garciones vel alios inhonestos, peccatis gravioribus forsitan irretitos, ad ministrandum, quod absit, vocari contingat. Item, cum in nomine Domini nostri Jhesu Christi omne genu celestium, terrestrium et infernorum debeat digne flecti, in ejus Domini Corporis sacrosancti adoracione, excepto ipso solummodo celebrante, omnes cum devocione omnimoda reverencia eciam et honore flectent genua Redemptori; capis tamen induti vel dalmaticis reverenter inclinent.

Item, unanimi approbacione nostri capituli, ordinamus quod singulis annis in Quadragesima, die videlicet qua fratres secundum regulam de bibliotheca, id est librario, sunt in capitulo codices accepturi, missa de Sancto Spiritu et eciam pro defunctis, pro omnibus benefactoribus librarii nostri et ecclesiæ viventibus et defunctis, in cotidiana tabula dupplicetur.

Item, ad honorem ordinis et conventus, mandamus quod ad prandium conventus in refectorio nulla nisi digna et honesta persona, et hæc eciam de presidentis ibidem speciali licencia, invitetur, ne tanto conventui indextre preponantur indigni vel inhonesti, quod absit; nec in aulam ducantur hospites vel mittantur, celerario ignorante, ne forte, si defectum ibidem sustinuerint, inde, quod absit, scandalum oriatur. Item, cum esus carnium, nisi omnino debilibus

vel egrotis, sit secundum nostram regulam interdictus, imbecillitatem tamen plurium attendentes, auctoritate illius decretalis, "Cum ad monasterium," ad tempus, licet cum timore, permittimus quod fratres nostri pondus officii portantes et ordinis, in conventu, nobis in camera nostra presentibus, necnon et infirmitorio, in mensa communi ac in domo misericordiarum ibidem, cum hoc justa necessitas vel eciam pia utilitas exigerit, carnibus recreentur; salvo tamen quod nunquam pauciores triginta monachis vel circiter in refectorio ad prandium/ sint sedentes, [fo. 19. illo statuto domini Octonis legati retento; memoriterque cavetur quod duæ partes conventus ad minus semper comedant in refectorio, sicut decet.

Ut autem fratres in predicta domo misericordiarum recreandi pro vitando scandalo secrecius procurentur, fratres ibidem, secularibus omnino exclusis, secundum morem antiquum sibi invicem serviant, firmiter observato maxime illa hora quod seculares omnimodi, nisi forte medicus aut famuli infirmorum de secretis fratrum non revelandis jurati, ab infirmitorio excludantur; quod et ceteris horis pro infirmorum secretis et quiete, quatenus fieri poterit, observetur. Infirmi vero fratres se ab infirmorum mensa communi non se subtrahant, super hoc sibi licenciam procurando, nisi ad illam accedere nequeant sine scandalo vel gravamine corporis manifesto, sed, quam cito convaluerint et in hora qua conventus reficit prandere valuerint, ibidem comedant; servientibusque communibus infirmitorii sint contenti, nisi pro evidenti necessitate prior alicui de retinendo serviente sibi deputato graciam fecerit specialem. Nec ad prandium mensæ communis vel alterius loci in infirmitorio seculares quicunque, exceptis predictis juratis, invitentur, absque superioris domi existentis petita licencia et optenta.

Juniores fratres cum secularibus et maxime cum feminis sine fratre custode non loquantur, donec quartum ad minus annum in claustro se gesserint ordinate; cum majoribus tamen dignioribusque personis abbas hiis erit super hoc dispensandum, cum viderit expedire. Septa vel claustra

monasterii Sancti Sepulcri, nisi in abbatis vel prioris forsitan consciencia, [non] visitent fratres nostri, nec ad Sancti Laurencii hospitale vel in villam veniant, nisi bini ad minus et cum duobus ministris aliis comitati. Nec talis licencia, nisi raro et ex causa magna, cuiquam concedatur. Qui vero ad aliam quam ad ipsam quam licenciati fuerint domum ire presumpserint, graviter puniantur.

Omnibus autem et singulis fratribus mandamus quod de apostasia et de reditu cujuscumque fratris ad seculum, quam cito constiterit per evidentem quamlibit conjecturam, hoc sine mora abbati indicetur vel priori. Obedienciarii[1] nostri forinseci vel alii nostri fratres quicunque ultra dies quinque sine fratre socio extra claustra monasterii, die exitus eorum et reditus numerato, ultra quinque dies[2] moram non faciant, nec carnes presertim in publico comedant; nam/ hoc est contra regulam et contra [fo. 19b. omnimoda canonica instituta.

Item, pro tollendis scandalis occasionibusque peccandi, mandamus quod in nostris domibus extra septa mulieres quæcunque ad convivandum, commorandum, vel pernoctandum, aut eciam ministrandum intra grangias ventilandi, nullatenus admittantur, sine abbatis vel ejus principalis vicarii licencia speciali, mendicis exceptis. Mulieres eciam claustra monasterii nostri ex parte curiæ non introeant, salva gracia nobilibus facienda et honestis matronis per eum qui videlicet superior est in domo.

Item, ne remissio nimia viam aperiat viciis, seu facilitas veniæ audaciam transgressoribus tribuat delinquendi, salubriter duximus statuendum quod, si quis nostræ congregacionis monachus, pudiciciæ rupto freno, quod absit, de cetero super incontinencia convincatur, stallum perdat in posterum quod habuit in conventu. Nunquam celebret missam majorem in choro, nec administracio extrinseca sibi ex tunc aliquatenus committatur; observata nichilominus circa talem regulari disciplina, quæ consuevit observari circa hujusmodi delinquentes. Ne tamen in tyrannidem crescat rigor, si cordis contricio et humilitas operis hoc meruerint

[1] *Obedinarii*, MS. [2] *sine...dies*, supplied in margin.

evidenter, facultas dispensandi in predictis, pensatis culpæ circumstanciis, in arbitrio sit abbatis.

Pro tollendis eciam scandalis quæ in hospitali nostro de Sancto Laurencio contingere sepe solent, nostro approbante capitulo, firmiter ex parte Dei perpetuo precipimus observari quod nullæ mulieres, cujuscunque condicionis exstiterint aut etatis, ibidem de cetero admittantur; sed inpotentes presbiteri pauperes, necnon et illi famuli qui suas vires et etates in ecclesiæ nostræ servicio diucius expenderunt, alii eciam sexus virilis quos pia consideracione abbas ibidem preceperit collocari. Et, quoniam bona temporalia hospitalis predicti ampliata sunt, Domino largiente, pro divino eciam cultu ampliando, statuimus quod de cetero ibidem sint duo ad minus presbiteri pro abbate et conventu cotidie celebrantes, et preter hos sint fratres triginta. Custos vero ipsius loci tantum semel in ebdomada illuc vadat, vel bis, ex causa utili vel necessaria, non tamen sine fratre socio a priore saltem petito, precipue dum in ipso hospitali duraverint nunc sorores. Loca tamen ipsius hospitalis forinseca custos ipsius, uno capellano secum assumpto, vel fratre, aut clavigero/ dicti loci, vel alio equite competente, visitet [fo. 20. sicut ante. Item, familiaritates carnales, quæ caritatem veram inter fratres impediunt, ex parte omnipotentis Dei et sub interminacione anathematis perpetuo prohibemus.

Item, cum per constitucionem domini papæ Innocencii quarti sit arcius interdictum, ne ante annum probacionis completum ad professionem novicius aliquis admittatur, et eciam alibi in jure canonico sit statutum quod ad probacionem admissus novicius statim professionem faciat, anno probacionis elapso, mandamus quod nostri novicii ante completum probacionis annum ad professionem nullatenus admittantur; nec ultra annum completum ad plus per triduum eorum professio nullatenus differatur; tercio vero die post professionem eorum, permanentes in capitulo, juxta morem de observando statuto domini papæ Alexandri tercii extra de solucionibus, "Si quorundam," juxta ordinacionem domini abbatis Roggerii tercii a toto conventu unanimiter approbatam, sacramentum prebeant corporale. Hoc idem

singuli abbates hujus loci in sua prima creacione, secundum eandem ordinacionem, observare tenentur.

Item, cum deceat sitque dignum ut, qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem senciant in legibus disciplinam, de sacerdotibus secularibus ad nos volentibus ingredi, id quod regula titulo de eisdem precipit observetur, videlicet quod ipsis nichil de disciplina regulæ relaxctur, verum quod tales, usque ad completum triennium post suam professionem emissam, omnia officia faciant indistincte, quæ solent facere juvenes in minoribus ordinibus constituti. Cum reverendis tamen autenticisque personis poterit abbas, prout in hoc expedire viderit, dispensare.

Omnia denique particularia predecessorum nostrorum mandata, si qua aliquibus periculosa seu gravia visa forsitan fuerint, ad majorem securitatem conscienciarum fratrum nostrorum, quatenus, salvis regula et majorum statutis, secundum Deum possumus, revocantes, reformacionem hanc parvulam fratribus nostris carissimis committimus observandam, donec, juxta nostram in Christo Jhesu spem, super sancti patris nostri Benedicti regularibus observanciis, non dubium per diversarum consuetudinum corruptelas perperam intermissis, tradicionem juvante Domino excogitaverimus pleniorem. Omnes ergo hanc minimam inchoacionis reformacionem interim observantes, pacem in presenti et pacis eternæ premium recipiant in futuro, amen./ [fo. 20b.

De eleccione abbatis rubrica.

Cum electus fuerit aliquis in abbatem, ducatur a senioribus de capitulo in ecclesiam, precedente conventu cum ympno laudis, scilicet "Te Deum laudamus," sonantibus interim campanis in turri et campanili. Electus autem interim jaceat prostratus coram magno altari donec, terminato "Te Deum,"

dicat qui preest ordini versiculum, "Salvum fac servum tuum" et "Mitte ei, Domine," cum oracione, "Omnipotens sempiterne Deus, miserere huic famulo tuo et dirige eum." Qua dicta, ducatur electus ad corpora sanctorum, ut faciat ibi suam devocionem. Et interim ascendat aliquis discretus pulpitum et pronunciet populo eleccionem. Electus vero ducatur de ecclesia in cameram prioris, vel aliam sibi assignatam, in qua moretur humiliter, nichil de negociis intromittens, nisi sicut unus de fratribus, nec aliquam usurpet precipiendi potestatem, sed, exhibitis sibi non exactis fratrum officiis, sit contentus. Assignetur autem eidem in ecclesia, capitulo, et refectorio primus ordo in dextro choro, et alibi fratres aliqui qui sint secum per consilium seniorum. Similiter et fratres, qui secum debent proficisci pro benivolencia principis consequenda et benediccione optinenda, non propria eleccione accipiat, sed consilio seniorum. Cum vero benediccionis graciam fuerit assecutus, si extra propriam ecclesiam fuerit benedictus, in suo redditu cum processione solempni a fratribus admittatur, et ducatur a senioribus usque ad majus altare cum cantu majoris antiphonæ, ut moris est in hujusmodi processionibus. Dictisque super eum versiculis et colecta, ut supradictum est, de electo, ducatur ad stallum suum, et ibi ab illo qui preest ordini installetur, si alius presens non fuerit qui hoc specialiter accepit in mandatis; et tunc de cetero omnes fratres coram quibus transierit ad eum inclinent. Ubi cum fuerit collocatus, incipiat qui eum installavit ympnum "Te Deum laudamus." Qui dum cantatur, accedant ad eum fratres, sicut in ordine sunt priores, et faciant ei obedienciam manualem, primo scilicet flexis genibus manum osculando et os postea, et ad eum cum recesserint inclinando. Et, cum omnes ad sua loca redierint, det abbas benediccionem, secundum suum privilegium, et ex illo tempore in omnibus se habeat sicut abbas/ [fo. 21. consulendo, precipiendo, disponendo, et ecclesiastica solempnia quæ ad prelatum pertinent faciendo.

Quæ autem sint officia spectancia ad abbatem secundum consuetudinem hujus domus, hic breviter annotantur.

De observanciis abbatis.

Abbas tenetur ex officio in festis principalibus, quasi principalibus, et in festis majoribus duplicibus, vesperas, vigilias et laudes, horam quæ dicitur ante missam, et memoriam de festis hujusmodi celebrare; et erit in hujusmodi vesperis solempniter revestitus, scilicet in alba, capa, mitra, cirothecis, et anulo, cum baculo pastorali; stabitque inter vesperas festorum principalium et quasi principalium in sede sua, ministrante sibi uno suo capellano in alba et capa revestito pro libro ad dicendum capitulum tenendo, b[aculo][1] recipiendo et tradendo, mitra deponenda et recipienda, et duobus sacerdotibus similiter revestitis stantibus hinc inde in inferioribus stallis chori, qui ambo de choro exeant in fine ympni. Abbas vero ad nutum incipiat antiphonam super "Magnificat"; et, cum incipitur "Magnificat," veniant ad abbatem predicti sacerdotes portantes acerras cum thure, sequentibus eos duobus thuribulariis cum thuribulis, et, imposito thure ab abbate, ut moris est, quociens presens fuerit, accipiant ipsi sacerdotes turibula, turibularii vero acerras; sicque procedat abbas, sequentibus eum duobus sacerdotibus et capellano, ut moris est, ad thurificandum primo altare majus, deinde retro idem altare, et postea altare et feretrum sancti Augustini. Dexter sacerdos ministrabit abbati turibulum, et sullevabit capam abbatis dum thurificat; sinister vero turificabit altaria cum abbate. Cum autem abbas et sacerdos thurificaverint altare et feretrum sancti Augustini et duorum sanctorum adjacencium, prefati duo sacerdotes thurificabunt hinc inde reliqua altaria et corpora sanctorum, remanente interim abbate cum capellano suo coram altari sancti Augustini, et psalmum "Magnificat" persolvente. Predicti vero sacerdotes, cum omnia corpora sanctorum turificaverint, redeant ad abbatem; et sic, abbate precedente, intrent chorum modo quo exierant; et, cum abbas ad sedem suam venerit, thurificent eum primo duo sacerdotes simul, ut moris est, semper, sive unus fuerit sive duo, uterque de choro suo, deinde cantores. Seniores

[1] Left blank in MS.

vero cantorum hinc inde thuri/ficent ipsos sacerdotes, [fo. 21b. thuribularii vero reliquos de conventu. Dicta autem antiphona post "Magnificat," accedat ad abbatem dexter sacerdos, et teneat coram eo capitularium, dum dicit oracionem Dominicam et collectam, capellano abbatis de deponenda et ponenda mitra ministrante. Abbas vero, dicto "Benedicamus," post colectam, recedat si voluerit, data prius benediccione, vel magis post memorias speciales, si quæ dicendæ fuerint, sequente eo proprio capellano: et tunc exeat unus de sacerdotibus, sacerdote ebdomadario remanente, scilicet ad memorias persolvendas. Si tamen processio fuerit facienda et abbas voluerit interesse, incensabit abbas cum alio sacerdote, ut predictum est, altare ad quod fit processio, et dicet versiculum et collectam. Si autem fit processio tam solempnis quod cantores chori ferre debent candelabra revestiti, tunc non dabit abbas benediccionem usque in finem vesperarum, scilicet post ultimum "Benedicamus."

Ad vesperas autem festorum majorum duplicium, revestietur abbas, ut predictum est, sed stabit inferius in stallo suo, nec tunc revestietur capellanus abbatis, sed duo tantum sacerdotes, quorum dexter de recipiendo et tradendo baculo pastorali et de mitra ponenda et deponenda ministrabit, sinister vero de tenendo libro, cantor vero dextri chori de scabello abbatis demittendo et levando; et fient cetera, ut in festis principalibus est predictum, excepto si processio fuerit facienda. Tunc idem abbas dicet versiculum et collectam, sacerdos ebdomadarius ministrabit de libro, alter vero de mitra. Ad vigilias festorum principalium et quasi principalium, incipiet abbas terciam antiphonam primi nocturni, ad nutum scilicet cantoris, et cantabit versum ultimi responsorii stans in medio chori cum senioribus, qui ad hoc cum eo in tabula sunt ascripti; qui tamen antiquitus solebat legere ultimam leccionem; nec amplius faciet ad vigilias ex officio, nisi quod benedicciones dabit ad singulas lecciones et ympnum laudis "Te Deum" incipiet, sicut semper facere consuevit quando presens fuerit. Non tamen revestietur ad vigilias, sed, cum "Te Deum" inceperit, exeat et se revestiat, sicut ad missam, sine mitra,

cirotecis, et baculo. Cum vero conventus incipit "Per singulos dies," intret abbas cum servitoribus ecclesiæ superius ad magnum altare, precedentibus servitoribus, ut moris est, ad missam, capellano abbatis non revestito portante textum evangelii et ponente super analogium. Abbas/ vero interim accedat [fo. 22. ad altare et thurificet illud, et postea faciat inclinacionem devotam coram altari, et erigens se osculetur altare, et sic recedat ad legendum evangelium, ferente subsacrista lumen in absconsa et capellano ministrante abbati de eodem. Lecto autem evangelio, incipiet abbas solempniter "Te decet laus," et inclinet dicendo reliquum, conventu reliquum prosequente. Quo cantato, subjungat abbas oracionem, et post ipsam mox incipiat laudes, et sic recedat, precedentibus eum servitoribus, ut venerunt.

In nocte tamen Natalis Domini, dicta oracione post evangelium, exuat se abbas casulam, stolam, et manipulum, et induat capam et cyrothecas, impositaque mitra et accepto baculo, precedentibus servitoribus, eat cum processione in criptas, ad thurificandum, ut moris est, et ad dicendum versiculum cum collecta. Quicumque autem, preter abbatem, lecturus est hujusmodi evangelium, ipsemet portabit et reportabit codicem evangelii, ponet autem illud super altare dum thurificat. In nocte vero Natalis Domini, de qua predictum est, exutus, ut predicitur de abbate, ibit cum processione in alba tantum, non in capa. Ad laudes autem dicendas in festis hujusmodi, revestietur abbas cum duobus sacerdotibus, sicut ad vesperas est predictum, intrabitque chorum per inferiorem partem, precedentibus duobus chori cantoribus et duobus sacerdotibus ; nec habebit capellanum, sed ei tunc per omnia ministrabitur a sacerdotibus, cantoribus et thuribulariis, sicut ad vesperas majorum duplicium est predictum, ebdomadario subsacrista lumen, cum opus fuerit, ministrante. Et data benediccione recedet, vel post memorias speciales.

In festis vero majoribus duplicibus, secundum modernam consuetudinem, non revestietur abbas de nocte, nec aliquis alius, licet antiquitus fieret, sicut predictum est de festis principalibus, nec antiphonam incipiet nec responsorium cantabit, festo Johannis evangelistæ excepto. Leget autem

evangelium in frocco, ubi leguntur [pro] solito lecciones, capellano sibi absconsam cum lumine ministrante, et ibidem, dicta collecta, priusquam recedat, laudes incipiat, et faciet quicquid pertinet ad officium ebdomadarii sacerdotis, eodem ebdomadario librum tenente et subsacrista lumen ministrante. Nec portabitur incensum, sed fient cetera sicut in festis principalibus, excepta solempnitate revestiendi.

Notandum autem quod, in festis hujusmodi, quæ per Dominicam contingunt, dabit sacerdos ebdomadarius/ [fo. 22b. benediccionem super ebdomadarios coquinæ egredientes et ingredientes, priusquam abbas det benediccionem; similiter et quociens super fratres exeuntes vel revertentes et super hospites fuerit benediccio facienda, ad horam quam dicit abbas ante missam hujusmodi festorum, in sede sua, sicut predictum est, ad vesperas revestitus, et capellanus eidem ministrabit, alba tantum, sicuti conventus, revestitus.

Et si qua processio fuerit facienda, sive conventus eat in capis sive in albis, abbas semper in hujusmodi processionibus capa induetur; capellanus tamen abbatis non induetur capa ad processionem, nisi totus conventus sit communiter in capis; et tunc ibit ultimus post abbatem. Quando vero capellanus non induitur capa, ibit cum conventu in ordine suo, et hoc quia abbas tunc non indiget ministerio capellani, excepta die Purificacionis, Dominica Palmarum, et Exaltacione sanctæ Crucis. In aliis processionibus quæ habent stacionem in ecclesia, si sit in criptas, cum incipitur responsorium, turificabit abbas cum priore altare, et, cum ad loca redierint, finito responsorio, dicet abbas versiculum et collectam, capellano abbatis de tenendo libro, precentore de mitra deponenda et reponenda ministrante. Si vero fuerit stacio ante corpora sanctorum, postquam abbas cum priore incensaverit altare et feretrum sancti Augustini, secundum ordinacionem novam procedet prior ad turificanda corpora sanctorum et altare ex choro sinistro, aliquis vero de senioribus chori dextri ad thurificanda reliqua de choro dextro. Cum vero fuerit ventum ad stacionem in navi ecclesiæ, dum responsorium cum versiculo cantatur ibidem, sedebit interim abbas, si voluerit, stante capellano secus eum et tenente baculum pastoralem, curva-

cione ejusdem retroversa. Cantato autem responsorio, dabit abbas benediccionem, et incipiet postea, ad nutum cantoris, antiphonam vel responsorium pro ingressu, sicut semper facere consuevit cum presens fuerit, sive conventus fuerit revestitus, sive non. Et, cum ingressus fuerit chorum, dum conventus cantat responsorium vel hujusmodi, stabit superius in sede sua et capellanus ante eum, et inde exibit, et ministri cum eo, ut se preparent ad altare ; vel, si noluerit chorum ingredi, poterit divertere in vestiarium retro chorum.

Notandum autem quod abbas, in festis principalibus et quasi, solet uti omnibus pontificalibus indumentis, id est tunica, dalmatica, et sandaliis. Similiter autem in aliis festis, sandaliis duntaxat exceptis. Quando igitur abbas sandaliis/ vestietur, dum se calciat, incipiente cantore [fo. 23. antiphonam "Veni, Domine," psalmodiabunt astantes ministri altaris, cum capellanis abbatis, psalmos, sicut continentur in libro benediccionum episcopalium ; post quos, cantata antiphona et dicto "Kyrie" et oracione Dominica, abbas, si plene fuit revestitus, subjunget versiculos et collectas ad hoc assignatas, et inde procedet, ut est pontificaliter indutus, cum baculo pastorali, precedentibus servitoribus et sequente capellano cum libro benediccionum, solempniter ad altare, stratis ubique dorsariis sub ipso usque ad gradus altaris, scilicet ob reverenciam sandaliorum. Dum autem inclinet, vel cum dicit oraciones aut aliud quod spectat ad officium sacerdotis, et dum legitur evangelium, aut cum idem deosculatur, deponetur ei mitra ; alias vero, tam stans quam sedens, habebit mitram, donec dicturus sit "In spiritu humilitatis." Postquam autem accesserit ad altare, baculum non tenebit, nisi cum facit confessionem et absolucionem, et dum legitur evangelium, et cum ante percepcionem dat solempnem benediccionem. Licebit autem abbati, postquam a principio turificaverit altare et inceptum fuerit "Kyrie," sedere, cum placuerit, congruis intervallis, usque ad evangelium. Sedebit autem in cathedra prope altare, non in cathedra inferiori, ubi sedere solent alii sacerdotes. Cyrotecas vero et pontificalem anulum non deponet donec, post evangelium, descendit ad gradus altaris, ad suscipiendum oblacionem et manus

abluendum. Cum vero daturus est benediccionem solempnem, posito sagaciter super patenam Corpore[1] Domini quod prius tenebat in manibus, sumpto baculo et imposita sibi mitra, conversus det eandem, sicut continetur in libro. Finita vero missa, recedat per omnia indutus pontificaliter, sicut venit.

Quando autem abbas missam non celebrat, hujusmodi diebus vel aliis in quibus conventus communiter revestitur, si presens fuerit, stabit medius inter cantores indutus capa, mitra, cirotecis, cum baculo, oblacionemque faciet, et in fine missæ ascendens cathedram dabit benediccionem. Aliis vero diebus, quibus conventus non est communiter revestitus, si abbas missæ voluerit interesse, stabit in superiori stallo dextro in habitu suo eciam superius quam alii revestiti; et tunc recedere poterit cum voluerit, nec benediccionem dabit recessurus. Tamen ad eum veniet diaconus,/ [fo. 23b. benediccionem ante evangelium petiturus, et post evangelium ad osculandum offeret ei textum et acerram ad imponendum thus, et pacem sumptam a sacerdote portabit abbati.

Item, abbas die Cinerum benedicet cineres in habitu suo, sup[er]posita sibi stola, tenens in manibus baculum pastoralem; et benedictos cineres imponet singulis fratribus sigillatim, et ipse post omnes accipiet cineres a priore. Et, eodem die, ad processionem ibit ultimus cum baculo pastorali; et sic faciet ad omnem processionem in qua conventus non revestitur.

Ipse eciam benedicet cereos in die Purificacionis et palmas in die Palmarum in capa, mitra, et cirotecis, cum baculo pastorali; et eodem modo incedet ad processionem.

Item abbas, quociens fuerit ad vesperas vel laudes, incipiet antiphonam super "Magnificat" et "Benedictus," exceptis antiphonis vij. ultimis per O incipientibus ante Natale, quas solent obedienciarii, ut sunt seniores, gradatim incipere vel cantores. Similiter, quociens thus est portandum, imponet illud abbas, si presens fuerit. Similiter, quando presens est abbas, dicet in audiencia oracionem Dominicam ad vesperas et ad laudes, et dabit benediccionem priusquam recedat.

[1] *corporis*, MS.

Ipse eciam dabit benedicciones leccionum, cum presens fuerit, et leget evangelium in festis xij. leccionum. Et sciendum quod abbas, si domi fuerit, tenetur interesse omnibus vesperis xij. leccionum et supra, et eciam vigiliis, sed non tenetur laudibus interesse, nisi quando personaliter facit officium sacerdotis, excepta feria quarta ante Natale Domini et vigilia ejusdem, sive per feriam contigerit sive per Dominicam. In aliis feriis per annum non tenetur vesperis aut vigiliis interesse, nisi in triduo ante Pascha, et per totam ebdomadam Paschæ et Pentecostes, quæ comparantur festis xij. leccionum, et nisi quando presens erit ad vesperas, quando antiphona "O sapiencia" debet inchoari, pro eo quod ipsemet solet eam semper inchoare.

Item, abbas non tenetur interesse vigiliis defunctorum, nisi in officiis principalibus, vel pro funere fratris presenti, et tunc solet recedere laudibus inchoatis.

Explicit de abbate.

De capellanis abbatis rubrica.

Capellani abbatis faceti debent esse et discreti et affabiles omnibus extraneis precipue. Caritatem abbatis ad conventum, et conventus ad abbatem, in quantum possunt, tenentur nutrire. Cotidie, si commode possunt, ambo missam celebrare debent, ita scilicet quod, si abbas post primam missam celebraverit, alter cum adjutorio camerarii abbatis celebret si potuerit, nulla/tenus tamen nisi mundi et [fo. 24. confessi debent celebrare. Abbati autem, quia semper presens est, confiteantur, si voluerint. De missa prima et horis dicendis cotidie, et ad ministrandum abbati in ecclesia, uterque eorum septimanam suam teneat; alter alterius, et precipue junior senioris, vices semper cum necesse est tenetur suplere. Item, in presencia abbatis, in quantum possunt, ambo semper esse debent; quod si unus eorum alicubi missus fuerit, alter nullatenus se interim debet absentare, nisi fratrem aliquem loco suo dimiserit. Item, uterque vel eorum alter vel aliquis saltem monachus, precipue si sunt hospites, in presencia

abbatis, nisi forte inter prandium, stare tenetur. Ambo eciam sequentur abbatem, quocunque extra ierit, vel alios pro se substituent. Psalterium et diurnale semper secum habeant, et aperte et distincte omnia dicenda dicant. Ad missas autem, precipue quæ proprium habent servicium, gradale in manibus habeant, et sine libro nichil dicant nisi sint securi. Si vero aliquis eorum per unum diem vel ultra absens fuerit, inquisita prius abbatis voluntate, aliquis de claustro interim advocetur.

Item, cum omni sollicitudine provideat uterque, et senior precipue, quod omnia, tam circa familiam quam circa alia statum abbatis tangencia, cum discrecione et honestate ubique disponantur; item, quod ea quæ sine presencia abbatis emendari possunt comode vel expediri, antequam ad ipsum perveniant, corrigantur et sapienter ordinentur. Senior autem ipsorum curam cellarii abbatis habere debet; ne sit ibi defectus vini, simul cum thesaurario tempestive providebit. Claves cellarii, precipue de noctibus, semper secum habeat. Vinum abbatis, intus vel foris, vastari non permittat, nec sine precepto vel licencia abbatis inde aliquid extramittat. De exenniis faciendis sollicite provideat quod mittantur honorifice. Species eciam cameræ debet custodire, et ne defectus inde sit tenetur providere, ac camerario[1] abbatis, sicut opus fuerit, inde liberare.

Item, aurum abbatis et jocalia et cetera cameræ utensilia per scriptum debet recipere, et ad cotidianum usum necessaria dicto camerario per scriptum liberare. Item, providere debet quod in camera abbatis, secundum quod de communi consilio provisum est, semper sint decem libræ ad minus in pecunia, quas de thesaurario debet recipere et singulis ad minus mensibus inde cum eisdem computare. Item, eciam elemosinas abbatis per vias debet distribuere, vel, si abbas in itinere est, ejus palefridario pecuniam tradere,/ secundum [fo. 24b. preceptum abbatis distribuendam. Item, si abbas extra fuerit, ipse cum senescallo, coco, et ceteris singulis noctibus debet computare, et de servicio sequentis diei ordinare. De receptis eciam tocius anni et expensis semel ad minus in anno coram abbate debet respondere. Item, de hospitibus curam

[1] *camerarius*, MS.

habere debet precipuam. Et, si abbas domi fuerit, secundum numerum hospitum vocacionem fratrum ad mensam abbatis temperet, ne sit ex inproviso defectus, quod absit, in coquina. Hæc omnia, cum absens fuerit junior, pro eo faciat; et quilibet ipsorum vices alterius, cum necesse fuerit, diligenter suppleat.

Junior ad prandium abbatis legere tenetur ubique, vel aliquem pro se rogare, nisi abbas in itinere fuerit, nec sanguine minutus sit vel infirmus, vel in refectorio comederit cum conventu.

De officio camerarii abbatis.

Camerarius abbatis, in quantum potest, nocte et die presens esse debet; et, si exierit, dicere debet valeto cameræ ubi, si opus est, poterit inveniri. Cotidie eciam mane debet se offerre, si forte opus est, ad ministrandum in capella.

Ipsius est dictare et precipue scribere ea quæ sub sigillo abbatis sunt mittenda, et si qua forte alia per abbatem sibi fuerint[1] injuncta. Quando vero abbas in aula vult comedere, mappas et manutergia et cetera ad mensam abbatis et aliorum, si necesse fuerit, pertinencia in aula panetario faciet liberari. Tunc eciam de cuppa abbatis per totum serviet prandium, quam[2] coram eo ponet simul cum apponitur ei panis; quo facto, cuppam apponet argenteam in mensa juxta eum vacuam; picherum eciam argenteum cum aqua et aliis cyphis argenteis per valettum cameræ faciat apportari, pulcriores ciphos collocans ante eos qui a dextris et a sinistris propinquiores sunt abbati. Deinde per eundem valetum faciat vinum apportari, et, cum secundum ferculum fuerit appositum, vino cuppam abbatis impleat et aliorum juxta abbatem sedencium, vel hoc valetto hostilariæ injungat qui ad hoc deputatur, vel alteri honesto. Deinde valecto cameræ injungat ubi et coram quibus vina ponere debeat. Ipse eciam considerare debet, ne defectus vini alicubi fuerit coram honorabilibus personis, et precipue in majori mensa. Post prandium ad benediccionem et ad potum primum solummodo cuppam apportabit.

Et sciendum quod semper ante prandium/ species [fo. 25. preparabit, quas ad abbatis interrogacionem post prandium

[1] *fuit*, MS. [2] *qui*, MS.

distribuet, vel, si abbas in speciebus petendis nimium tardaverit, eas valecto cameræ tradet distribuendas ; et postea cum sociis suis comedat.

Quando autem abbas in camera sua comedit, cuppam in principio, quando panis apponitur, coram eo ponat, postea locum tenens senescalli serviendo de coquina. Item, semper si presens est de cuppa debet servire, nisi debilis sit vel minutus vel circa necessaria occupatus.

Et sciendum quod ab omnibus homagium abbati facientibus dimidiạm marcam habere debet vel exterius indumentum, quod tamen curialiter et cum mansuetudine, antequam recedant, debet vendicare.

De officio senescalli aulæ rubrica.

Officium senescalli aulæ est quod, quando abbas in aula debet comedere, die precedente in vesperis, ante completorium, abbatis cum cellarario et coco venire [debet] ad abbatem, ut de voluntate sua et de hospitibus inquirat invitatis, ut cellararius cum consilio suo et coci sic possit ordinare quod in crastino cum discrecione prandium paretur et honore.

Debet eciam cotidie liberacionem aulæ, si potest, supervidere. Cum autem laverit abbas et inceperit sedere, convocet quos providerit ad serviendum deputatos. Incepta leccione, statim incipiat servire ; semper post potagium, quam cito poterit, primum apponat ferculum, et sic de aliis, quam cito se plene expedierit, incipiat statim de aliis servire, sine interrogacione propter quod providere debet, ne unquam vocetur donec omnia rite sint parata.

Precipuam eciam habeat curam et sollicitam de extraneis forsitan minus bene collocatis, ut eis precipue bene serviatur ; qui, si aliquem defectum viderit de coquina, hoc sine mora cellarario notificet, ut statim emendetur. Hæc eadem, si presens est, faciat per omnia, quando prior vel magnus aliquis ad sumptus nostros in aula comederit. Si vero consiliarius abbatis, vel phisicus, senescallus curiarum, vel monachus aliquis, vel aliquis hujusmodi ibi comederit, de primo ferculo serviat, et postea, si vult, comedat. Valectum

suum, qui propter hoc honestus sit, pro se ad serviendum relinquat. Si vero simplex tantum fuerit familia, providebit cellararius de vallecto ipsius senescalli, stabulario, et aliis ad serviendum, prout opus fuerit.

Quando vero abbas in camera commederit, ipse, postquam commederit in aula, marescallum aulæ secum debet assumere, ad serviendum in camera,/ dum camerarius [fo. 25b. et alii qui servierunt in camera comedunt. Et, si in camera aliquis magnus vel multi fuerint hospites, duos alios sibi associet de libera familia.

Ad compotum eciam coci et panetarii in vesperis debet esse cotidie coram celarario vel capellano, si abbas extra fuerit.

Feodum non habet, sed in liberacionibus, donis eciam et oblacionibus, honorabilius est respiciendus.

De officium marscalli aulæ.

Officium marscalli est quod quando abbas, prior, vel aliquis magnus ibi comederit, aquam ante prandium et post ministrabit. Sollicitus semper sit de hospitibus, quod honorifice et debito modo pro posse suo collocentur; quod si aliter, quod absit, contigerit, hoc dicat senescallo, ut congrue serviatur eisdem, si locum talium in melius mutare non possit; nec debet permittere quod precipitanter modo solito mensam ascendat familia. Impediat eciam stantes quandoque ante mensas, ne cibum aliquorum vel pocius extraneorum maxime capiant vel asportent.

Item, non sustineat tumultum vel dissolucionem in aula, precipue inter garciones; quod si aliquem de familia obstinatum invenerit vel rebellem, extra aulam, donec humiliatus satisfecerit, faciat detineri. Curam eciam habeat quod quicunque de nostra familia venerit post servicium primi ferculi, illud amittat, nisi de precepto superioris absens fuerit forte. Castiget eciam ossa, brodium, servisiam in terram projicientes. Videat eciam ne aliquis de familia ferculum sibi appositum mittat, donec ferculum sequens fuerit appositum, et tunc, si necesse fuerit, de licencia socii

sui hoc faciat. Curet eciam ne aliquis surgat de prandio, donec mappa coram eo sit abstracta. Quod si aliquos de nostris semel amonitos obstinatos invenerit vel rebelles, extra aulam detineantur donec emendaverint.

Supplere eciam debet vices senescalli aulæ, cum absens fuerit. Et sciendum quod nisi abbas, prior, vel magnus aliquis in aula comederit, semper, postquam hospites et familiam bene ordinaverit, licitum est ei comedere; et interim serviat famulus ejus, si quis fuerit.

De officio servitoris cultelli abbatis.

Servitor cultelli abbatis honestum in humeris suis semper habeat manutergium et duos ad minus bene scindentes cultellos, quos, si necesse est, mundatos post servicium in manutergio suo involvat, et valetto cameræ tradat reponendos in loco/ sicco: nec servire incipiat, donec leccio [fo. 26. inchoetur. Si vero abbas in camera comedat, panem suum apponere debet, et inter alia de cuppa in prandio et ad benediccionem servire tenetur. Sic eciam vices camerarii semper suppleat de cuppa, cum sibi vacaverit.

De officio servitoris manutergii abbatis.

Servitor manutergii pulcrum et mundum habeat manutergium; semper proximus sit pro posse senescallo; primum ferculum et salsam in manu dextra portet, et sinistra manutergio illud cooperiat. Ultimo servicio de coquina finito, manutergium deponat. Item, de cuppa abbatis et omnibus aliis honestis serviciis serviat, cum necesse viderit.

De officio panetarii abbatis.

Panetarius semper ante prandium panes in aula comedencium recipere debet in cellario tempestive; et, quando abbas ibi comederit, ante prandium a camerario abbatis vel valecto cameræ mappas, manutergia, salarium, et cetera ad mensam abbatis pertinencia munda et honesta recipiat

hora competenti; quæ omnia ponat et amoveat, sicut est consuetum. Nec sustineat quod extranei de officio suo defectum paciantur. In sero cum senescallo et coco coram cellarario cotidie, vel capellano, si abbas extra fuerit, de recepta panis debet concordare. Quando vero abbas, prior, vel aliquis magnus in aula non comedit, post distribucionem panis cum suis potest comedere sociis, relinquendo tamen valectum suum, qui idcirco honestus sit semper, pro eo ad serviendum.

De officio marscalli equorum.

Marscallus equorum vices marscalli aulæ, cum necesse fuerit, tenetur supplere, et ipsum in aquæ prestacione et in aliis quæ potest, cum necesse viderit, debet adjuvare. Ipse liberaciones equorum, et maxime palefridorum abbatis, in granario debet cotidie supervidere. Si abbas extra fuerit, ad ipsum pertinet avenam et fenum liberare, et emere ubi necesse fuerit. Omnium eciam equos, qui ad liberacionem ferrorum et clavorum abbatis sunt, intus et extra medicinare debet, cum opus fuerit, et ferrare. Caveat autem ne equi predicti per se vel per vallectum suum inclaventur, et precipue equi de stabulo abbatis, quos propriis manibus tenetur semper ferrare, sicut statum suum retinere desiderat.

Ferra consumpta et confracta, cum extra in maneriis abbas fuerit, ex feodo habere debet; domi vero non, sed thesaurariæ debet restituere/, cum ibi nova recipit. [fo. 26b.

De officio coci abbatis.

Cocus abbatis, sicut dictum est de senescallo, quando abbas in aula comedit, die precedente cum cellarario et aulæ senescallo, ante completorium abbatis, veniet ad abbatem, ut de voluntate sua et hospitibus inquirat invitatis, ut cellararius cum consilio senescalli et suo sic possit ordinare, quod in crastino cum discrecione prandium paretur et honore. Die eciam precedente providere debet ut salsa cibaria, si qua sunt, temperanda tempestive recipiat. Cum emptoribus celerarii in villam debet ire, quando abbas domi fuerit, ut

sibi et suis hospitibus de melioribus semper emant; extra vero similiter faciat. Liberacionem cotidie tempestive recipiat, ut semper, cum abbas domi fuerit, post evangelium magnæ missæ ad prandium ire possit, si voluerit.

Propriis manibus quicquid ad opus abbatis pertinet tenetur parare, nec quemcunque alium manus in cibos abbatis vel salsas [injicere],[1] in quantum potest, debet permittere. Cotidie eciam supervidere debet coquinæ utensilia, ne sordes in eis neglegantur[2] per valectum vel in aliis cibis contingentibus, quoniam sibi in omnibus suis decentissima et pernecessaria est mundicia.

Ipse sine salsamentis bonis nunquam debet esse, quæ propriis quidem manibus tenetur parare, vel saltem, dum parantur, presens sit et diligens de salsamentis abbatis. Vastum fieri non permittat, maxime de zinzibero.

Argentea coquinæ utensilia diligenter statim post prandium recolligat; de ipsis eciam tenebitur respondere, et ea cotidie post prandium vel cenam abbatis camerario vel cameræ valecto resignabit, et ea requiret in crastino.

Portam coquinæ versus curiam semper, postquam cum liberacione intraverit, obserare debet, nec eam apertam aliquando stare sinat.

Feodum quod sibi conceditur extra portas ferri non faciat, donec cellararius vel magister capellanus aut eorum attornati illud superviderint.

De officio valecti cameræ abbatis.

Valectus cameræ, quando abbas in aula comedet, mappas mundas et manutergia, salarium abbatis, cultellos et coclearia panetario ante prandium tempestive liberabit; vina et ciphos argenteos ad summonicionem camerarii afferre debet, et secundum dictum ejus distribuere; et postea comedere ad hostium scilicet cameræ, ut post prandium, dum camerarius comedit, vices ejus, cum necesse est, suppleat et cameram custodiat. Item, inter prandium suum semel debet/ surgere et circuitum per mensas [fo. 27.

[1] Some such word seems to have been omitted. [2] *neglegentur*, MS.

in aula caute facere, ut defectus vini vel aliorum ad cameram pertinencium de consilio camerarii, sicut expedit, corrigantur.

Ipse omnia servicia ad lectum, pedes, et alia ad secreta abbatis pertinencia diligenter debet facere, et ad hoc specialiter intendere. Necessaria eciam a camerariis, secreta vero a thesaurario, cum necesse est, recipiat, et de omnibus sibi commissis fideliter respondeat.

Ceram cum camerario abbatis per talliam debet a thesaurario recipere, et inde candelas facere debet et torticios, quæ camerario abbatis per pondus liberabit, et inde necessaria per cameram et aulam expendenda[1] a camerario recipiet.

Quando camerarius absens est, ipse vices ejus in omnibus, in quantum scit[2] et potest, tenetur supplere. Cameram sine custodia nunquam debet relinquere, quin in loco suo dimittat camerarium vel ad minus cameræ hostiarium. Si exierit, semper cito redeat, nisi licenciam morandi habuerit specialem.

Cum abbas in camera sua comedit, ipse ante prandium panem et servisiam in cellario tempestive querat, et inde cellerario fideliter respondeat. De vino et servisia omnibus servire debet in prandio, necnon et de pane, excepto abbate, coram quo cuppam in principio apponet camerarius, et panem similiter servitor cultelli. De cuppa vero inter prandium servitor cultelli ministrabit.

De officio subpincernæ.

Subpincerna serviens in aula ciphos sibi traditos mundos et siccos custodiat, et semper post servicium in claustura reponat. Liberacionem servisiæ sibi factæ fideliter expendet et discrete; nec familiaritatem aliquorum respiciat, sed honorem domus. Sollicitus eciam semper sit, ne extranei precipue ex officio suo defectum paciantur. Si vero sua liberacio propter supervenientes forte non sufficiat, hoc statim cellarario indicet, ut emendetur. Si quid vero de liberacione sibi fuerit residuum, de sciencia cellararii in crastino reservetur ad prandium, vel, si magis expedit, ad cellarium reportetur.

[1] *expendendum*, MS. [2] *sit*, MS.

De officio subhostiarii aulæ abbatis.

Subhostiarius aulæ semper sit ad hostium, nec aliquem recipiat nisi familiam sibi assignatam; nisi cellararius sibi pro aliquo preceperit; vel monachus personaliter aliquem adduxerit; vel talis extraneus supervenerit, cui introitus honeste negari non poterit. Ipse ribaldos ad hostium aulæ stare non permittat, nec super gradus post primum ferculum aliquem sibi associet; et ad hostium aulæ semper comedat. Omnibus et maxime extraneis cu-/ [fo. 27b. rialiter respondeat et benigne; nec permittat aliquem ferculum extra aulam portare, donec de secundo serviatur. Curet eciam ne aliquis surgat de prandio, vel aulam exeat, donec mappa coram eo abstrahatur. Canes nec in prandio nec die vel nocte, pro posse suo, in aula morari permittat.

De officio coci aulæ et valecti ejus.

Cocus autem aulæ et valectus ejus ita bene et honeste preparent et tractent cibaria comedencium in aula, quod nulla querela ex eorum defectibus ad aures deveniat abbatis, sicut statum eorum retinere desiderant. Nec aliquos ribaldos intrare coquinam permittant, vel secum retineant. De ferculis receptis in vesperis cellarario respondeant. Vasa coquinæ et alia utensilia sibi tradita munda custodiant.

De nuncio abbatis.

Nuncius abbatis in nunciis faciendis prudens esse debet et facetus, audax et inpiger et fidelis. Semper promptus sit et paratus, nisi absens fuerit ex precepto. Nichil extra recipiat, nisi forte de licencia, et hoc in redditu suo indicabit abbati. Ad ipsum pertinet rumores scire, de transeuntibus et commorantibus inquirere, et abbati vel capellanis intimare.

In aula eciam, et precipue in camera abbatis, ad serviendum de coquina et ad omnia alia servicia quæ scit et potest nocte et die, cum domi est, semper debet juvare, et precipue quando abbas in aula comedit vel in camera. Vasa coquinæ abbatis argentea, cum adjutorio valecti elemosinarii, debet inter prandium sollicite recolligere et ad coquinam reportare.

De palefridario abbatis.

Palefridarius abbatis, cum abbas est in equo, frenum ejus, in quantum potest, semper sequi debet. Elemosinam eciam, sibi ad distribuendum pauperibus commissam, fidelissime custodiat; quia inde redditurus est racionem in die judicii, si fraudem aliquam fecerit.

Item, quia sub se pagettum habet, et ubicumque abbas sit propter palefridum debet esse presens, hostium cameræ abbatis ubique custodiat, nisi aliter abbas ordinaverit. Ipse mane, cum palefridum paraverit, ad adjutorium valecti in camera et ad custodiam hostii veniet, et usque ad cubitum abbatis non recedet, nisi forte pro necessitate nuncium vel aliquem de sociis ad hoc aptum loco suo dimiserit.

Ipse eciam hostium versus claustrum, quando abbas in camera/ comedit, post primi ferculi plenarium ser- [fo. 28. vicium, cotidie debet claudere; hostium versus coquinam, postquam abbas laverit post prandium, cotidie firmabit.

Sellas abbatis veteres habere debet ex feodo.

De officio servientis elemosinarii, mensæ abbatis deputati.

Serviens elemosinarius, mensæ abbatis deputatus, honestus sit et fidelis. Prandium aliquorum, nisi de voluntate et sciencia eorum, amovere non presumat, precipue dum inde comedant, vel donec sequens ferculum eis fuerit appositum. In aula de barillis et picheris coram abbate, et ad implendum ciphos alibi, ubi necesse fuerit, debet adjuvare. Hæc eadem

in camera debet facere, cum abbas ibi comederit, et ad serviendum de coquina ibidem adjuvabit.

Item, ipsius est specialiter, sive abbas in aula comederit sive in camera, vasa coquinæ abbatis argentea sollicite cum adjutorio nuncii abbatis, si presens est, recolligere inter prandium et ad coquinam reportare. Caveat autem, sub amissione servicii sui, ne secreta cameræ nullatenus revelet.

De honestate aulæ.

Pro honestate aulæ et hospitum honore servando, volumus quod de cetero cellararius vel ejus socius semper in aula comedat, maxime in diebus piscium; et unum socium de claustro, de sciencia prioris, in ordine secum assumat. Volumus eciam quod omnes bonæ[1] consuetudines, quas libera nostra familia temporibus predecessorum nostrorum habere consuevit, intus et extra plene de cetero optineant. Insuper, propter melioracionem status aulæ et liberæ nostræ familiæ, placet quod extra Quadragesimam cotidie in aula liberetur cena ad opus liberæ familiæ nostræ et hospitum, excepta sexta feria per totum annum et feria quarta in Adventu et aliis solempnibus jejuniis. Feria tamen sexta a Natali Domini usque ad Purificacionem cenabunt qui voluerint. Ignis eciam in prandio et cena eorum preparetur semper, cum necesse fuerit, a festo scilicet Omnium Sanctorum usque ad Purificacionem beate Mariæ. In quo eciam tempore, quando cenant, liberentur marscallo aulæ xj. candelæ vel alicui in loco ejus existenti; quando vero non cenant, tres tantum, secundum morem solitum, nisi extraneus ibi fuerit, et tunc liberentur quotquot opus fuerit. Hospites igitur omnes, sive religiosi sint sive non, ibi de cetero co/medant et cenent, nisi ad abbatis [fo. 28b. cameram fuerint specialiter vocati, vel nisi tam tarde vel extra horam prandii supervenerint, quod in aula commedere non possunt.

Memorandum quod nullus de familia libera, dum cenant, faciat suum garcionem in aulam vocari; nec hoc marscallus et precipue hostiarius aulæ hoc permittant.

[1] *bonas*, MS.

Oblaciones per obedienciarios nostros semel in anno, in vigilia scilicet Natalis Domini, generaliter tribuendæ nomine abbatis sub forma subscripta; quam formam nulli licebit transgredi, nisi de licencia speciali. Familia tamen obedienciaria propria hic non comprehenditur.

Thesaurarii consiliario abbatis, senescallo curiæ, et ceteris aurum dent more solito. In denariis pro oblacionibus dandis thesaurarii et alii obedienciarii istum communem modum observent, videlicet quod consiliario abbatis, [et] senescallo curiæ, nichil dent pro oblacione. Phisico tamen abbatis, si conventui similiter servit, singuli duos solidos tribuant, vel aurum ad valorem. Camerario autem abbatis, et aulæ senescallo, et clerico curiæ, sex denarios tribuant. Aliis vero armigeris, tam abbatis quam aliorum, tres denarios conferant. Valectis vero de officio duos denarios, garcionibus unum donent. Janitori vero curiæ, et hostiario pistrini, et servienti cellarii, si personaliter servit, et duobus magistris cocis conventus, sicut armigeris, tribuant. Clerico autem ecclesiæ et hostiario coquinæ conventus, coco aulæ, servienti hostilariæ, subportario curiæ, et magistris pistori et braceatori, tribus servientibus ecclesiæ, magistris servientibus infirmariæ et sartrini, et duobus servientibus balneatorii, sicut vallectis officiorum, donent. Aliis vero omnibus singulos denarios more solito tribuant.

Item, modus dandi munera familiæ abbatis semel in anno, quando vadit per maneria.

Consiliario abbatis, senescallo curiæ, et phisico abbatis, si cum eo venerint, dentur singulis species, aurum, vel ocreæ ad valorem quinque solidorum vel circiter. Camerario vero abbatis, senescallo aulæ, et clerico curiæ dentur duo solidi. Ceteris armigeris caligæ bonæ. Valetis vero de officio sex denarii, garcionibus de stabulo abbatis tres denarii, ceteris vero duo denarii, tribuantur.

Ordinacio familiæ, anno abbatis Nicholai secundo, circa festum sancti Nicholai.

Consiliarius abbatis, cum uno socio, uno armigero, pueris et equis, si voluerit. Phisicus abbatis et con/ventus, [fo. 29. cum uno armigero, duobus pueris, et duobus equis, si voluerit. Senescallus curiarum, cum uno armigero, tribus pueris, et tribus equis. Clericus curiæ, cum uno puero et uno equo. Camerarius eciam abbatis, qui est pincerna, cum uno puero et j. equo. Senescallus aulæ, cum uno puero honesto et j. equo. Marscallus eciam, qui est hostiarius aulæ, cum j. puero et j. equo. Servitor cultelli abbatis, cum uno puero et j. equo. Servitor manutergii abbatis, cum j. puero et j. equo. Panetarius, cum uno puero honesto, fideli et discreto, et j. equo. Marscallus equorum, cum uno puero, sciente ferrare, et j. equo. Magister cocus abbatis, cum j. puero honesto et sciente, sine equo. Valettus cameræ abbatis sine (*sic*). Clericus thesaurarii. Citharista. Hostiarius cameræ. Scriptor abbatis. Subpincerna, serviens[1] in aula. Subhostiarius aulæ. Vigilator curiæ. Nuncius abbatis. Venator, cum uno puero. Sex pueri de stabulo abbatis. Item, cellararius, cum j. clerico, ij. pueris, et ij. equis. Clericus sacristæ et duo pueri. Clericus ecclesiæ. Clericus camerarii, iij. pueri, iij. equi, quando socius sit senescalli; aliter contentus sit ij. pueris et ij. equis. Bedellus curiæ, cum j. puero et j. equo. Cocus aulæ, cum uno puero honesto et sciente. Valectus hostelariæ. Stabularius, qui est eciam avenarius.

Summa ferculorum in camera abbatis, ferculo suo computato : ix. quatuo[r] cursuum.

Summa ferculorum liberæ familiæ in aula, cum tribus perendinantibus : xvj. trium cursuum.

Summa ferculorum puerorum et aliorum : xvj. duorum cursuum.

Summa omnium istorum : xxxij.

Summa ferculorum liberorum, preter predicta, per officinas et extra portas cotidie : $\overset{xx}{\text{iiii}}$. ix. unius cursus.

Item, preter ista liberantur per annum cxiij. fercula carnium et viij. fercula piscium.

Summa istorum per annum, dcxij.

[1] *servientis*, MS.

De hiis quæ ad abbatis presenciam et officium spectant; atque de fratre in abbatem electo, qualiter se geret eleccionis tempore. [fo. 29b.

Abbas, qui Christi gerens vicem preest ceteris in monasterio, quociens post antiphonam aut responsorium inchoatum inclinat, et cum in psalmodia seu quavis aliqua re fallitur in choro, pro qua veniam esset petiturus, inclinabunt suppliciter omnes quotquot fuerint de utroque choro. Atque, eunte eo ad legendum vel redeunte a legendo, assurgent ei reverenter qui propinquiores existunt, et, transeunte eo per claustrum vel per quemcumque alium locum ubi sederint fratres, assurgent ei omnes suppliciter inclinando juxta quos transit. Si vero steterint, proni detectis capitibus suppliciter assistent, dum per eos transit. Cui, cum capitulum hora capituli aut collacionis ingreditur, fratribus considentibus, omnes pariter assurgent et stabunt inclini dejectis capitibus donec idem sedeat; non tamen simul omnes, sed gradatim hinc inde quaterni aut quini, inclinabunt, dum ante eos transit; ita quod prior et qui ex altera parte propinquior est, quasi in stacione sua illum reverenter statuentes, manus ejus cum genuflexione osculentur. Et si in capitulum tarde advenerit postquam loqui inceperint, dicente eo "Benedicite," inclinabunt se omnes; et ubicumque hæc dicit, fiet idem ab audientibus. Et quociens in tabula in capitulo nominatur, si ibidem presens est, inclinari debet a toto conventu, ut sunt sedentes, Ubicumque autem fuerit, ordo et regularis disciplina semper esse debet. Quapropter, in quocumque loco extiterit, sive in claustro sive extra claustrum, cum reprehenderit aliquem fratrem inordinate agentem vel loquentem, mox ille coram eo humiliter veniam est petiturus, sicut in capitulo; quo facto, jussus surgere, tamdiu stet ante illum donec eum sedere jubeat. Et si viderit eum irasci, tamdiu est satisfacturus ante ipsum veniam petendo, quousque illum reddat placatum. Abbas vero sagaciter providere debet ne hoc coram secularibus viris aliquo modo fiat; sed neque hæc coram eis fieri pro aliqua permittat, nimirum ut non deceat ut oretenus aliquem fratrem coram secularibus acriter reprehendat.

Ubicumque sederit, nullus juxta eum sedere presumet, nisi ipse jusserit. Jussus vero sedere, ad genua ejus se/ [fo. 30. flectet pro more antiquo, et ea si permiserit osculabitur, et sic humiliter juxta eum sedebit. Quicumque ei in manum aliquid dederit aut obtulerit, vel de manu ejus aliquid acceperit, manum ipsius osculabitur, reverenter genuflectendo ante ipsum pro more antiquo, si sederit. Intraturo in refectorium hora refeccionis, duo fratres, ad skillam ministraturi, una cum priore de aqua et de manutergio ei servient. Aqua vero calida, tam ante refeccionem quam post, quolibet anni tempore per refectorarium eidem providebitur, atque prior, aut qui loco ejus pro tempore extiterit, una cum abbate post refeccionem ibidem remanebit, et cum duobus ex coquinæ servitoribus aquam manibus suis denuo ministrabit. Abbatis vero incumbit dignitati benediccionem dare super levitam qui evangelium est lecturus, quocienscumque ad aliquam missam in choro extiterit; qui eciam, lecto evangelio, librum est osculaturus ante sacerdotem, priore ex consuetudine antiqua vel eciam diacono librum reverenter ei protendente, atque, ministrante ei sacrista, oblacionem panis et vini faciet, necnon et generalem incipiet confessionem; manibusque sacerdotis aquam ministrabit tam ad finem missæ quam post offertorium. Pacem a sacerdote recipiet, eciam si missa in capis celebretur. Et, quando incensum ministrare debet, ab eodem turibulo inponetur, tam ante evangelium quam post offertorium et ad introitum missæ. Qui licet ad tres oraciones quæ post completorium fiunt non sit aliquo tempore, nec ad tres oraciones seu xv. psalmos ante matutinas, nec eciam ad oracionem quæ fit ante vesperas, sed nec ad oracionem quæ fit ante primam, eo quod primam in conventu nullatenus cantat tempore moderno; ipsius tamen est, quociens in conventu fuerit, ad horas diurnas, sicuti per tres dies ante Pascha et in diebus Rogacionum, oraciones solitas, quæ ante ipsas horas fiunt, manuum sonitu terminare debet; quod a priore vel aliis in choro nulla vice manibus fiet, sed semper cum aliquo sedili, nisi solummodo ad tres oraciones ante matutinas, post completorium, et ad

primam. Abbas vero, quando vesperas in conventu cantat, indutus eas incipiet. Quando vero potum caritatis inter collacionem sunt habituri, stabunt hinc inde singuli in ordine suo, ut refectorium ingrediuntur, inferius ante mensas detectis capitibus suppli/citer inclinati, dum abbas transit; [fo. 30b. qui cum pertransierit, vertent continuo ad orientem vultus suos, a loco se nullatenus amoventes, si recta et antiqua consuetudo servetur, donec se dompnus abbas ante et retro inclinaverit, superiusque ascenderit, et ad skillam sedeat; tunc enim continuo omnes ascendent et ad mensas intrabunt, atque in suo ordine singuli residebunt. Quod cum fecerint omnes, et non ante, tanget refectorarius uno ictu skillam suam ad finem cla[u]sulæ subsequentis, et protinus se erigent levita et juniores ciphos accepturi. Verumptamen voluntarie et non rite pro impetuoso et irracionabili quorumdam arbitrio in usu habetur tempore moderno, quod, postquam refectorium ingressus est conventus, mensas ascendunt continuo et stant inclinati in loco superiore intra mensas, donec abbas sedeat, quemadmodum stare solent quando prior vel alius inferior custos, qui preest ordini, tali hora ingreditur, et non aliter. Quando vero abbas alicubi extra monasterium moram faciens mandat salutes conventui seu oraciones, omnes qui in capitulo sunt, flexis usque ad suppedaneum scabellum genibus, ex recta et antiqua consuetudine suppliciter inclinabunt. Eodem modo fiet pro domini papæ vel regis salutacione. Pro aliarum vero personarum salutacione humiliter inclinabunt tantummodo. Quando vero specialiter mandat alicui fratri quippiam hujuscemodi, ubicumque in absencia secularium personarum dicatur ipsa salutacio, continuo flexis ad terram genibus humiliter inclinabit. Et ex consuetudine antiqua quicumque frater ad eum extra claustrum in absencia virorum secularium venerit, primum abbas dicet "Benedicite," ac deinde frater ob quam causam advenerit humiliter indicabit; nec sedere coram eo nec ab eo recedere presumet sine ipsius licencia speciali. Accepta ab eo recedendi licencia, ex veteri consuetudine subjunget denuo "Benedicite," et illius benediccione optenta recedet. Si quid autem specialitatis cibi aut potus

in camera sua prandens priori in refectorium miserit aut alicui fratri, continuo se erigens versus eundem suppliciter inclinabit; atque eodem modo fiet cum a domino rege aut regina seu ab aliquo fortasse episcopo quippiam priori seu alii cuilibet fratri specialiter usque in refectorium fuerit destinatum. Omnis quippe tocius monasterii ordinacio ex ipsius/ pendet arbitrio, qui tamen nichil ordinare nec [fo. 31. aliquid, juxta quod regula monet capitulo 2°, extra preceptum Domini, quod absit, docere aut constituere vel jubere debet; sed neque contra approbatas monasterii consuetudines absque seniorum consilio aliquid attemptare. Si quid autem novum necessitate cogente vel racione suadente, eo absente, in monasterio fuerit ordinatum, eidem cum redierit indicabitur. Fietque inde postea, prout ipse decreverit, de consilio seniorum. Qui eciam, quociens per quindenam aut amplius extra monasterium extiterit, debet in suo reditu fratres infirmos visitare, et paterno affectu misericorditer consolari. Si autem in dormitorio jaceat, prout antiquitus consuevit, quamdiu dormierit in lecto suo mane, nullus sonitum audeat facere, sed noviciorum magister, si viderit horam transire qua sonitus a priore fieri solet, surget quam quiecius possit, juvenes excitabit, virga tantummodo tangens leniter pannos quibus cooperti sunt. Quo facto, exeuntes de dormitorio, lavent se et pectant, factisque solitis oracionibus in scolam suam redeant, et cum silencio sedeant, donec abbas de lecto suo surgat; et tunc pulsatur ad primam.

Qui quidem dompnus abbas cum de hac luce migraverit, omnia quæ habet ecclesiæ restituentur, atque sicut alius monachus per omnia sepelietur. Revestietur tamen, super indumenta quibus sepeliendus est, sicut sacerdos missam celebraturus, habens cyrotecas in manibus, anulum in digito, et cetera ornamenta quæ ad ejus spectant dignitatis prerogativam. Baculum vero pastoralem habebit juxta se positum in brachio dextro. Qui cum diem clauserit extremum, vel eciam statim ut in exeundo visus fuerit laborare, de proximo invitandus est abbas vel aliquis episcopus ad sepeliendum eum. Casula namque teget[1] eum ab omni parte in quantum tegi[1]

[1] *tanget*, *tangi*, MS.

potest, et sedula absolucionis, cum cruce de candelis facta, ut moris est, et epitaphium plumbeum continens annum in quo moriebatur et ejus nomen, cum calice et patena, pane et vino inpositis, super pectus ejus locabuntur.

De electo in abbatem, qualiter se geret usquedum confirmetur.

Et, ne dubitetur qualiter electus in abbatem a primo eleccionis tempore usque ad illius confirmacionem in spiritualibus/ et temporalibus rite se geret, sciendum [fo. 31b. quod, abbate de medio sublato, alius cum eligitur, omnes fratres vel major pars in ejus eleccionem consentire debent, facultate prius a rege eligendi optenta.[1] Cui, cum electus fuerit, suisque sociis camera prioris seu alia honesta, sed non aula sive camera abbatis, deputabitur; atque eidem, tam in ipsa camera quam cum in refectorio refecerit, de celario et coquina conventus, tanquam priori, ministrabitur honorifice. Cetera autem [quæ] sibi suisque famulis necessaria sunt, mediantibus et procurantibus domini regis ministris, usque ad confirmacionem ipsius, plenarie invenientur. Qui, postquam electus fuerit, a priore si voluerit et aliis fratribus quos secum prior ducere decreverit, una cum littera conventus de sua eleccione canonice celebrata, regi est presentandus.

Chorum et capitulum atque refectorium, quocienscumque voluerit, ingredi poterit, et superiori loco ex parte abbatis

[1] In the upper and lower margins of ff. 31b, 32, the following hymn is written by another hand:—

God Jesus, almiȝti kyng,
Help ous nou at oure chysyng,
Ðet hit by to þi lykyng,
And wyþ oute kuead strivyng.

Jesus, þet art of guode spede,
To oure elyt in his nyede
Ðin angles zend him to rede,
And him ssilde vram alle kueade, } Pater et Ave.

Oure abbot N. be name,
Jesu, him ssilde vram alle blame,
And him yve lyf to wylle,
Ðet he hys zaule naȝt ne spille. } Pater et Ave.

residebit, sed capitulum nullatenus tenebit, neque sedebit ad scillam, nec lecciones in conventu leget, neque benedicciones super eisdem dicet, nec aliquod tale in conventu recitabit, quoniam in tabula non ponetur, nec aliquod tale officium faciet. Sed neque aliquod in spiritualibus aut temporalibus ante ejus confirmacionem disponet. Verumptamen, si acciderit quod prior eligatur, benedicciones proculdubio super leccionum lectores proferet, necnon et de mandato cotidiano atque de missis consuetis et cotidianis, quæ post mandatum scribuntur, in tabula ponetur ut prius. Capitulum tenebit, ad scillam sedebit, in dormitorio jacebit, atque omnia quæ sui officii sunt, cum voluerit, tanquam prior et in congregacione sublimior exequetur. Et revera, quando in conventu presens fuerit, ad sinistram partem, ut prius, residebit, in capitulo scilicet et in choro. Hic quidem antiquitus eleccionis tempore, priusquam electus curiam adiret Romanam, non domi sed ad aliquod manerium de prope, usque ad tempus quo confirmandus et benedicendus erat, perhendinare consuevit. Qui si tempore moderno alibi quam in monasterio proprio ab abbatibus, quibus a domino papa fuerit injunctum, confirmetur, et, ut ab episcopo benedicatur cui scripserit idem dominus papa, ad proprium redeat monasterium, conventus cum solempni processione usque ad/ portam cimiterii eidem occurret; atque idem [fo. 32. abbas humiliter nudis plantis portam cimiterii est ingressurus. Qui cum, ut moris est, fuerit admissus, texto deosculato, imponet cantor responsorium "Ecce vir prudens,"[1] et, facta brevi stacione ante crucem in navi ecclesiæ, introducetur per chori medium ad magnum altare, et, facta ibi prostracione et finito cantu, subjunget aliquis episcopus vel abbas, si affuerit, versum "Salvum fac servum tuum"; atque, expleta oracione, "Rege, quesumus, Domine," benedicat episcopus, si affuerit; et ducatur continuo abbas ad osculandum altare autenticum, ac deinde ad feretrum sancti Augustini orandi gracia. Deinde in cameram, ubi prius extitit, est iturus, et non in cameram abbatis quousque benedicatur, licet tocius abbaciæ a rege prius optinuerit seisinam; sed a conventu osculabitur. Nec

[1] *pondens*, MS.

inpendetur ei obediencia regularis, quousque benedicatur; nec eciam si benedicatur, nisi plenariam abbaciæ possessionem a domino rege prius optinuerit. Nimirum tamen capitulum, priusquam benedicatur, tenere non debet, nisi, ut prefertur, cum prior in abbatem eligitur.

De confirmacione electi alibi quam in monasterio proprio.

Si autem electus alibi quam in proprio monasterio confirmetur, et alibi similiter debeat benedici, quousque benedicatur, ad domum redire non debet. Si vero extra monasterium proprium confirmetur atque benedicatur, tunc in suo reditu eidem, modo prelibato, nudis pedibus intranti, conventus processionaliter usque ad portam cimiterii obviam est iturus, atque in redeundo incipiet cantor "Ecce vir prudens," vel responsorium, "Sint lumbi." In navi quidem ecclesiæ cum ita contigerit, non ut alias stacio est agenda, sed directe ab episcopis vel abbatibus, si affuerint, introducetur usque ad stacionem abbatis in parte chori ad occidentem; quo dum pervenerit, ipsis sublevantibus, superius ascendens curtam sumet veniam, atque ita prostratus jacebit, donec cantus ille finiatur. Ad cujus finem, episcopus, si adest, vel alius abbas, vel prior hujus ecclesiæ, vel supprior, si prior eligatur, si alii defuerint, illum reverenter erigens in locum et stacionem abbatis honorifice statuet, dicendo "Sta in justicia," et cetera. Quo statuto, si episcopus adest, incipiat prior ymnum, "Te Deum laudamus," nisi aliquis abbas affuerit, vel eciam supprior eundem ymnum inponet, si prior eligatur. Quo, dum cantant, accedant omnes fratres permixtim, sicut sunt in ordine priores, ad oscu/lan- [fo. 32b. dum, bis se inclinantes, semel ante osculum et semel post osculum. Atque, finito ympno, ille idem abbas qui admittitur super populum, nisi episcopus affuerit, benediccionem est daturus. Quibus ita expletis, ducetur continuo ad altare magnum, atque devocionis gracia ad feretrum sancti Augustini. Iste modus installacionis fuit antiquitus; sed modernis diebus in toto non tenetur, sed subsequens.

Ad instalacionem abbatis nostri processus.

Primo recipiatur cum processione solempni et ducatur ad magnum altare, ubi jaceat prostratus, dum conventus cantat et quousque prior dixerit oracionem super eum. Qua dicta, erigat se abbas et ducatur a priore in chorum ad stallum suum. Prior vel ejus locum tenens installet ipsum, dicens: "Ego installo te in hoc stallo auctoritate apostolica michi "commissa. Dominus custodiat introitum tuum et exitum "tuum, ex hoc nunc et usque in seculum." Et respondeat chorus, "Amen." Quo facto, incipiat prior "Te Deum laudamus." Et, dum cantatur, accedant omnes ad manualem obedienciam, videlicet, prius osculando manum et postea os ejus. Deinde det abbas benediccionem solempnem, quæ dicitur, "Sit nomen Domini benedictum." Postea incipiat precentor antiphonam, "Isti sunt viri sancti," et ducatur abbas a priore et senioribus ad corpora sanctorum, ad devocionem suam ibidem faciendam. Quibus expletis, peragantur quæ pertinent ad illius diei sollempnitatem. Videtur quod iste modus non est ita devotus sicut precedens. Et, si seysinam abbaciæ a rege prius admiserit, cameram abbatis est ingressurus; si alias, in cameram ubi prius extitit cum sua familia iterato ingreditur. Qui si abbaciæ optinuerit seysinam, et ipso die in refectorio reficere voluerit, tam minuti si fuerint vel causa infirmitatis extra chorum, quam fratres in infirmitorio superstites, ob reverenciam illius ibidem reficient; quoniam de vino et una pitancia generali et optima, sive in refectorio comedat sive non, tenetur ipso die ex consuetudine, ad melius quod poterit, conventui providere.

De benediccione abbatis non admittenda in conventu eo die quo confirmatur.

Et, licet dompnus abbas in suo reditu benediccionem ordinate, sicut et ceteri fratres exeuntes et redeuntes, sit alias accepturus, non tamen ipso die quo sic solempniter cum processione recipitur ad vesperas vel ad completorium benediccionem solet ac/cipere; sed proculdubio sui [fo. 33.

capellani, et si qui alii sunt fratres qui una cum eodem extra monasterium ultra duas noctes moram fecerint, benediccionem ad vesperas pariter accipiant. Ex illa namque die qua benedictus fuerit in omni loco a cunctis fratribus singulari reverencia honorandus est. Atque in primo quo presidet capitulo canonicam ei omnes facient obedienciam, atque singuli, qui intra monasterium obediencias habent et res monasterii servant, pariter surgentes suarum obedienciarum claves ante pedes ejus ad gradum ponent, illius se disposicioni et arbitrio obtemperanter subjicientes. Sed proculdubio capitulum non tenebit, nec inpendetur ei a conventu regularis obediencia, nec facient obedienciarii quod prefertur, quousque benedicatur; nec eciam si benedicatur, nisi plenarie abbaciæ possessionem ex regio assensu prius optinuerit. Si autem obierit frater in abbatem electus priusquam benedicatur, non amplius pro eo fiet quam pro alio fratre in fata decedente. Nec alius ei debetur modus sepeliendi, licet qui eligitur prior conventualis extiterit.

Et quia sunt aliqui fratres per eleccionem ad officia deputati, ideo eorum eleccionis modus subsequitur. Primo de priore.

In ordinacione prioris, cum abbas presens fuerit in capitulo, precentor qui pro tempore fuerit nominabit primum electorem, dexter chorus secundum, et sinister chorus tercium. In ordinacione sacristæ, camerarii, et elemosinarii, prior nominabit primum, precentor secundum, et totus conventus tercium. Si vero non fuerit prior, precentor nominabit primum, dexter chorus secundum, et sinister chorus tercium, sicut in ordinacione prioris dictum est. Si vero non fuerit neque prior nec precentor, omnes tres voces residebunt penes conventum, isto modo: dexter chorus primum nominabit, sinister secundum, deinde totus conventus nominabit tercium. Nominatis igitur tribus fratribus fidedignis, dompnus abbas injunget eis secundum consciencias suas ut ipsi eligant tres fratres meliores et habiliores de seipsis et de aliis, ad illa officia suscipienda et custodienda. Qui egressi de capitulo tractabunt inter se

diligenter de tribus personis ydoneis nominandis. Cum autem unanimes extiterint et concordes inter se, capitulum intrabunt, stantesque in media area, senior eorum, vel alius de eorum communi consensu, fratres tres expresse nominabit, ut predictum est./ De quibus tribus fratribus nominatis [fo. 33b. abbas quem viderit expedire acceptabit, ei officium de quo agitur injungendo.

Item, abbas.

Similiter dompnus abbas omni processioni interesse debet et tenetur, si infra cepta monasterii fuerit et sanus sit corpore, sive conventus sit revestitus sive non; et omnes benedicciones facere, preter aquam benedictam, Dominicis diebus precipuis, sicut cereos et candelas in die Purificacionis beatæ Dei Genitricis, et cineres in capite jejunii, et eas super capita fratrum signo crucis ponere, et palmas et frondes in Dominica Palmarum, et ignem tribus diebus ante diem Paschæ, et in die Cenæ ante prandium in capitulo absolucionem, et post prandium ibidem mandatum celebrare; in nocte Paschæ et Pentecostes primam antiphonam incipere et terciam leccionem legere, et in tribus diebus ante Pascha missas celebrare, et omnia vestimenta hujus ecclesiæ benedicere, et in omni altiduplici festo et supra matutinas utrasque vesperas et magnam missam celebrare, et in illa sollempnem benediccionem dare, absente episcopo. Et, in omni principali festo et pari principali, in tabula debet poni ad terciam antiphonam et ad ultimum responsorium, et in omnibus principalibus anniversariis ad magnum altare missam celebrare; et fratres in moriendo injungere, et cum mortui fuerint circa eos commendacionem dicere, missam celebrare, et eos sepelire. Similiter fratres ad officia in capitulo assignare, et eos, cum viderit necesse, ammovere. Novicios similiter recipere, et eos in die professionis benedicere. [Nota[1] quod abbas potest committere vices suas, si fuerit impeditus, priori, sub testimonio fratrum; instituere et destituere fratres in officiis in capitulo coram conventu, quos ipse nominavit; similiter et benedicere novicios, si necesse fuerit.[1]] Fratribus contra

[1] *Nota...fuerit*, an insertion in the margin of the MS.

ordinem et professionem delinquentibus crudeliter arguere et penitencias graviores in capitulo publice injungere et eos, si necesse fuerit, excommunicare ; et, cum tempus oportunum viderit, eos relaxare et absolvere.

De preposito sive priore ; et de hiis quæ in illius specialiter incumbunt officio.

Servata abbati in omnibus reverencia, prior, qui et prepositus in regula nominatur, honorabilior est reliquis ministris domus Dei. Ipse solus ceterorum ministrorum primum suæ partis locum habet in choro, in capitulo, in refectorio. Huic, post abbatem, est tanquam patri a singulis obediendum, quibus semper tenetur seipsum bonorum operum prebere exemplum ; quos, sicut precedit ordine, precedere debet sanctitate, ut ejus exemplo discant subditi/ qualiter [fo. 34. vivere debent. Corripere debet inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, paciens esse ad omnes ; qui alicui mala inferre non debet, sed tolerare, ut ex sua mansuetudine iracundos valeat mitigare, quia medicus animarum contra passiones viciorum debet opponere medicamenta virtutum, ita, scilicet, ut prius mores omnium diligenter inquirat, ut quid cuique inferre debeat agnoscat. Disciplinam libens exhibere ac metuendus inponere debet, et, quamvis utrumque sit necessarium, semper tamen plus ab eis amari appetat quam timeri ; jugiter animo revolvens Deo se pro eis cum abbate redditurum esse racionem ; qui in cunctis quæ agit semper cogitet de extremo fine, et quod sine periculo animæ suæ non potest aliquid negligenter preterire. Ipsi soli post sacerdotem, quando ex illa parte sacerdos indutus, de thimiamate ad vesperas et ad laudes, quocienscumque per chorum eisdem horis thuribulum circumfertur, turificetur.

Intrante eo in capitulum hora capituli et hora collacionis, omnes ei reverenter assurgent, stantes in suppedaneis donec consedeat ; qui nullatenus residebunt, dicto "Preciosa" in capitulo, cum se inclinaverit, pronunciato a sacerdote "Adjutorium nostrum," quousque ipse resideat. Qui si tardaverit

ad capitulum venire, ita quod prior claustri in loco superiore prius sederet, intrare non debet aliquo modo, quod absit, licet tunc abbas advenerit et ingrediatur; quia, si una cum abbate intraret et tercius prior fuisset, oporteret ut, ingresso eo, tercius prior cedendo ei in partem abbatis inconvenienter secederet, et primum locum ex ea parte optineret; quod tempore aliquo nullatenus eveniet, quod videlicet duo sint priores simul et semel conventui presidentes, sive abbas affuerit sive non, nisi tantummodo ad mandatum in Cena Domini. Set si forte contingat, priori claustri capitulum tenente, quod ob aliquam causam, quæ non potest nec debet differri, prioris presencia illuc sit modis omnibus advocanda, inmediate post capitulum terminatum potest ingredi ordinate, conventu tunc eidem nullatenus assurgente.

Prioris siquidem incumbit officio regulam beati Benedicti, patris nostri, quociens de ipsa in capitulo legitur, propter simpliciores fratres Gallyco exponere ydiomate, vel qui eam vice sua evidenter exponat cui censuerit fratri jubere.

Transeunte eo per claustrum vel per chorum, non assurgetur ei; volente eo sedere in claustro, ubi alios fratres se/dentes invenerit, assurgent illi tantum juxta quos [fo. 34b. sedere vult. Et ubicumque extra claustrum fratres sedentes invenerit, nisi sint in mensa reficientes, aut egritudine fatigati, aut minuti, assurgent ei omnes. Ea quæ extra claustrum, si abbas deest, juxta ejus arbitrium disponentur. Et si abbas remocius a monasterio fuerit, ipse de consilio seniorum eos potest disponere usque ad illius reditum, quos veraciter intellexit juxta proficuum ecclesiæ res sibi commissas tractare. Qui insuper, quociens res expostulat, si abbati placuerit et conventui quod recta et antiqua in hac parte consuetudo servetur, tenebit loco ad hoc constituto aut teneri precipiet capitulum de omnibus servientibus qui infra officinas monasterii conversantur; et secundum merita delinquencium, eo jubente, vindictæ inferentur. In usu quidem moderno habetur quod unusquisque obedienciarius suos castigabit famulos delinquentes, et ammovebit quos duxerit ammovendos, quociens viderit expedire, loco eorum alios subrogando; illis tantummodo exceptis, qui suo perpetuo per abbatem et con-

ventum sunt in aliquo [officio][1] constituti. Qui quidem obedienciarii, si in famulis suis fuerint negligentes et tepidi, et hoc priori constiterit, debet eos acriter arguere. Qui si ipsos ex tunc castigare dissimulent, prioris est, de consilio seniorum, juxta quantitatem delicti vindictam eis inferre jubere. Si vero aliqui[2] ex famulis prelibatis, cujuscumque officinæ sint sive obedienciæ, incorrigibiles aut suis superioribus rebelles extiterint, cum hoc ad prioris noticiam pervenerit, ipsius incumbit dignitati in capitulo districte precipere ut eorum liberaciones, si quas de celario conventus percipiunt, usque ad condignam satisfaccionem, eis penitus subtrahantur; vel, si utilitati ecclesiæ minime sint ydonei, ut hujuscemodi liberaciones nullatenus admittant, precipiet ut continuo licencientur atque loco eorum alii subrogentur. Et quare dictum est quod prior de talibus debet intromittere ex quo abbas in monasterio et extra pro voluntate sua omnia debet ordinare et disponere, [est][1] quia ei non expedit pro inquietate sua de talibus intromittere.

Et licet abbatis incumbat preferenciæ quando capitulum tenet, sicuti et illius semper qui in capitulo, licenciam concedere minuendi fratribus qui cursorie sanguinem minuere proponunt, prioris tamen officii/ est, ceteris horis et [fo. 35. temporibus, tam minuendi quam balneandi et extra chorum morandi in abbatis presencia concedere facultatem, necnon et debilibus atque indigentibus, ex antiqua consuetudine, edendi extra refectorium licenciam dare; et hoc licet in refectorio reficiat abbas. Si et ab aliquo extra refectorium conventui generalis agatur refeccio, sine abbatis assensu, cum domi affuerit, annuere non potest. Quocienscumque autem duodecim lecciones habentur, ipse ad xij. leccionem in tabula scribetur, cum abbas domi fuerit. Et similiter de mandato cotidiano faciendo in tabula scribetur; necnon et de missis, quæ post mandatum in tabula scribuntur, ponetur in tabula cursorie, sicut et ceteri sacerdotes. Qui si in festis quibuscumque aut privatis diebus matutinis in conventu, aliquo obsistente inpedimento, interesse nequiverit, illud suppriori per se aut per suum capellanum premonstrare

[1] Om. MS. [2] *aliquis*, MS.

tenetur, quia nullo tempore extra chorum aut claustrum prolixam faciet moram, nisi per se aut per alium illud intimet suppriori. Cui insuper tempestive tenetur intimare, quociens ad scillam sedere non proponit; nimirum cum omnia quæ sui officii sunt, quociens in conventu extiterit, in propria persona exequi teneatur. Prior autem solus in refectorio absque alio custode ordinis reficere non debet, propter diversos casus evenientes.

Qui eciam, quociens in choro ad matutinas fuerit, nisi eas cantare debeat, factis tribus oracionibus et dictis primis quinque graduum psalmis, accepta sua laterna, candela intus accensa a suo capellano, ibit in dormitorium, lectos omnium circuire, solicite considerans ne forte aliquis frater dormiens ibi remanserit. Mos insuper erat antiquitus tali hora per omnia sedilia latrinæ similiter circuire. De hinc in monasterium revertetur, et circuibit omnia loca in quibus jacent sacristæ et alii fratres, et omnia altaria usque ad altare sancti Adriani, et cetera monasterii membra et loca ubi suspicio poterit esse, diligenter observans ne aliquis frater ibi dormiat, lateat, vel sedeat, aut inordinate se gerat. Iste modus modernis diebus per priores non observatur, sed per ordinis scrutatores. Sanguine vero minuti, aut egri, vel debiles clamari[1] non solent in capitulo, si ea hora inveniantur sedendo quidem non jacendo quiescere. Ceteros vero qui in choro esse debent, cum extra invenerit sedentes aut/ [fo. 35b. dormientes, non eos quocumque modo tanget, sed modeste atque ordinate sonitum tantummodo quo excitentur faciat, et in crastino in capitulo agat inde clamorem. Si vero aliquem orantem invenerit, et gravis sit persona, scilenter pertranseat.

Quando prior dicit matutinas, vel si contingat quod circuitum modo prelibato ob aliquam sui invalitudinem facere non possit, illud suppriori per signum innotescet; qui eciam, hora exigente, cum laterna egrediens, fratribus, si qui indiguerint, de matutinis extra chorum morare licenciam est daturus. Quam quidem licenciam, extra chorum videlicet de matutinis morandi, tam in duodecim quam tribus leccioni-

[1] *clamare*, MS.

bus, fratres qui indigent ab illo ordinis custode, qui tres oraciones ante matutinas terminat et pro tempore in choro conventui preest, vel eciam ab alio qui cum laterna, ut prefertur, ad nutum presidentis circuitum facit, per signum humiliter et ordinate, detectis capitibus, petere debent, et non a priore, quando scilicet non interest matutinis in choro. Capellanus prioris de matutinis morari non debeat, quando scilicet prior privatis interest matutinis, nisi illius forte dicat matutinas. Prior vero vel alius custos a quo hæc aut alia licencia postulatur, si fuerit in loco quo ei loqui non licet, inclinare debet licenciam fratribus innuendo.

Prioris siquidem est mane in dormitorio et post meridianam in estate, exceptis jejuniorum diebus, sonitum facere; atque abbatis voluntatem ante capitulum et collacionem et mandatum in Sabatis inquirere, si ad ea voluerit interesse; et ad capitulum privatis diebus parvum signum pulsare, et cum eodem signo aut alio tres ictus, qui ante tres oraciones post completorium quaqua nocte fieri solent, manu propria facere, atque post completorium, suscepta, dante ebdomedario sacerdote, fratribus aqua benedicta, remanere, donec omnes pertranseant, stans aliquantisper inclinans, capite detecto, in aliquo congruo loco, unde bene possit observare qui ad completorium extiterint et qui sint, qui non reverenter incedunt, et qui in exitu ecclesiæ, ut moris est, non velent capuciis capita sua, et alia hujusmodi. Istud faciunt modo scrutatores.

Egresso toto conventu ab ecclesia, et in dormitorium ingresso, accepta laterna, si nox est, candela intus accensa, quam inveniet sacrista, ibit cum summo silencio in locutorium per minutos, si fuerint, vel per alios fratres . . . .

. . . .

[*Here a leaf is wanting.*]

. . . .

/. . . . modi ad finem proximi capituli subsequentis evidencius propalatur. Sed neque, cum infirmus fuerit extra dormitorium jacens, debent ab eo licencia postulari a fratribus, ut quaquaversum a domo recedant, nisi [fo. 36.

benediccionem sint accepturi. Neque, cum minutus aut alia de causa extra chorum fuerit, fratres licenciare debet, ut extra refectorium reficiant, preter illos tantum quos secum in mensa habere voluerit; de quorum eciam numero ejus capellanus, si plures forte fuerint, priori claustri constare faciet; nimirum cum is qui infirmus fuerit aut extra chorum culpari non debet, sed solummodo prior claustri, si in refectorio pauci reficiant. Similiter ad priorem pertinet, vel ad priorem claustri, si prior infirmus fuerit et extra dormitorium jacens, vel eciam extra portas in solacio,[1] post mortem fratrum, studia, lectos, et ordines in claustro dare et pro voluntate ordinare. Et similiter prior et alii custodes ordinis ante capitulum collacionem facient inter se de defectibus ordinis corrigendis, quæ acciderint a capitulo preteriti diei usque ad capitulum diei presentis. Et quod prior et supprior sint in omnibus unanimes et alii ordinis custodes in hiis quæ ad reformacionem ordinis pertinent; et qui est hodie ordinis custos in crastino capitulum teneat, quia ipse omnes inordinaciones et defectus novit quæ contingebant in ordine, nisi aliquod magnum negocium ibidem fuerit tractandum et abbas voluerit interesse.

De suppriore sive de priore claustri.

Subprior sive prior claustri, quocumque major prior eat, si fieri possit, in claustro vel circa claustrum semper esse debet; ordinemque claustri omni sollicitudine observare. Et si contingat in prioris absencia quemlibet fratrem infirmari, potest precipere ei in domum infirmorum ire et carnes commedere. Ad ipsum autem pertinet vice prioris, cum absens fuerit, horis statutis circuitum facere, ac specialiter infirmos fratres mane cotidie visitare, et quid agant et quid velint agnoscere, et eis in omnibus quæ vel corporibus vel animabus eorum necessaria sunt salubriter consulere.

Quas licencias subprior dare poterit, priore domi existente.

Sui quoque officii est licencias a claustro exeundi dare, sed non in villam, neque morandi extra monasterium per duas

[1] Altered from *solario*.

noctes licenciam est daturus, nisi prior ob aliquam infirmitatem extra dormitorium jaceat, quia tunc absque reprehensione prior claustri fratres poterit/ licenciare, ut per duas [fo. 36b. noctes extra morentur, quemadmodum prior consuevit cum dompnus abbas extiterit domi, irrequisito illius assensu. Et si forte fratres ab abbate vel eciam priore extra chorum existente licencientur, ut a monasterio exeant, hora refeccionis nullatenus redituri, debent illud priori claustri per se vel per alios, priusquam exeant, intimare.

Die autem quo subprior sive prior claustri capitulum tenet, sua interest, eciam si major prior domi sit et ad skillam sedere voluerit, cum fratribus extra refectorium reficere, misericorditer indigentibus dispensare, quousque prior cimbalum sonare inceperit, ita sane quod licencias quas annuerit eidem innotescat, ne, quod absit, per licencias utrimque concessas numerus fratrum in refectorio insufficiens habeatur. Prior vero, quociens quaquaversum exit a monasterio, illud subpriori ore proprio vel per aliquem fratrem innotescere debet, vices suas, quoad ordinis tutelam, eidem commendans. Qui quidem prior cum extra monasterium fuerit, ita quod cicius inveniri nequeat, subprior sive prior claustri fratres poterit licenciare, ut in villam vel alibi incedant, sed non ut extra reficiant, nisi ipso die capitulum tenuerit, aut ut hoc faciant racionabilis deposcat necessitas. Olim autem nullus aliqua vice claustralis, nisi petita prius per signum licencia, a claustro egredi consuevit, preter illum solum qui conventui preerat et aliis pro tempore concedere poterat[1] licenciam exeundi. Nam antiquitus, domino abbate in claustro existente, si prior exire voluit, illud per signum eidem innotuit, et subprior similiter, ac ceteri claustrales vel eciam a priore in claustro existente, in abbatis absencia, omnes exeundi licenciam pecierunt, atque modo consimili a suppriore, seu alio custode inferiore qui, priore absente, conventui preerat. Quæ quidem consuetudo, licet adhuc in nonnullis religiosorum cenobiis districte observetur, apud nos tamen voluntarie, elapso tempore non modico, est totaliter fere intermissa.

[1] *poterit*, MS.

Atque ex moderno usu omnes ordinis custodes, et maxime prior et subprior, utrumque locutorium intrant, quos voluerint, exortandi gracia, seu ordinem docendi, aut eciam aliæ justæ necessitatis causa, secum ducentes, atque a claustro, non petita licencia, pro more egrediuntur, quamvis pro tempore abbas inibi resideat; quod tamen, ut prefertur, ex antiqua consu/etudine minime faciebant; et maxime [fo. 37. tercius et quartus prior, nisi esset explorandi gracia, et tunc in silencio, exierunt ac revertebantur; quoniam, quacunque hora existimaverint exploratores claustri quicquam inordinacionis alicubi reperire, licitum est eis usque ibi cum modestia silenter incedere.

Supprior vero et tercius et quartus prior, tempore moderno, per curiæ officinas, cum necesse habuerint vel viderint expedire, absque reprehensione ire possunt; ita quod cepta monasterii nequaquam pertranseant, neque missam, vel aliquam horam regularem, si fieri possit, propter hoc omittant. Quoniam, revera, juxta antiquam consuetudinem, si tercius prior, aut quartus, vel cantor, duas ex diurnis horis simul omiserint, et ad terciam horam sequentem in choro non venerint, debet pro tercia hora in proximo capitulo veniam petere. Sed pro duabus horis, si casualiter et non negligenter omiserint, reprehendi non sole[n]t. Pro tribus vero oracionibus consuetis ante matutinas morare debent; si aliquis predictorum non affuerit, non consuevit inde reprehendi, nisi illud ei crebrius contingat. De matutinis vero aut vesperis vel de completorio nunquam se poterit, aut debet, aliquis eorum absentare, nisi de licencia speciali. Nec debet alicui eorum licencia denegari, nisi racionem et metas mensuræ, in se absentando, eorum aliquis excedere videatur; quia ipsi præ ceteris divino obsequio, ut prefertur, interesse tenentur. Quapropter, quando aliquis eorum ab horis vel missis se absentare proponit, illud ordinate priori premonstrare debet, quoniam revera a priore claustri rite sciri debet ubi sint fratres absentes, et maxime claustrales.

Quando cantor incaustum est facturus, illud priori claustri premonstrare debet. Qui quidem cantor et collega suus nunquam ambo simul a choro se debent absentare. Nec

debet evenire quod chorus aliqua vice, vel claustrum, cum in eo fuerit conventus, absque uno ad minus sit ordinis custode.

In scilencio vero potest quilibet ex custodibus, cum viderit oportunum, et si magnæ missæ ebdomedarius sit, a claustro circuiendo egredi. Sed nullus eorum post refeccionem conventus circuitum, vice prioris, faciet per cameras, nisi ipso die in refectorio ad scillam comedat. Sed post completorium potest quilibet eorum, more solito, vice prioris, per cameras circuire, ubicumque ipso die refecerit; si tamen ad completorium in conventu extiterit. Nam prior, vel alius/ [fo. 37b. qui ad completorium conventui preest, potest illud exploracionis officium inferiori injungere. Et si aliquis ex fratribus circuitori obviaverit, quando circuitum facit, et maxime ante matutinas et post completorium, a latere se divertet, atque fronte penitus discooperta, ut illius noticiam palam habere queat, donec pertransierit, reverenter expectabit, paulisper inclinando ac mansuete eum salutans, si in loco fuerit quo ei loqui licet. Et si laternam forte cum lucerna portaverit, abscondet eam continuo. Si quis vero sederit, ubi transit, ei humiliter assurget, nisi infirmus sit aut sanguinem minuerit. Prior enim non debet aliqua vice a monasterio egredi, nisi priori claustri oretenus aut per suum capellanum prius constare fecerit, ut premissum est; hoc observato, cum conventus in albis extiterit, quod nullus ab eodem absque ingenti necessitate, sicut nec a processione quæ fit circa claustrum, quibuscumque diebus, aliquo modo se subtrahat; et quia chorus, ut prefertur, aut claustrum, sive refectorium, nunquam, pro recta et antiqua consuetudine, absque duobus ordinis custodibus esse debet, si fieri possit, ut videlicet, si unus exeat, alter cum conventu interim remaneat.

A quo petenda est licencia, si custos ordinis in claustro non fuerit.

Si fortasse contingat quod iidem custodes ambo se absentent, tunc sacerdos qui prior fuerit in ordine seniorum vicem interim geret prioris; a quo tunc exeundi a claustro licencia rite peti debet, qui tamen generalem exeundi facultatem con-

cedere non potest. Est autem exitus necessarius, et exitus voluntarius quasi absque necessitate, ut si, spaciandi gracia versus gardinum sive[1] alibi quaquaversum, petatur licencia. Unde, si aliquis, necessitatis causa quæ vitari aut sine dispendio differri non possit, licenciam postulet exeundi, ut ad sartoriam, aut balniatorium, aut infirmariam, sive coquinam, vel eciam pro celeri necessitate in villam, gracia visitandi aliquem amicum infirmum, vel aliquod tale festinanter agendi, quod absque dampno vel molestia alicujus induciones habere nequeat, supprior, vel alius custos qui tunc in claustro conventui prefuit, priore exta claustrum existente, hujusmodi licenciam ex usu moderno concedere potest,/ licet idem [fo. 38. prior conventum pro tempore regat; atque id idem facere solet, in custodum absencia, sacerdos qui prior est in ordine senior. Sed non habetur in usu, si aliquis frater egritudinis causa extra chorum morari indigeat, aut sanguine sibi minuere proponat, quod, priore in claustro aut in ecclesia non existente, absque supprioris vel saltem prioris claustri, alicujus[2] videlicet ordinis custodis, licencia, hoc fiat, nisi pro majore sit egritudine aut necessitate manifesta; quia tunc a prelibato seniore, in eorum absencia, hujusmodi licencia rite concedenda. Hoc observato, sive prior sive alius predictorum hujuscemodi alicui concesserit licenciam, quod illud priori oretenus, aut eciam per signum, quam cito eum viderit, rite innotescat. De licencia vero morandi de completorio fratribus concedenda, specificatum est in rubricis de ordine, capitulo de hiis qui omittunt completorium.

Unanimes semper atque in omnibus concordes esse debent, qui ordinis sunt custodes, nichil per contencionem aut per inanem gloriam de suo statu fortuito nunquam temere presumentes. Quod prior claustri, die quo ad skillam presidet, abbatis aut prioris inquiret voluntatem, priusquam fiat sonitus ad collacionem, et a quo morandi de completorio licencia fratribus est concedenda, in rubricis de ordine, capitulo de hiis qui omittunt completorium, evidencius propalatur. Absente vero majore priore, sicut specificatum est supra, capitulo proximo precedente, antiqua consuetudo in hoc[3] sit obser-

[1] *fuit*, MS. [2] *alicui*, MS. [3] *hac*, MS.

vanda. Capitulum serviencium debet tenere, aut teneri precipere, et secundum culpas delinquencium vindictas inferre. Sui tamen juris non est quælibet[1] addere aut auferre; sed cetera omnia, quæcumque major prior, dum in monasterio est, concedere vel prohibere, ulcisci culpas, vel indulgere, hæc quoque prior claustri, absente priore, facere potest, exceptis majoribus causis, quas vel ipsius majoris prioris vel abbatis judicio reservare debet. Ubicumque autem vel in refectorio, vel in claustro, vel in capitulo, sive extra claustrum, assurgi debere majori priori superius dictum est, absente ipso majori priore, huic similiter assurgi debet, et omnimoda reverencia exhiberi.[2] Sed, licet supprior, vel alius qui preest post priorem, si prior absens fuerit, in hiis quæ ad ordinem pertinent, eandem habent dignitatem quam habet prior, non tamen, quando extra refectorium reficit, ministrabitur ei, tanquam priori, quamvis prior in fata decesserit. Cum vero prior presens non fuerit, subprior omnes tabulas ad sacerdotes pertinentes habebit,/ excepto quod in xij. leccionibus non erit in [fo. 38b. tabula de leccione, neque de responsorio, si abbas domi non fuerit.

Explanacio brevis de fratribus, egritudinis causa, extra chorum existentibus, atque de minutis.

Nullus raucedinis causa, nisi alia detineatur invalitudine, a choro se debeat absentare, nisi tantum abbas, prior, et precentor. Sed et minuti sanguine debent extra chorum morari. Quando aliquis frater petit ut, cujuscumque morbi causa, extra chorum morari queat, dicetur ei a priore, quemadmodum dici solet fratri qui, ut infirmaria quiescat, veniam in capitulo sumit,[3] videlicet, ut eat in nomine Domini et parcat sibi, quod est ita intelligendum: "Si nimium studueris, aut legeris, aut " cantaveris, seu in aliqua occupacione laboraveris, vel per cibi " aut potus inmoderanciam hanc debilitatem incurreris, esto " in parcitate et in quiete, et caveas tibi a quocumque labore " et excessu, donec convalueris." A qua hora quousque chorum sit ingressus, non debet ad gradum legere, aut cantare, nec

[1] *quemlibet*, MS. [2] *exhibere*, MS. [3] *sumet*, MS.

servire, aut aliquod officium facere, nisi pro defectu suplendo, ut si aliquem, quod absit, invenire non possit, qui suum, unde in tabula fuerit, officium exequatur. Sed nec missam interim celebrare debet, sicut nec qui sanguinatus fuerit. Et hæc est una racio quare prior, aut alius custos ordinis, cum extra chorum aut sanguinatus fuerit, ad scillam sedere, aut capitulum vel collacionem tenere, non debet, maxime cum eorum quodlibet solempne sit officium; et nullus interim, ut prefertur, aliquod officium in conventu, quam sit parvum, rite sit facturus. Alia racio est hæc, quæ eciam pro regula habetur generali atque superius specificatur, quod videlicet ad scillam sedere, aut capitulum vel collacionem tenere, nullus unquam debet, nisi ordinate usque in chorum conventum sequi valeat.

Nec poterit prior unquam, aut debet, officium inunccionis alicujus fratris facere, vel commendacionem dicere, seu missam in obitu cujuscumque fratris aut de anniversario principali celebrare, extra chorum existens; nimirum cum, ut prefertur, non liceat cuiquam fratri, dum extra conventum fuerit, missam suam cantare privatam. Sed prior, abbate presente et officia prelibata faciente, poterit et debet eisdem officiis interesse; sed non in abbatis absencia, nisi ad missam tantum. Si autem, dum prior extra conventum fuerit, et in capitulo forte de aliquo arduo sit tractandum negocio, quod comode absque prioris presencia expediri nequeat, mandari debet ut veniat, terminato prius/ capitulo, sive abbas [fo. 39. affuerit, sive non, quoniam, ut prefertur, duo priores, ut nulli dubium est, conventui simul et semel preese non debent.

Subprior quidem, cum minutus fuerit, sive extra chorum egritudinis causa, quando videlicet conventus potum habet caritatis, priore collacionem tenente, si recta et antiqua consuetudo servetur, a capitulo ad sonandum cymbalum nullatenus exibit, sed alius custos inferior illo ad hoc faciendum est rite egressurus, ipso interim inibi residente. Si autem subprior magnam missam cantaverit, et in illo die in refectorio ad scillam sederit, alius tunc sacerdos, ad nutum ipsius, dicet gracias in prandio, et in cena si fuerit, et super potum, si supprior ad scillam sederit, benediccionem dabit.

Prior autem, aut alius custos, qui collacionem tenet, con-

ventum usque in chorum nullatenus sequi debet, nisi ad totum completorium in conventu morari velit; sed cum officiariis exterius remanebit. Verumptamen prior, quando collacionem tenet, si completorio interesse noluerit, non nisi ad hostium ecclesiæ processionem solet comitari.[1] Sed proculdubio collacionem, ut prefertur, tenere non debet aliquis, nisi cum conventu in chorum licite possit intrare. Abbas vero, cum collacioni affuerit, ad exitum capituli, quo voluerit recedere solet.

De tercio et quarto priore, sive de exploratoribus claustri.

Tercius et quartus prior, qui circuitores sunt monasterii, quos[2] alio nomine circas vocamus, claustrum circuire debent et ecclesiam atque cetera monasterii loca, ubi poterit inordinati gestus esse suspicio, sagaciter observantes et explorantes incurias et negligencias fratrum et statuti ordinis prevaricatores. Hii, quemadmodum prior et supprior, de tocius monasterii melioribus et prudencioribus eligentur. Qui non maliciose pro privato odio unquam clamorem de quolibet facient; nec privata amicicia negligencias aliquorum taceant. Qui quidem semper religiose et ordinate, et maxime in circuieundo, debent incedere, et exemplum religionis videntibus ostendere. Dum circuieunt, nulli signum facient, nulli quacumque occasione loquentur. Studiose tamen negligencias et offenciones fratrum inspicient, et, tacite pretereuntes, de eis postea in capitulo clamores facient. Cum autem extra claustrum inveniunt aliquos fratres loquentes simul, assurgent eis ipsi loquentes, dicetque eis unus eorum, si tamen ita est, quod videlicet per licenciam prioris aut subprioris /loquuntur ibidem. [fo. 39b. Circuitores vero nec verbo nec signo eis respondeant, sed modeste pertranseuntes[3] intenta aure subaudiant ne ipsa verba loquencium sint inutilia, quæ non oporteat dici. Quando autem cum famulo, seu cum quolibet alio laico,

[1] *imitari*, MS. [2] *quo*, MS. [3] *pertranseunt*, MS.

inveniunt aliquem fratrem sedendo loquentem, non est mos ut ipse frater eis assurgat aut dicat eis quicquam, nisi sit, ut prefertur, quod de licencia loquitur. Nullo tempore, cum circuieunt, debent simul ire, sed unus hac, et alter illac, secundum quod injunctam curam inter se diviserint, et abbas vel prior eis ordinaverit. Officinas monasterii nunquam pro hac cura ingredientur, sed per ostia earum exterius respicient, si forte aliqui fratres per curiam vagantes incedant, aut stent, aut sedeant fabulantes.

Heæ sunt quidem horæ quibus ex veteri consuetudine circuire debent, preter circuitum qui fit a priore post completorium, et ad quindecim graduum psalmos ante matutinas, et post prandium, atque post cenam conventus, quando bis reficit: videlicet, circa medietatem secundi nocturni, et post ultimam leccionem vigiliæ mortuorum in yeme, atque in laudibus paululum ante psalmum "Laudate Dominum de celis." Tunc enim, juxta consuetudinem antiquam, accensa candela in laterna, circuibit alter eorum in monasterii loca, eodem modo quo in capitulo de preposito paulo ante exprimitur, diligenter omnia intuens, quemadmodum specificatur ibidem. In die autem circuibit post officium minoris et majoris missæ, et circa finem vigiliæ mortuorum, quando de die canitur, necnon et inter vesperas, quando exibunt et de prandio sepe atque de cena surgent, si antiqua consuetudo servetur, quociens suspicantur se inventuros aliquid negligenciæ aut gestus inordinati. Hoc tamen non longe a refectorio fiet, ut, si opus fuerit, statim possunt occurrere cum aliis ad versum qui, finito prandio vel cena, dicitur.

In circuiendo vero neuter illorum ibit ubi noverit priorem aut subpriorem esse; nec debent unquam circuiendo prioris cameram ingredi, sicut nec abbatis; sed nec cameram infirmarii, nisi in ea fratres cum eo reficiant, aut in ea jaceant egrotantes, vel aliquis tumultus de gestu laciviencium famulorum in eadem fortasse audiatur, seu aliunde habeatur suspicio. Nec eciam hostilariam circuiendo ingrediantur, si habeatur in ea/ aliquis hospes nostri ordinis aut [fo. 40. cujuscumque alterius religionis admissus. Sed proculdubio,

quociens in ea viri religiosi non hospitantur, sicut et alibi, ubicumque per infirmariam reficiunt fratres, licet cum eis fortasse, ob aliquam causam quæ vitari non possit, personæ seculares[1] de prioris licencia fuerint commensales, ex consuetudine circuire tenentur.

Qui eciam in oratorio inter horas et missas circumspecte considerent,[2] ut fratres pro loco et tempore humiliter se inclinent, stent et sedeant ordinate, atque in omnibus, ut locus sacer exigit, honeste ac devote se gerant. Per claustrum multociens circuiendo incedere debent, fratribus in eo residentibus, et specialiter hora competenti, post cenam videlicet, aut potum conventus, ac precipue ad intervallum post refeccionem, et post potum in Quadragesima, sagaciter intuendo, si meditentur et vacent leccioni ac ordinate se gerant, ne forte inveniatur aliquis accidiosus, aut aliquid quippiam faciens quod non licet.

Nullus quidem frater, si recta consuetudo servetur, ad ostia officinarum repulsam pacietur, et maxime ordinis custodes, quibus semper ubicumque advenerint liber patefiet ingressus, licet inibi aliqua secreta agantur. Si vero in infirmaria aut quovis alio loco unctura, seu privata sanguinis minucio, vel quodcunque aliud secretum agatur, et aliquis frater, ubi hoc fit, advenerit, mansuetum eidem responsum preb[er]i debet, quod ibidem videlicet sit secretum nec tunc comode ingredi poterit; sed ordinis custodes nunquam alicubi repulsam pacientur, quin pocius, si voluerint, ingredientur, nimirum cum nichil unquam eisdem occultari[3] debeat.

Tercius quidem prior, ab hora qua constituitur, in choro pro consuetudine erit sinistro, licet ex alia parte suæ conversionis fuerit ordo; et quartus prior semper in dextro choro, videlicet ex parte abbatis. Isti, quociens opus fuerit, prioris et supprioris officium supplebunt; qui si forte ambo defuerint, unus aut duo sacerdotes qui post abbatem et priorem primi sunt de ordine seniorum, cum fuerit necesse, prioris et subprioris officium exequentur.

Post abbatem vero, priorem, et subpriorem, dicti circuitores attente et reverenter in capitulo sunt audiendi, et, auditis

[1] *secularis*, MS. [2] *considerant*, MS. [3] *occultare*, MS.

qui sponte venias petunt, nisi quando abbas, vel prior, aut supprior aliquid post ipsas venias inmediate proferunt, eorum semper est primos clamores facere et primam vocem habere./ [fo. 40b.

De hiis quæ ad cantoris et succentoris officium spectant.

Cantor, qui et alio nomine armarius appellatur, eo quod de libris curam habere solet, qui in armario continentur, cantor in omnibus xij. leccionibus scribetur in tabula ad xij. responsorium, et in albis similiter cum succentore. In dupplibus et supra ponetur in tabula ad xij. leccionem, preter in Pascha et Pentecoste. Quo[ci]enscumque abbas in tabula fuerit ad antiphonam aut responsorium, si ob aliquam sui invalitudinem nequeat illud suplere, cantor loco ipsius, vel alius de suo rogatu, illud adimplebit. Quicumque lecturus est in conventu aut aliquid cantaturus, si necesse habet, ab eo priusquam incipiat debet ascultari. Ipsius est omni hora solicite providere ne aliqua in obsequio divino eveniat negligencia. Si quis autem obliviosus non inceperit, cum incipere debet, responsorium aut antiphonam vel aliquid hujusmodi, sive in eodem, jam bene incepto, aliquo modo deviaverit, ipse debet esse provisus atque paratus, ut sine mora quod incipiendum erat incipiat, vel eum, qui fallendo deviaverat, in viam reducat. Quod si in choro existens facere tardaverit, pro qualicumque sit causa, succentoris est vicem illius suplere continuo.

Quod juvenes, qui noviter servicium reddiderint, nullum defectum in choro paciantur.

Juvenes vero qui in custodia sunt, et hii precipue qui servicium, quod reddi solet, noviter persolverint, cum sollicitudine curare et considerare tenentur, ne unquam disordinata mora eveniat pronunciandi leccionem aut responsorium vel antiphonam vel aliquod tale, quamvis in eo aut in eis qui pronunciare deberent, vel eciam in ipsis cantoribus, quod absit

aperta sit negligencia. Ad cantoris arbitrium quilibet cantus in choro incipietur, et quicquid in divino quibuscumque horis et temporibus est agendum obsequio ab eo perfecte prenosci debet, ita ut, si aliquis cantus per ignoranciam aut incuriam minus elevetur aut deprimatur, seu aliquid in legendo aut cantando contra morem indebito modo proferatur, ab ipso temperari atque sagaciter corrigi continuo possit. Cujus discrecio semper in cantibus inchoandis et moderandis, secundum dies et festa ac statum possibilitatemque conventus, magnam habere debet consideracionem, ne umquam aliquis cantus minus temperate, quod absit, aut inconcorditer moduletur. Cujus voci aut/ modulacioni nullus unquam in psallendo, [fo. 41. nisi ille[1] solummodo qui pro tempore conventui preest, sonum aut notam alciorem aut inferiorem adjicere debet. Sed neque aliquem cantum eo diucuis seu morosius trahere, aut velocius cantare, vel suam modulacionem in aliquo reprehendere debet, nisi forte in psallendo deficiat, aut aliquem cantum inconvenienter aut indiscrete inchoet; et ideo debet sibi sagaciter providere, ne in aliquo deficere videatur, quoniam, quociens ipse deficit, ceteris amplius est culpandus.

De officio precentoris in capitulo.

Illius namque incumbit officio de omnibus negligenciis et defectibus quæ in legendo aut cantando in choro, sive ad leccionem mensæ et collacionis fiunt, quæ specialiter suæ ordinacioni incumbunt; quas idem specialiter ordinare debet et in capitulo mencionem et clamores facere; et similiter commune sigillum in capitulum portare, et litteras sigillandas ipsemet sigillare.

De capis in choro portandis.

In festis quæ coluntur in capis debet revestiarius eligere quotquot opus fuerit de capis quæ ipsa die erunt in choro, eas[que] per famulos ecclesiæ in chorum ante terciam portare; quas, cum canitur tercia, distribuet cantor fratribus ipse de sua parte et succentor ex alia per ordinem. Quando vero

[1] *illi*, MS.

capæ non sunt brudatæ, capa prioris et cantoris ejusdem sint coloris, et eciam subprioris capa, videlicet ob thuris ministerium ad processionis stacionem solempniter faciendum. Cantor vero, cujuscumque ordinis vel etatis sit, in medio aliorum ad formam stabit donec missa finiatur.

Quod nullus in cappa a choro recedet sine licencia precentoris.

Nullusque eorum ante finem missæ de choro debet recedere sine ejus licencia. Ceteri vero fratres, si loqui indigeant, optenta a priore loquendi facultate, illud precentori priusquam exeant signando intimabunt; quod similiter facient lector et ad prandium servituri, cum post " Agnus Dei " a choro egrediuntur. Quocienscumque thuribulum aut reliquiæ fratribus qui capas tenent ad formam in choro affertur, utrumque prius cantori offertur, nisi abbas, vel aliquis episcopus, vel major prior, vel ille qui tenet ordinem, ibi sit inter eos. Cantor in dextro choro semper debet esse; qui, dum in conventu est, quicquid incipit, dexter chorus prius suscipiet quod ab eo inceptum fuerit, et canendo prosequetur et eciam illud, si ab utroque choro simul cantari debeat, quod inceptum est. Cujus interest notificare abbati omnes cantus quos ipse cantat aut incipit. Quando vero/ inter prosam vel alium [fo. 41b. cantum, ut solempnius moduletur, per chorum transit, detecto capite ordinate incedet, juxta quod paulo post evidencius propalatur. Et, si alicui fecerit signum canendi, frater ille statim, viso signo, inclinabit ei, et cantor illi similiter; et sic, detectis capitibus, ab utroque est humiliter inclinandum, quocienscumque cantum vel aliud quod sui officii est rogat in choro fieri.

Tria sunt de quibus omnibus licitum est loqui in capitulo, exceptis noviciis.

Et cum tria sint, de quibus [omnes] atque singuli universaliter, exceptis qui in custodia sunt, zelo religionis et sanctæ disciplinæ salubriter conjuncti, quociens opus fuerit, in capitulo

clamores, debito more et absque reprehensione, facere possint et teneantur, videlicet de negligenciis, presumpcionibus, et defectibus quæ in obsequio fiunt divino, atque de silencii infractoribus, et de hiis qui elemosinam non bene custodiunt,—dictis primum a capitulum tenente, ac consequenter inmediate ab aliis ordinis custodibus, quæ[1] proferre decreverint et quos voluerint facere clamores,—cantor et succentor, quorum specialiter interest, vice abbatis, cantariam regere, de defectibus et negligenciis quas in choro fieri perceperint primum loqui debent; et, post eos, ceteri generaliter quibus placuerit de eodem loqui obsequio. Ac deinde fratres, quibus specialiter est et injunctum de silencio loqui, suos facient clamores, et alii consequenter qui loqui inde voluerint. Atque post illos proferet elemosinarius et socius ejus in medium, si quidem de elemosina fuerit proferendum. Sicut enim prior et ceteri ordinis custodes vicarii sunt abbatis, quoad ordinis ac religionis tutelam et officium sacerdotale, cum opus fuerit, exequendum, ita, ut prefertur, cantor et succentor vicarii sunt illius, quoad observanciam cantariæ; et ideo post ordinis custodes in capitulo primam habeant vocem.

Precentori in multis parcendum est.

Precentori siquidem, sicuti et ordinis custodibus, in multis est parcendum. Nam, si tribus oracionibus quæ fiunt ante matutinas aut xv. graduum psalmis non interfuerit, [vel ad primam privatis diebus non venerit,][2] sive ad terciam, quando in albis non cantatur, vel ad sextam, vel ad nonam, non solet propter hoc in capitulo veniam petere, neque inde reprehendi, nisi hoc frequencius eve/nerit. Duas [fo. 42. tamen horas simul, absque necessitate manifesta, omittere non debet; nec debet aliquo die de matutinis aut vesperis aut completorio morari, absque licencia illius qui pro tempore preest conventui, nec aliquis alius frater; nec debet extra claustrum pedes suos in Sabbatis abluere, nisi de licencia speciali; nimirum cum ipse utrobique, sicuti et ordinis

[1] *quo*, MS.

[2] *vel...venerit*, erased, MS.

custodes, in exemplum bene et ordinate vivendi aliis esse debeat. Ad illius spectat officium tabulas in altis duplicibus et supra scribere festivitatibus, atque antiphonas in evangelio super "Benedictus" et "Magnificat" in cappis, et in festis principalibus, necnon et in albis et quibuscumque festis xij. leccionum, et similiter privatis diebus; antiphonas quæ per O incipiunt super "Magnificat" ante Natale Domini, atque antiphonam super "Benedictus" in vigilia vigiliæ Natalis Domini, in abbatis absencia, inchoare, et eas semper psalmis decantatis reincipere. Et quociens abbas vel ipse cantor antiphonam in evangelio incipit, vel aliquis obedienciarius, ad peticionem ipsius, sicuti antiphonas prelibatas quæ per O incipiunt, idem cantor ceteras antiphonas, quæ consequenter ad suffragia canentur, est proculdubio incepturus; atque in nocturnis, et in laudibus, et ad omnes horas diurnas in capis, in albis, in festis xij. leccionum, et similiter ad matutinas de vigilia vigiliæ Natalis Domini, antiphonam post psalmos decantatos reinchoare tenetur. Necnon et omnes cantus ad processiones, et antiphonam ad mandatum, et benedicciones ad gracias, una cum psalmo "Miserere mei, Deus," tenetur incipere; et, si qua sunt roganda, rogare.

De gestu precentoris inter vesperas matutinas in festis principalibus et aliis solempnibus.

Qui eciam inter vesperas in festis principalibus et aliis solempnibus, sive dompnus abbas affuerit, sive non, in choro residebit, psalmos intonando, antiphonas reinchoando, atque omnes cantus debito more festive ac celebriter cum moderamine sustentando. Et quando prosa vel psalmus "Benedictus" sive "Magnificat" solempniter in duplum cantatur, ipse per chori longitudinem hinc inde, detecto capite, vultu placido, circumquaque se divertet, exemplum prebens, ac innuens fratribus ut libenter, devote, ac celebriter cantent; ita tamen quod ante "Gloria Patri" ad finem/ psalmi [fo. 42b. "Benedictus" sive "Magnificat" ad suam redeat stacionem, ut una cum aliis ibidem se inclinet. Debet insuper, ante processionem quæ fit in capis, in abbatis absencia, atque

iterum quando ad processionem ante corpora sanctorum fit sollempnis stacio, incensum turibulis ponere; et abbati, cum affuerit, tam ante processionem quam ad stacionem turis acerram, cum manus osculo, humiliter offerre; atque, ut cantent, fratres ad stacionem rogare, et abbati cantum ad introitum notificare. Qui ideo, pro consuetudine, inter duos choros ad processionem incedere debet, ut luculenter hinc inde circumquaque respiciat, ne aliqui sint desides et cantare dissimulent, aut per incuriam minus ordinate aut incomposite negligenter incedant; et quod non sint plures in uno choro gradientes quam in alio, preter abbatem aut priorem, quin eos suo nutu numero faciat coequari. Qui eciam in omnibus principalibus festis cum vj. sociis chorum tenebit; necnon et notam super "Gloria in excelsis Deo" sacerdoti intimabit. In aliis vero festis quæ in capis coluntur cum quatuor sociis chorum tenebit; atque in Dominica Palmarum cum duobus sociis, et eodem modo quando conventus fuerit in albis; et in die quo aliquis frater sepeliri debet, cum succentore tantum chorum tenebit. Et quociens indutus chorum regit, gradale et "Alleluya" sive tractum rogabit. Rogabit insuper fratrem qui evangelium super palmas, et qui passionem legat, atque fratres qui ad crucis adoracionem induentur in Parasceve, et pro leccione in capitulo in Cena Domini, et pro ympno "Tellus ac ether," quatuor fratres ipso die in capitulo cantantes, et fratres qui ipso die ministrabunt ad mandatum, et qui cereum benedicet in Sabbato sancto.

Cantor, quando de magna missa in tabula est, atque eam celebrat, officium similiter cantoriæ ex moderno usu, licet non rite, exequi solet, quousque antiphonam in evangelio reinceperit, nisi ad laudes indutus existat; quia tunc in laudibus nullam proculdubio incipiet aut reincipiet antiphonam, sed hoc ejus socius. Ex consuetudine quidem antiqua, cantor, cum in tabula fuerit de magna missa et in aliquo festo xij. leccionum ad matutinas, vel ad matutinas in vigilia vigiliæ Natalis Domini, officium missæ in conventu personaliter faciat, sive dompnus/ abbas affuerit, sive non; officium [fo. 43. similiter cantoriæ facere non debet, sed neque in casu hujuscemodi abbati, cum affuerit, antiphonam innotescere; sed

ejus collega hoc facere tenetur ; quoniam, ut nulli dubium est, illud officium sacerdotale cantoriam precellere dignitate, et ideo cantor, cum ita acciderit, officium quod majus est exequi debet reverenter. Cum vero cantor in tabula fuerit de coquinæ officio, bene potest et debet benediccionem ad gradum accipere consuetam, eaque recepta et facta inclinacione, a latere se divertens antiphonam commemoracionis rite inchoabit, atque ad "Gloria Patri," si inmediate subsequatur, priusquam a loco recedat, se ordinate inclinabit. Illius namque interest, ad vigiliam mortuorum, quociens ad gradum tres versus ad tercium responsorium cantari debet, una cum succentore et aliquando altero socio adjuncto, illos cantare. Psalmos ex sua parte intonabit, et ympnos ad vesperas et ad matutinas incipiet, cantoria ex sua parte existente. Et, quociens capa est in choro, incipiet, qui eam tenet, officium missæ et alios cantus ad missam pertinentes.

Qui cantor, si aliquos percipiat propere aut nimis protrahendo, vel aliter quam decet aut oportet, segniter videlicet aut discorditer cantare aut psalmodizare, usque ante eos humiliter incedere [debet], capite detecto, signum ei[s] leniter faciens, ut melius et conveniencius psallant ; qui eidem continuo, tanquam abbati, obtemperantes, detectis capitibus, reverenter inclinabunt.

Cantor incaustum fieri faciet, quociens opus fuerit, et illud non solum fratribus, sed eciam secularibus curialiter inpendere. Similiter fratrum necessitatibus de membrana providere tenetur ; atque scripta in capitulo legenda legere, componenda componere, corrigenda corrigere, atque sigillanda sigillare. Cujus eciam specialiter incumbit officio unius clavis de cista, in qua est commune sigillum, per capitulum custodiam habere. Et custodia similiter de librario ad ipsum pertinet, et de universis armariorum libris curam geret, et eos in custodia habebit ; [sed ejus studii et scientiæ est,[1]] ut eorum custodia ei competenter debeat commendari. Omnes vero libros qui in sua et succentoris custodia sunt, tam in ecclesia quam in claustro, necnon psalteria ac antiphonarios qui magistri noviciorum curæ com-

[1] An erasure in MS. These words are supplied from O.

mendantur, renovare, ligare, et, quociens opus/ [fo. 43b. fuerit, sumptibus suis resarcire faciet; ita tamen, si scriptores teneat, quod de eorum victui necessariis per conventum aliquantulum subveniatur eidem.

De pensione cantoriæ debita et assignata, certa est a thesauraria percipienda, videlicet vj. marcæ[1] et quatuor solidi[1] quolibet anno; et inde percipiet succentor viij. solidos. Similiter cantor, ad opus scriptoriæ, qualibet septimana unum mandatum cotidianum de elemosina percipiet.

De succentoris officio.

Succentor officium cantoris in omnibus quæ predicta sunt, si absens fuerit, debet suplere; et precentor similiter, ex antiqua consuetudine, officium succentoris in illius absencia suplere tenetur. Nimirum in obsequio divino suplere defectus[2]; inter quos nullatenus esse debet, quod absit, invidenciæ aut cujuscumque subjeccionis tipus, sed mutuæ societatis et honorificenciæ cultus, maxime cum Deo servire concordi affectu et humili spiritaliter sit regnare; nimirum cum gloriosa atque liberrima sit servitus illa quæ a creatura suo reverenter inpenditur Creatori. Sed arrogancia semper mundialem inquirit libertatem; quæ quidem libertas laborem refugit, et quieti semper inheret. Et hac de causa mos ille antiquus de eorum officio vicissim adimplendo, non recte aut aliqua racione interveniente, sed negligenter et voluntarie, ab usu jam fere moderno recessit.

Precentor quidem et succentor, in eo quod chorum regere debent, in loco abbatis sunt; et ideo eisdem, quoad officium sibi commissum, tanquam abbati est obediendum. Ipsi enim, sicut[3] et tutores ordinis, frequentes et assidui præ aliis esse tenentur in divino opere, exemplum in labore, mansueti in correpcione, et in religione devoti. Ad quorum spectat

[1] *marcas, solidos,* MS.

[2] The scribe has dropped a line. O reads: "Nimirum, cum ambo per capitulum constituantur, debent sollicite alter alterius piius supportare et quosque vicissim in obsequio divino supplere defectus."

[3] *sunt,* MS.

officium sedula discrecione die noctuque providere, ne aliqua presumpcio aut negligencia in divino proveniat obsequio, et ne ipsi per oblivionem aut ignoranciam aliquid de contingentibus pretermittant; quoniam, ut prefertur, ignominiosum est falli a quibus alii debent corripi.

Ad succentoris specialiter pertinet officium libros officio chori necessarios custodire et in chorum portare, quociens opus fuerit, ac iterato salvo reponere; omnesque tabulas tam [trium quam][1] xij. leccionum et in albis et in capis usque ad festa alta duplicia scribere, nisi per capitulum dispensetur cum eo, quasi[2] forte/ alleviacionis gracia[2] de tabula [fo. 44. saltem trium leccionum a fratribus juvenibus scribenda. Sua tamen interest cotidiano more tabulam diligenter inspicere, scrutari, atque corrigere, si opus fuerit, priusquam in capitulo legatur, ne aliquid in ipsa reperiatur reprehensione dignum, quam nulli alii ante capitulum inspicere licet, preter juvenem qui eam est lecturus. Sed post capitulum a fratribus sollicite intuebitur, ut possit unusquisque scire, et ante vesperas previdere, quæ et quot in ea habet, et ut a succentore aut a fratre qui eam scribit, si quid negligenter in ea factum sit aut non bene dispositum, ante vesperas possit emendari. Qui quociens in ea mutat quippiam aut emendat, fratri aut fratribus, quibus aliquid deputaverit, ante vesperas vel post vesperas, ante horam videlicet collacionis, pro more intimabit; quia post collacionem, absque reprehensione, hoc nulli poterit intimare. Previdendum est cantori specialiter atque succentori, præ ceteris aliis, ne aliqua in rebus hujuscemodi eveniat negligencia.

Debet eciam succentor privatis diebus antiphonas super "Magnificat" et "Benedictus" atque antiphonas quæ consequenter ad suffragia canendæ[3] sunt inchoare; nisi quando abbas vel precentor, aut alii rogatu precentoris, antiphonas in evangelio inchoant, prout supra paulo ante exprimitur. Succentori[s] insuper est omnes antiphonas privatis diebus super psalmos reincipere, et psalmos ex parte prioris intonare, quia succentor ex parte prioris semper esse debet, sicut precentor ex parte abbatis. Debet insuper ante missam

[1] Erased, MS. [2] *qui si*, *graciam*, MS. [3] *canenda*, MS.

matutinalem et ante magnam missam, quociens opus fuerit, noticiam de numero et ordine collectarum sacerdoti qui missam est celebraturus eciam super missale, si indigeat, evidenter ostendere; et, si opus fuerit, donec eas dixerit, secum ad altare morari. Et similiter, tam de officio capæ in choro quam de leccione mensæ in refectorio et collacionis in capitulo, et aliis quibuscumque rebus ad divinum officium pertinentibus, fratres, quociens fuerit requisitus, mansuete instruere. Quando vero ad missam defunctorum tres sunt cantores in capis ad formam, precentor reget, ut premissum est, et abbas vel prior missam cantabit; et tunc, ex recta consuetudine, tres fratres in capis cantabunt gradale et quatuor tractum similiter in capis, videlicet unum fratrem pro gradali[1] et pro/ tractu duos rogabit cum ebdo- [fo. 44b. medariis.

Sui insuper officii est lecciones et tractum, scilicet "Benedictus," rogare ad missam de jejunio in Sabbatis quatuor temporum; et similiter, quando aliquis frater tali sentencia per capitulum ponitur quod officium, de quo in tabula fuerit, facere non possit, precentoris vel succentoris est illud officium rogare. Et si aliquis frater, cum in tabula fuerit, de aliquo officio durante per ebdomadam per primos quatuor dies tabulam suam fecerit, si tunc per egritudinem infirmitorium intret, precentoris vel succentoris incumbit officio tabulam illam ex tunc rogare; sed, si die Lunæ aut eciam die Martis in infirmitorium ita aliquis ingrediatur, faciet precentor vel succentor tabulam mutare quousque in chorum redeat, nisi frater ille eam sponte rogare voluerit. Necnon et alia hiis similia, quociens opus fuerit, verbo aut signo rogare tenetur. In obitu vero fratrum, de consilio cantoris, succentor vigilias ordinabit, et ad eas, cum hora exigerit, fratres excitabit. Cura breviculorum, quæ pro fratribus de medio sublatis mitti solent, precentor sive succentor, quicumque illorum in die sepulturæ fratris defuncti fecerit officium in conventu, faciet illa scribere et per nuncium ad illud assignatum per Angliam mittere; et propter hoc, in distribucione bonorum fratris

[1] *gradale*, MS.

defuncti, car[t]ulam et pergamenum, si fuerit inventum, perciperet.

Succentor eciam cum sua laterna inter matutinas, quociens voluerit singulis anni noctibus, si viderit expedire, fratres sompnolentos et pigritantes, ante eos transeundum ad psallendum, leniter excitabit, atque de talibus crebro clamores in capitulo faciet. Debet insuper succentor, una cum precentore, in festis principalibus et quociens fit processio solempnis eam decenter et rite ordinare; qui eciam specialiter in Dominica Palmarum et in die Dominicæ Asscensionis cum processione obviali pro more incedet. Necnon et in festivitatibus quæ in albis coluntur ad duodecimum responsorium cum precentore in tabula ponetur, nisi ipsemet de magna cantaria in tabula existat. Et quociens tres versus ad tercium responsorium de vigilia mortuorum ad gradum cantari debent, a cantore et ipso concinentur, ut premissum est. Qui eciam una cum precentore per singulos/ dies mensæ leccio- [fo. 45. nem collacionis et lecciones de nocte [1]tenentur ordinare, et lectores sollicite ascultare[1] et docere. Sed proculdubio juvenum magistri, tam de modo legendi et accentandi et punctuandi, quam de modo naturaliter canendi, suos discipulos tenentur instruere; atque martylogium, epistolas, evangelia, eorum[que] lecciones, quas ad matutinas et ad prandium sive ad collacionem legere debent, studiose ac diligenter audire.

Succentor vero, cum precentor absens fuerit, eandem dignitatem quoad cantoriam habebit, sicut precentor habet in conventu existens. Succentor, cum precentor presens fuerit, omnes tabulas habebit ad sacerdotes pertinentes. Nec ponetur in tabula de "Alleluya" in cantoris absencia, eo quod ad processionem in Dominica indui non potest, nisi festivitas quæ in capis est, aut in albis in Dominica contigerit. Sed, cantore presente, in omnibus utrobique sicut alii claustrales simpliciter se geret, ceteris fratribus in choro specialius divino servicio jugiter insistendo; quod si non fecerit, et vagus reperiatur aut discursor, ab oracionibus, horis, missis se negligenter absentans, vel a claustro illicenciatus egrediens,

[1] *tenentur...ascultare*, partly over an erasure, partly in margin.

ceteris acrius debet reprehendi. Si autem pro necessitate urgentissima et inevitabili, quod absit, eveniat quod alicui diacono ad tempus succentoriæ injungatur officium, non sicut prius tabulas juvenum habebit minutas, sed in illud officium admittendo ab eisdem tabulis interim absolvetur. Non enim novit levita sacerdoti collectas seu alia ad missæ consecracionem spectancia recta serie intimare; et ideo levita cantoriæ officium exequi rite non valet.

De sacrista et suis sociis, atque de hiis quæ ad eorum spectant officia.[1]

Secretarius sive sacrista ex veteri consuetudine curam habere debet omnium ornamentorum tocius ecclesiæ, immo super omnia quæ ad eam pertinent; omnem ecclesiæ censum sive thesaurum tam in auro et argento quam in lapidibus preciosis. Cruces vero et philacterias, feretra, textos, omnesque reliquias, candelabra, turribula, acerras, calices, vinaria vasa et aquaria, coronas, pelves, et cetera vasa ad luminis officium necessaria, cunctaque sacri vasa ministerii, et si qua sunt alia quæ circa altare versantur; pallia omnia, sive pannos sericos, chapas chori, casulas, tunicas et dalma/ticas, albas omnes atque cortinas, tapeta, [fo. 45b. bankalia ceteraque ornamenta lanea sive linea, quæ ad apparicionem ecclesiæ aut capituli pertinent, atque universa indumenta ecclesiæ sagaciter et sollicite custodire et curare debet.

Luminaria ecclesiæ habundanter et honorifice[2] procurare, cereos sive candelas, quocienscumque necesse fuerit, refectorio cameræ prioris, hostiiario, infirmis fratribus et subcamerario, atque fratribus aliquod iter pro qualicumque causa arripientibus, venerabiliter ac officiosissime, ut moris est, tenetur exhibere. Refectorario namque a festo sancti Michaelis usque ad festum Omnium Sanctorum decem cereos, et a festo Omnium Sanctorum usque ad Purificacionem beatæ Mariæ quatuordecim cereos, liberabit, et qualibet ebdomada unum ruellum ad illuminandum eos. Similiter in claustro

[1] *officiis*, MS. [2] *hororifice*, MS.

quatuor crasseta, et unum in introitu capituli, et unum in navi ecclesiæ, et unum ante hostium chori, et unum super gradum "Canes," et unum in thesauria ecclesiæ (in universo sunt novem) inveniet, et qualibet nocte per famulos ecclesiæ illuminanda et extinguenda. Et similiter quatuor cereos in ecclesia nocte dieque ardentes, videlicet tres ante corpora sanctorum et unum coram magno altari, ministrabit. In utroque festo sanctæ Crucis et in omni festo principali tres cereos alios, nocte et die ardentes, in ecclesia inveniet: videlicet, unum coram cruce in navi ecclesiæ, et unum coram cruce ad altare beati Benedicti, et unum coram cruce ad altare sanctæ Katerinæ; et ante crucem in infirmitorio et in capella abbatis. Similiter ad omnia altaria in ecclesia et infra cepta monasterii, ubi cantatur missa, dua inveniet luminaria ad minus in cera. Et ad quodlibet altare, in die sancti vel sanctorum in quorum honore dedicatur sive consecratur, tres cereos inveniet: unum videlicet assidue ardentem die et nocte; et duos pro servicio, videlicet pro duabus vesperis, matutinis et missis, et pro processione, si fuerit. De cereis quæ sunt circa corpora sanctorum et circa magnum altare, quando et quot, satis luculenter in rubricis sacristæ describitur; et ideo transeo.

Abbati siquidem cereos duos in capella sua, sive fuerit infra portas sive in maneriis de prope, honorifice inveniet; similiter priori, si fuerit extra portas in suo solacio, candelas grossas pro missis celebrandis, et alias candelas spensabiles pro cena et pro servicio de nocte reddendo, sufficienter inve/niet. Et quocienscumque prior moratur de com- [fo. 46. pletorio in yeme, capellano ipsius sacrista liberacionem faciet sufficientem. Similiter ad laternam ipsius pro circuitu faciendo, necnon et ceteris custodibus ad circuitus sive exploraciones faciendas, atque fratribus in choro ad vigilias matutinarias, quociens opus fuerit, sufficientem de candelis melioribus liberacionem faciet; et candelam grossam et necessariam sacerdoti ebdomedario et lectoribus ad matutinas tradet. Ad librum vero minutorum unam qualibet nocte ponet candelam; et, si nullus fortasse dicat ibi matutinas, ca[n]delam resumet.

Ante matutinas siquidem in omni festo principali et pari principali, quando abbas et alii fratres revestiri debent, revestiario quatuor liberabit candelas. Necnon et ceteris diebus, quandocumque fratres nocturnis horis indui debent, et quociens alias necesse fuerit, eidem revestiario atque aliis, tam fratribus quam eciam famulis in ecclesia jacentibus, ad quæcumque necessaria in monasterio agenda, velud in nocte Paschæ et in exequiis fratrum de nocte faciendis, candelas affixendas pro conventu usque ad infirmitorium undique in muris, et in campanili, in ecclesia, et in cimiterio sufficienter lucernam inveniet; et similiter pro vigiliis fratrum defunctorum in choro reddendis.

De candelis hospitibus liberandis. Cuilibet monacho supervenienti et in hostilaria pernoctanti quinque inveniet candelas de melioribus, et hoc precipue ac pro more antiquo, inter beati Michaelis solempnitatem et festum Purificacionis beatæ Mariæ. Ceteris vero anni temporibus, tres ad minus habebit candelas, atque plures si fuerit necesse. Et si duo fuerint monachi in hospicio recepti, duplicabitur eis numerus supradictus. Sed quociens aliquis prior advenerit ordinis sancti Benedicti, si fuerit conventualis, non certificetur numerus candelarum, sed ad sufficienciam quolibet anni tempore, si fuerit necesse, inveniet. Similiter, quociens aliquis abbas advenerit, proculdubio abbati, numero non certificato, candelæ ad sufficienciam debent exhiberi; et, quamvis fuerint duo vel tres aut plures abbates seu priores in ea simul pernoctantes, sufficienter, non certificato numero, inveniet.

Liberabit insuper cuilibet fratri in infirmaria jacenti, a festo sancti Michaelis usque ad festum Omnium Sanctorum, vij. candelas per ebdomadam; et, inter Omnium Sanctorum festivitate[m] et beatæ/ Mariæ Purificacione[m], cuilibet [fo. 46b. fratri ibidem jacenti xiiij. candelas. Similiter, cuilibet fratri infirmo, cum inunctus fuerit, duas ad minus singulis noctibus vel eciam plures, quotquot opus fuerit, usque ad nonum diem liberabit candelas; et similiter fratri, cum medicinatus fuerit, quotquot habet necessarias.

Similiter preparabit in die Purificacionis tot cereos portandos in processione quot sunt fratres in congregacione; et

quilibet cereus duas libras et dimidiam ponderabit. Similiter, in sepultura cujuslibet fratris, tot cereos parvos quot sunt in choro monachi et alii religiosi inveniet portandos; et per tres noctes ante Pascha xxiiij^or. cereos, quilibet de dimidia libra, in choro pro servicio inveniet; et totidem in infirmaria pro servicio fratrum infirmorum, de uno quarterio.

De aliis luminaribus ad sacristam pertinentibus, sicut de cereo Paschali et aliis circa corpora sanctorum et magnum altare, de pluralitate et grossitudine non hic scribo, quia mutantur cotidie et varia[n]tur.

Distribucio ceræ per sacristam facta contra Purificacionem. Sacrista hanc distribucionem ceræ subscriptam conventui semel in anno faciet, secundum prioritates; sub qua abbas, prior, et omnes obedienciarii cum ceteris fratribus comprehenduntur. Primo, ad altare beatæ Mariæ in criptis, xv. libras. Domino abbati, xl.[1] libras. Priori, xv. libras. Subpriori, ix. libras. Precentori, vij. libras. Viginti sex senioribus singulis, vj. libras. Octodecim fratribus singulis, v. libras. Ceteris fratribus junioribus singulis, iiij. libras. Item, cum sacrista prosternit cereum Paschalem, liberabit custodi criptarum de cereo predicto xl. libras, ad illuminare beatæ Mariæ ibidem.

De luminaribus in claustro, capitulo, dormitorio, locutorio, acendendis. Et sciendum quod, quocienscumque accenduntur cerei ad cenam sive ad potum conventus in refectorio, accendi debet continuo cereus unus in capitulo et crassetum in locutorio regulari, et omnia crasseta in dormitorio, necnon et quatuor crasseta in claustro; quæ crasseta in claustro nullatenus tunc extinguentur, donec fratres post completorium pausatorium introierint; et maxime illud in locutorio, cum fuerint aliqui f[rat]res minuti, extingui non debet, quousque dixerint completorium et dormitorium sint ingressi. Et preterea, quocienscumque completorium ita sero canitur quod sit necesse ut ad chorum illuminandum cerei accendantur, crassetum ante hostium/ ecclesiæ in claustro et crassetum ad ostium [fo. 47.

[1] This is a reduced amount, some figures having been erased.

chori proculdubio accendentur, ut fratres secure super gradum in exeundo absque offendiculo incedere queant; et, si opus fuerit, crassetum ante ostium dormitorii similiter accendetur. Quæ quidem duo crasseta in claustro extingui tunc non debent, donec factus fuerit circuitus[1] a priore claustri; et illud maxime ante ostium dormitorii nullatenus extinguetur, quousque fratres, si minuti fuerint, completorium dixerint et in dormitorium assenderint ordinate.

Quandocumque vero necesse fuerit ut ad potum caritatis cerei supradicti accendantur, tunc confestim postquam fratres refectorium ingressi fuerint, vel eciam, si opus fuerit, priusquam illud ingrediantur, crassetum ad ostium refectorii, et alia per quæ conventus versus ecclesiam est iturus, pro consuetudine accendi debent; quæ tunc proculdubio nullatenus extinguentur, donec perfecerit circuitum prior claustri; et illud maxime ante ostium dormitorii, ut prefertur, extingui non debet, donec sanguinati, si fuerint, fecerint quod predictum est.

Quinque autem crasseta prelibata, quæ singulis anni noctibus, dum canuntur matutinæ, in claustro jugiter ardeant, nullatenus extinguentur, donec post matutinas decantatas conventus dormitorium sit ingressus; et maxime illa duo ad ostium ecclesiæ et dormitorii extingui non debent, donec omnes fratres in ecclesia jacentes in eam ordinate de dormitorio sint reversi. Et, ut plenius constet universis de crassetis utrobique accendendis et extinguendis, sciendum quod per subcamerarium crasseta in dormitorio, quaqua nocte post completorium vel ante, accendi debent quam cito tenebrescit, quod per illius medium clare ab intrantibus non possit intueri; et debet illud proculdubio crassetum ante gradum in dormitorio accendi, priusquam percenaverint aut potaverint fratres in yeme, quociens opus fuerit, ut scandere et descendere absque offendiculo, qui voluerint, valeant ordinate. Extingui vero non debent crasseta in dormitorio hora matutinali, donec diei tanta lux appareat, ut per illius medium ab intrantibus et exeuntibus clare possit intueri. Et hæc regula predicta in crassetis in infirmaria[2] accendendis et extinguendis est simi-

[1] *facta, circuitu*, MS.

[2] *infirmariam*, MS.

liter observanda. Crasseta quidem in dormitorio et in infirmitorio a camerario/ inveniuntur; quæ crasseta per [fo. 47b. subcamerarium a famulis ad hoc specialiter deputatis aptari et parari debent, quociens opus fuerit.

Sacrista, quociens opus fuerit, in ministerium divinum incensum ad omnia altaria in monasterio inveniet. Et, quociens opus fuerit, sumptibus suis reparare et renovare tenetur omnia missalia, et calices omnes, panem et vinum, fialas, pelves, corporalia, et pallas, manutergia, et quæcunque alia ad missas celebrandas fuerint necessaria ; necnon et textos atque librum evangeliorum, epistolarium, librum exorcismorum, et quoscumque benediccionarios, collectaria, librum minutorum, et si qua sunt alia ad altarium volumina sive sacerdotum ministerium specialiter pertinencia, de cantoris consilio et industria, componere, et quociens opus fuerit, decenter reparare tenetur.

Inveniet insuper idem sacrista mattulas scannorum in capitulo ex parte australi, et tabulas sonatiles cum malleolis, et signum ad excitandum fratres in dormitorio dependens invenire tenetur ; sed camerarius cordulam ad illud procurabit, et quociens opus fuerit reparare faciet. Idem vero sacrista cymbalum in claustro et scillas ad mensas in refectorio inveniet; atque ecclesiæ et mediam partem capituli, et cciam claustri versus austrum, a locutorio abbatis usque ad hostium regularis locutorii, tecturam sumptibus suis invenire tenetur.

Ipsius insuper est cereos collacionis invenire, atque cereos in die Purificacionis beatæ Mariæ, et candelas et cereos ad sepulturam fratrum, ut ante dictum est; necnon et palmas ceterarumque frondium ramos in Dominica Palmarum fratribus per ordinem distribuere; atque ad missas fratrum privatas per totum monasterium cereos vel candelas invenire, et eos mutare, quociens opus fuerit. Necnon et patellas ferreas cum ignitis carbonibus ad altaria singula, exceptis in infirmaria, et ad altare, ubi cantatur missa pro ecclesia, quociens in yeme opus fuerit, fratribus missas celebrantibus tenetur exhibere. Ac insuper candelas, cum omni diligencia, ut bene et clare ardeant, specialiter confectas, prout fueri[n]t illæ quibus ad matutinas lecciones leguntur, quociens per

annum opus fuerit, fratribus ad aliquam causam missas suas mane celebrantibus, cum/ aliis quibuscumque neces- [fo. 48. sariis, pro more invenire.

Mattulas vero in choro et in claustro ex parte australi a locutorio abbatis usque ad ostium dormitorii, et mattulas parvas noviciorum; similiter et mattulas in capitulo ad discum et ad scanna in parte australi, et ante omnia altaria in ecclesia et in choro, et super gradus et scanna, ubicunque necesse fuerit, in ecclesia annuatim faciet renovare; atque alia quæcunque hujusmodi necessaria sollicite procurare tenetur. Inter hæc sciendum est quod, quocienscumque chorus sternitur, per sacristam sternetur, et capitulum et area ante altare beati Benedicti, et area in criptis. Similiter sternetur claustrum et utrumque locutorium per elemosinarium, atque per infirmarium capella infirmorum.

Secretarii quidem interest in magno cimiterio, quod[1] dicitur fraternitatis, sepulturas secularium ordinare et jubere fieri, qui de licencia ipsius ibi debent sepeliri. Ipsius insuper est diligenter investigare, ne decidant tecta ecclesiæ aut capituli in parte australi, vel claustri juxta ecclesiam et capitulum.

Secretario siquidem licitum non est in ecclesia cum aliquo loqui monacho, nec eciam cum aliqua seculari persona, aliquo monacho presente, nisi sit aliquod miraculum vel reliquiarum virtutem ad noticiam exprimendo, et hoc non manifeste, sed breviter, si necesse videatur, quasi in silencio, nisi forte cum rege aut regina, vel aliquo episcopo, aut nostri ordinis abbate, seu magnæ auctoritatis comite, ut si domini regis sit frater aut filius, loqui oporteat. Nec eciam cum suis famulis loqui debet manifeste, nisi in sacristia aut in campanili seu alio loco secreto a conventu penitus semoto.

Subsacrista vero, secretario absente, illius in omnibus suplet officium; quo presente, ad sacristiam accedere non debet sine licencia speciali, nisi sit forte pro aliqua majori necessitate, casu aliter ingruente. Custodia namque tocius ecclesiæ et rerum omnium, quæ in ea sunt vel ad eam pertinent, sub ipso sacrista est. Et, quia hujus ministeriis, tam in hiis quæ hic scribuntur quam in multis aliis quæ hic scripta non sunt,

[1] *que*, MS.

valde inplicata est cura, non uni tantum sed multis commendari debet, atque inter eos dividi juxta quod providerit abbas, ita quod unus eorum sit magister aliorum, ad cujus disposicionem ceteri agant, majoribus tamen causis servatis arbitrio abbatis vel prioris.

Quatuor autem fratres ad minus cum secretario in ecclesia pro consuetudine jacere debent, videlicet duo subsacristæ et unus thesaurarius sive revestiarius/ cum socio uno; [fo. 48b. qui duo subsacristæ jacebunt in ecclesia. Revestiarius sive thesaurarius cum socio jacebunt in thesauraria sive in revestiario. Isti tres, videlicet thesaurarius et duo subsacristæ, ab abbate constitui, sicut et ceteri obedienciarii, in capitulo consueverunt. Revestiarius sive thesaurarius, et alius qui in auxilium ejus deputatur, reliquias reverenter portare et reportare tenentur in conventum, quociens opus fuerit. Et quicumque istorum quatuor primo perceperit aliquem in ecclesia defectum, continuo se vergere debet absque mora ad illum defectum supplendum; quod si non fecerit, et ab aliquo ordinis custode percipiatur, acriter in capitulo de ipsa negligencia debet idem frater corripi. Et, quia subsacristæ ceteris fratribus specialius ac familiarius secretario in societate sunt annexi, ideo, ipso absente, vices ejus in omnibus supplebunt.

Debet proculdubio secretarius, una cum eisdem, ex recta consuetudine in sua jugiter habere custodia oblatas, vinum, thus, ceram, cepum, carbonem, cereos, et candelas, et alia quæcunque sunt divino necessaria ministerio, ut si, casu contingente, per absenciam aut oblivionem ejusdem sacristæ aliquis de rebus hujusmodi in divino sit defectus obsequio, quod absit, per ipsos possit suppleri continuo.

Hii autem primi ad sonitum horologii surgere debent, et, si opus fuerit, famulos excitare, ac postea, si voluerint, in dormitorium ire, et singula suorum officiorum sunt ita sagaciter providere, ut tribus oracionibus possint interesse. Qui proculdubio, sicut et ceteri qui in ecclesia jacent, nisi oracionibus et horis atque missis ordinate interfuerint, acrius corripi debent quam alii qui in dormitorio quiescunt.

Qui eciam post completorium quaqua nocte preparabit candelas quæ ad matutinas accendi debent pro servicio,

necnon et cereos, si qui ardere debeant, et candelam similiter quæ in absconsa sive laterna, quæ propter sompnolentos inter matutinas per chorum portari solet; quam proculdubio ex recta et antiqua consuetudine sacrista, sicuti et candelam in eadem accendendam, invenire tenetur. Candelas vero ad hoc specialiter confectas, quæ ad nocturnos psalmos noviciis atque aliis, qui voluerint, quociens opus fuerit, rite distribui solent a subsacrista ebdomedario [succentori commendare debet, ut ipse eas distribuat][1] fratribus de utroque choro, ubicumque viderit necesse. Sed candelas ad lecciones legendas,/ atque candelam sacerdoti necessariam,[2] [fo. 49. quociens opus fuerit, idem subsacrista accendere debet, ac solicite providere, ut ipsa candela cum omni diligencia tam efficaciter componatur, ut propter senes et visu debiles lumen reddat copiosum. Cumque sacerdos, incepto versu "Pleni sunt celi et terra," [altare thurificaverit][1], idem subsacrista eidem absconsam cum lucerna porriget reverenter; abbati vero, si affuerit, cum manus osculo eam protendet, atque, evangelio lecto et finita collecta, eandem absconsam reverencia qua prius ab eodem recipiet, et tunc pulsandum est ad laudes.

Illius insuper subsacristæ incumbit officio, qualibet[3] die Dominica, salem ad benedicendum a celerario recipere, atque post benediccionem in refectorium remittere; quem accipiens refectorarius per omnia salina sive per salarias paulatim distribuet.

Illi vero subsacristæ, cum secretarius domi fuerit, non debent a claustro egredi, nisi per licenciam; nec debent ad sacristiam aliqua vice, nisi pro manifesta necessitate, incedere; nec licitum est eis juxta consuetudinem antiquam per precinctum[4] presbiterii transitum facere, presente secretario.

Privatis quoque diebus [debet][1] subsacrista ebdomedarius, tacto signo modice ad apparatum, ut moris est, antequam pulsetur continue signum ad primam, cuncta quæ missæ matutinali sunt necessaria providere; atque altare chori, ut consuetudo est, veneranter ornare, si missa ad illud debeat celebrari, nisi prius hoc opus cum majori deliberacione adimpleverit, hoc

[1] Supplied from O.
[2] *necessario*, MS.
[3] *quolibet*, MS.
[4] *procinctum*, MS.

solerter proviso quod omnia sint parata, priusquam fiat oracio ante horam quæ fit ante magnam missam. In yeme tamen, cum fuerit conventus super formas, explebitur quod predictum est, antequam pulsetur signum ad terciam. Sed in Dominicis et festis diebus fiet semper apparatus ad missam matutinalem inmediate post capitulum. Atque idem sacrista parabit altare chori, quociens ad illud missa celebrabitur; et togellas sive pallas illius altaris, tersoria, calicem, corporalia, et offertoria, cum aliis missæ consecracioni necessariis, in sua specialiter habebit custodia. Et, quociens opus fuerit, corporalia, pallas, et tersoria ejusdem altaris per revestiarium sive thesaurarium faciet mutare vel la/vare; atque [fo. 49b. pannos omnium missalium aliorumque librorum ad sacristiam pertinencium ipse thesaurarius sive revestiarius componere, resarcire, et abluere faciet, quociens habetur necesse. Et, cum loti fuerint panni missalium, eos altaribus absque mora restituet.

Cujus eciam incumbit officio quaqua nocte in yeme, cum se inclinaverit [sicut] et ceteri, finita leccione collacionis, ibidem ante suam sessionem suppliciter, capite detecto, stare inclinus, donec omnes per eum incedentes proni transierint, ut, illis egressis, cereos collacionis extinguat, et secum in ecclesiam deferat; nisi in illis tantummodo diebus in quibus tali hora potum habent caritatis, quia tunc cum ceteris in suo ordine in refectorium processionaliter incedet, et, egresso conventu de capitulo, famulus de ecclesia continuo capitulum intrans cereos extinguet, et eos secum in ecclesiam deferens loco reponet consueto. Qui quidem, ut prefertur, presente sacrista, de nulla re extra ecclesiam sive in sacristiæ domo se aliqua vice interponet; sed neque de aliqua hora sive de missa se absentabit sine licencia custodis, qui pro tempore conventui prefu[er]it. Quando autem per fleubothomiam seu pro quavis alia causa absens fuerit, idem subsacrista socio suo vel alii ex fratribus qui in thesauraria jacent, quem ad hoc suplendum melius scientem cognoverit magisque ydoneum, suum officium interim commendabit; atque eodem modo subsacristæ aut eciam alii fratri magis ad hoc ydoneo suum commendabit officium reliquiarum custos sive revestiarius,

quociens ob aliquam causam se a choro vel socius suus absentat.

Ad missam vero majorem, tam festivis quam privatis diebus, fiet solempnior apparatus magni altaris hora debita et consueta a revestiario, quociens missa celebrabitur. Qui quidem revestiarius, secundum dignitatem festivitatum, textis, brachiis aliisque reliquiarum philateriis illud decentissime decorabit, prout in sequenti expressius intimabitur, eorum videlicet fratrum suffultus auxilio qui[1] in ecclesia jacent, quociens opus fuerit, ut premissum est. Qui eciam corporalia, pallas, et tersoria ejusdem altaris honestissime, ut decet, cus/todire et, cum opus viderit, abluere faciet; necnon [fo. 50. et reliquiarum philacterias reparare faciet atque redintegrare, ex assensu sacristæ, de denariis ad reliquias oblatis.

In festis quidem duplicibus, hora matutinali, in vigilia ante capitulum vel eciam post, ut in moderno usu habetur, decorabitur magnum altare pallio sive fronterio precioso, philacteriis, et brachiis argenteis sive aureis, et textis; quæ eciam ridello vel albo mantili aut panno serico tecta erunt usque ad vesperas. Custos vero reliquiarum vel thesaurarius sive revestiarius, quod idem est trinomius, aut alius frater qui hæc omnia super altare ordinat et erigit, alba indutus, interim, dum hoc agit, septem psalmos et letaniam cum suis coadjutoribus dicet. Quæ omnia post vesperas ante collacionem tegi debent. In festis vero quæ principaliter celebrantur, adjicientur hiis in augmentum pulcritudinis pallium sive fronterium deauratum, preciosiores philacteriæ, omnesque texti atque calices decenciores, corporalia, cervicalia, et si qua sunt alia hujusmodi vasa aut ornamenta preciosa altari conveniencia.

In ceteris vero festivitatibus, quæ simpliciter in capis coluntur, decorabitur altare philacteriis, brachiis, et textis, non tamen de preciosioribus [sed de septem aut novem porcionibus][2] ad minus, proviso, quociens brachia super altare ponuntur, quod hinc inde loco exteriori collocentur. Et hæc omnia sanctuaria sive ornamenta, quibus taliter in diversis festivitatibus diverso modo altare decorabitur, mane

[1] *que*, MS. [2] Supplied from O.

in crastino post festivitatem ante primam ablata, eadem reverencia atque eodem ordine quo posita fuerunt ab reliquiarum custode in suis armariis salvo reponentur. In albis vero atque in simplicibus festis xij. leccionum, necnon et privatis diebus, si qua fuerit, philacteria, cum reliquiis de sancto unde agitur, super altare sufficit. Quod quidem altare nulla die decenti carebit fronterio; et quod magnum altare nunquam debet esse, quod absit, sine pixide cum eukaristia et libro continente quatuor evangelia et nomina fratrum nostrorum defunctorum et benefactorum in eo scripta, ut sacerdos in eo celebrans memoriam eorum habeat specialiter, sicut et omnium fratrum et benefactorum nostrorum defunctorum quorum nomina in presenti libro sunt scripta.

Hoc autem precipue curet sacrista ejusque socii in ecclesia jacentes, ut reliquiæ et ornamen/ta altaris ceteraque [fo. 50b. ornamenta sanctuarii[1] omni tempore honeste ac reverentissime custodiantur; nec manibus serviencium vel alicujus laycæ personæ aliquo modo tradantur, nisi reparacionis causa sit vel saltem ablucionis. Sed, quocienscumque proferri debent aut salvo reponi, ab ipso reliquiarum custode sive revestiario, quod idem est, in ista ecclesia, aliisque fratribus sibi in auxilium deputatis, debita veneracione tractentur. Et, quia omnis honor et reverencia sacris debetur altaribus, fratres, quociens altarium vacant apparatui vel dum aliud quippiam quamvis modicum circa vel supra illa agunt aut ordinant, detectis pro more capitibus, reverenter incedent.

Nullus autem serviencium debet unquam altari appropinquare, vel ad sanctuaria, quod absit, acedere, nisi pro aliqua sit re per scalam in altum erigenda vel opere artificiali excercenda, quod per fratres fieri non possit; et hoc tunc fiat cum magna reverencia, jubente sacrista, previso precipue et ita ordinato quod nec horam aliquam nec eciam oracionem quæ fit ante horam hujus rei causa omittant ipsi fratres. Abbas autem quocienscumque missam capitalem vel magnam missam in conventu est celebraturus, pectinare se debet in vestiario, ante ipsam missam tamen prius manus abluat, revestiario, et non famulo, eidem ministrante et pectinante.

[1] *sanctiarii*, MS.

Famulus vero nocturnis horis vestiarium intrare non debet, nisi jussus pro aliqua necessitate; et maxime, quando abbas ibidem se induit, nulli laycæ personæ annuetur ingressus, sed aqua cum baccilibus argenteis ibidem in promtu [sit],[1] quæ a revestiario abbati reverenter ministretur, et a famulo nequaquam, juxta quod paulo post evidencius propalabitur.

Revestiarii quoque officium est capas et albas, tunicas et dalmaticas, cum pannis sericis, cortinis, et dorsalibus, calices et corporalia, ceteraque altaris indumenta et ecclesiæ ornamenta in sua jugiter habere custodia; de quibus omnibus suæ tutelæ commendatis, pro loco et tempore, suis fratribus officiosissime ministrabit. Cui specialiter famulus de vestiario atque cum eo alii tres ecclesiæ famuli ad capas plicandas et alia quæque necessaria agenda, quandocunque opus fuerit, famulari ac subvenire tenentur. Horum siquidem trium famulorum nullus/ se aliquo tempore absentare debet, ita quod per [fo. 51. duas aut eciam unam diei horam extra ecclesiam moretur, nisi de licencia secretarii aut subsacristæ ebdomedarii; proviso tamen quod aliquis interim loco illius specialiter assignetur, ne de classico pulsando aut alia re ad divinum spectante obsequium, quod absit, defectus habeatur. Duo enim eorum. ut simul et semel per unum diem aut dimidium extra morentur, licenciari non debent. Revestiarius famulum suum, sibi in auxilium deputatum, potest mittere pro negociis vestibuli specialiter exequendis. Clerici ad corpora sanctorum deputati sui insuper officium est vasa vinaria atque aquaria bis in ebdomada, in prima videlicet et quinta feria, aut sepius si opus fuerit, lavare, ac vino et aqua ad missas privatas summo mane fratribus providere. Revestiarius siquidem corporalia ante Pascha semper, et quociens reliquis anni temporibus expedit, abluet; si tamen presbiter vel diaconus est. Quibus lavandis quanta possit diligencia adhibeatur. Aqua qua lavantur in sacrarium prohiciatur. Quibus lotis, dum siccantur, ne aliquæ[2] sordes eisdem adhereant omnibus modis provideatur, quæ non ad ignem, nec ad solem, vel auram, sive ventum sub divo desiccari debent, nisi majoris necessitatis causa fuerit; sed per se sub tecto in aliquo loco honestissimo.

[1] Erased, and *habeat* written in margin, MS. [2] *aliqua*, MS.

Manutergia sacerdotum sive tersoria de sacrario et pallas super quas missæ celebrantur abluet ipse prius, ac deinde famuli qui de hoc serviunt. Aqua autem in qua ipse hæc omnia abluerit in sacrario recondatur. Et, quociens abluuntur corporalia vel pallæ altarium aut albæ, seu alia quæque ornamenta ministerio consecrata divino, hoc ordine post eorum ablucionem, priusquam usui altaris denuo reassignentur, reconsiliari debent a dompno abbate, videlicet si affuerit, vel a sacrista, vice abbatis, in illius absencia, seu ad peticionem illius sacristæ a quovis alio congregacionis sacerdote, dicente sic: "Reconcilientur ista linceamina vel heæ palleæ altaris, vel albæ istæ, seu hæc altaris ornamenta, sacri ministerii usui preparata vel preparatæ, atque consecrata vel consecratæ, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Respondeatur: "Amen." Factoque[1] super ea cum/ manu crucis [fo. 51b. signaculo, dum dicit "In nomine Patris," aqua benedicta protinus aspergatur. Atque eodem modo reconsiliari debet casula, stola, et manupulum, atque aliud quodcumque ornamentum divino ministerio consecratum, si super nudam terram incaute ceciderit.[2] Idem autem revestiarius albas, quociens opus fuerit, lavare faciet; atque capas, casulas, tunicas, et dalmaticas, ceteraque monasterii ornamenta sibi commissa parare, et rupta resarcire, et ad omnia altaria infra cepta monasterii saltem unum vestimentum integrum cum corporalibus, pallis, manutergiis, tersoriis honestis invenire, et, quociens opus fuerit, lavare et mutare. Proviso sollerter quod famulus de vestiario, in rebus hujuscemodi, omnia quæcumque ex more debito suo spectant famulatui plene ac fideliter exequatur. Debet enim ab eodem famulo, in omnibus duplicibus festis et supra, una togella in choro, juxta stacionem abbatis, et alia ad stacionem prioris ad utrasque vesperas decenter apponi. Qui quidem famulus cantori diurnis horis in quibuscumque festivitatibus, quæ in capis coluntur, atque in anniversariis precipuis, dum se ibidem induit, rite debet obsequi; quod quidem obsequium abbati aut priori nullatenus impendet, sed semper revestiarius.

Cantoris siquidem incumbit officio ad vestibulum indui,

[1] *factaque*, MS. [2] *ciderat*, MS.

quocienscumque ad missam capitalem, sicuti in anniversariis precipuis, sive ad magnam missam, in festivitatibus quæ coluntur in capis, chorum regere debet; in quibus omnibus famulus prelibatus presens esse tenetur ad suum in vestiario, ut moris est, obsequium faciendum, et non in festivitatibus quæ coluntur in albis. Sed, quia precentor antiquitus ad missam capitalem atque magnam missam, quocienscumque tres capæ ad formam in chori medio erant, ad eundem chorum regere consueverat, adhuc ob eandem causam tempore moderno, in festivitatibus quæ in albis celebrantur, se ibidem induere debet; sed hoc permissione et gracia speciali, quod proculdubio nullatenus faciet quando in tabula est de magna missa et eandem celebrat, sed loco quo ceteri missæ ebdomadarii se induunt induetur et ipse; hoc pro more observato, cum conventus ad missam in capis fuerit, quod, explicata missa, unusquisque vestimentum suum et capam utique bene plicatam eidem revestiario humiliter restituat. Revestiarii siquidem interest de albis/ et capis, casulis [fo. 52. atque dalmaticis, aliisque indumentis fratribus, secundum dies et festa et anni tempora, diligenter de coloribus providere.

Cortinæ vero, quæ pro aliqua solempnitate ad ornandum monasterium dependi solent, ante octavum diem deorsum poni non debent, maxime si ipsa festivitas octabas habeat. Et, quocienscumque ad aliquam processionem reliquiæ portari debent, a revestiario preparabuntur reliquiarum philacteriæ, quæ, una cum parvis feretris et brachiis, per tres dies rogacionum ad processionem deferuntur. Quæ eciam super altare magnum posita, inchoata antiphona "Exurge, Domine," ante exitum processionis, cantore fratribus distribuente, suppliciter cum genuflexione atque oris et oculorum osculo admittentur. Abbati siquidem in primis, cum affuerit in die Assencionis ad processionem preciosiorem vel aliam, ad libitum illius, reverentissime revestiarius offeret philacteriam, ac deinde reliquias una cum subsacristis et socio prioris ceteris fratribus distribuet. Similiter et feretrum beati Letardi, cum Corpore Christi superposito, preparet, a presbiteris videlicet sancti Pauli et sancti Andreæ portandum, cum lumine a clerico sancti Pauli portando, in laterna posito; et hii duo

presbiteri illo die cum conventu in refectorio commedere debent, et clericus in aula.

Secretarii quidem est, ac sociorum suorum, debitis horis signa pulsare, vel qualiter pulsari debeant famulis indicare. Nam secretarius horoscopus Grece dicitur, [id est][1] horis intendens, eo quod illius specialiter incumbit officio propulsiones signorum atque horas diei et noctis ita sollicite et sagaciter temperare, ut divinum obsequium atque omnia quæ in monasterio sunt agenda ordinate compleantur. Verumptamen ad terciam et ad collacionem pulsare non faciet secretarius, donec ab aliquo custode qui fuerit in claustro licenciam per signum postulaverit ordinate. Qui quidem oretenus facturus est, priusquam aliquo tempore pulsare faciet, ad horam regularem, fratribus in claustro loquentibus, ut in omnibus et ab omnibus [fiat][2] obtemperanter quod regula jubet et ordo deposcit. Si autem placuerit abbati et conventui ut in premissis aliqua servetur consuetudo, non pulsare faciet secretarius ad primam, donec quesierit per signum licenciam ab aliquo custode claustri. Prioris vero specialiter interest de sonitu ca/pituli et collacionis [fo. 52b. abbatis inquirere voluntatem, si intra claustra monasterii extiterit. Et postea idem prior ex more privatis diebus skillam in capitulum manu propria pulsabit; sed diebus festivis pulsabitur unum ex signis mediocribus in capitulum a subsacrista, seu aliquo ex junioribus cui prior innuerit. Atque eodem modo cum uno ex signis mediocribus pulsandum est in capitulum in vigiliis festorum principalium, et specialiter illorum in quibus in capitulo venia sumetur, priore tamen, si dies privata sit, manu propria illum sonitum inchoante. Tamen sex sunt festa principalia, videlicet Nativitas Domini, Pascha, Pentecostes, sancti Augustini, apostolorum Petri et Pauli, et Assumpcio Dei Genitricis, in quibus famuli ecclesiæ cum majori signo in campanili ad ostium ecclesiæ tenentur pulsare. Ad collacionem vero more cotidiano sacrista, signo a priore accepto, cum una ex campanis mediocribus faciet sonare; atque estivo tempore post meridianam, tacto signo in ecclesia minutatim per intervalla, congregatis fratribus in

[1] Erased, MS. [2] Om. MS.

chorum, pulsandum est ad nonam, priore signum faciente; nec cessabit pulsacio, quacumque die fuerit, usque ad ultimum versum ympni, sive duo signa pulsentur ad nonam, sive unum. Et, quocienscumque a tribus ecclesiæ famulis signum vel signa in ecclesia vel in campanili in cimiterio competenter pulsari non possunt, sufficiens eis auxilium per sacristam impendetur. Diebus autem quibus jejunatur, estivo tempore, faciet secretarius aut subsacrista sonitum intervallo ad sinaxim vespertinam pulsare; et quia pro recta et antiqua consuetudine est observandum, quod sacrista ceterique fratres, quotquot in ecclesia jacent, meridianis horis sicut et de nocte, in lectis suis ordinate quiescent.

Preterea si contigerit quod conventus aliquo tempore tardius ad matutinas surrexerit, ita quod laudes matutinæ ultra modum et indecenter tardaverint, vel aliquid de obsequio divino ob hanc causam abrevietur vel, quod absit, penitus dici omittatur, subsacrista vel eciam alius, cui vice illius hujus rei cura tunc commissa fuerit, per cujus videlicet venerit neglectum, ab hora qua incipit sacerdos pronunciare "Domine, exaudi oracionem meam" inter preces ad laudes, vel cum incipit proferre "Dominus vobiscum,"/ quando [fo. 53. preces minime dicuntur, ante gradum satisfaccionum humiliter prostratus jacebit, quousque prima collecta de laudibus finiatur et inchoetur "Benedicamus Domino." Incepto autem "Benedicamus," nulla expectata licencia, erigat se et non faciens ante et retro ad ordinem in choro revertatur. Hoc modo satisfaciat quacunque die hujusmodi negligencia evenerit. Quod si ita fecerit, aliam veniam in capitulo pro hac re non est petiturus; sed, si hoc facere neglexerit, acriter in capitulo reprehendi debet, non tunc ipse solus, sed et ceteri omnes in ecclesia jacentes; quorum specialiter interest horis atque oracionibus interesse, atque vigilancius et sagaciter providere ne in luminaribus, aut propulsacione signorum, vel aliis quibuslibet rebus eorum ministerio divinoque pertinentibus obsequio, defectus vel aliqua negligencia possit evenire.

Debent autem duo subsacristæ, unusquisque eorum per ordinem, horologii curam et custodiam in sua cursorie habere ebdomada.

Debet insuper subsacrista ebdomedarius parare oblacionem et confessioni interesse, atque ablucioni manuum sacerdotis aquam ministrare ad missam matutinalem, atque ebdomedarius magnæ cantariæ ad magnam missam, quibuscumque diebus et quocienscumque in choro capa non fuerit, et eciam in precipuis vigiliis quando capa est in choro et "Alleluia" ad missam non cantatur, nisi dompnus abbas presens existat; quia, quocienscumque abbas ad aliquam missam in conventu presens revestitus extiterit, ipso missam non celebrante, panis et vini oblacionem sacerdoti est facturus; et subsacrista parabit et illud offeret abbati, scilicet ejus reverenter dexteram osculando. In principio autem missæ fiet generalis confessio, ipso dompno abbate eam semper inchoante, si presens est, sive revestitus fuerit sive non; et manibus sacerdotis aquam ablucionis abbas infundet, tam post offerendam quam post sacrosanctam communionem. Ad missam vero de defunctis, cum conventus . . . .[1] sacerdoti faciet oblacionem cantor de manu subsacristæ prius acceptam, subsacrista interim revestitis aliam oblacionem extendente; postea ultimus revestitus priori, si affuerit, vel fratri qui prior in ordine est de choro abbatis aut prioris; quod dum facit, subsacrista pixidem cum oblatis a latere tenebit, et fratribus ut sunt in ordine, a seni/oribus incipiens,[2] exceptis [fo. 53b. tamen minime professis, si fuerint, oblatas singulas ex more inpendens, sacerdoti ad ultimum ipse oblacionem faciet, quam, licet sit ultimus, ex consuetudine faciet. Debet tamen confessioni interesse atque post sacrosanctam communionem, diebus quando conventus non est revestitus, manibus sacerdotis aquam suppliciter ministrare. Levita siquidem qui ad altare sacerdoti ministrat, nunquam oblacionem est facturus, neque ab altari hora oblacionis recessurus. Nec debet subdiaconus hora abluendi de aqua aut de manutergio sacerdoti ministrare, nisi pro defectu suplendo. Singuli autem fratres, qui sacerdotes sunt, predictam faciendo[3]

[1] The scribe has evidently omitted some words. O. reads: "cum capa in choro non fuerit."

[2] *incipientibus*, MS.

[3] *faciant*, MS.

oblacionem, istam collectam caute sunt dicturi: "Absolve quesumus, Domine, animam famuli tui (vel famulorum tuorum) et animas omnium fidelium defunctorum," et cetera. Ceteri vero fratres inferioris ordinis istum dicent versiculum: "Requiem eternam dona defunctis (vel eis), Domine, etlux perpetua luceat eis," cum oracione "Fidelium Deus." In anniversariis vero principalibus et secundæ dignitatis ita solempniter et morose cantabitur hæc offerenda, "Domine Jhesu Christe," ut omnes qui ad missam capis induuntur cum deliberacione et ordinate offerre possint, priusquam incipiatur versus "Hanc lucem." Diebus autem festivis, cum tres vel plures fuerint capæ ad magnam missam in chori medio, si abbas absens fuerit aut missam celebraverit, semper ab uno ex cantoribus fiet sacerdoti oblacio panis et vini, atque ad manuum suarum ablucionem aquæ administracio, tam post offerendam quam post sanctam communionem. Qui cantor insuper a sacerdote pacem est accepturus, ita tamen quod levita ad pacem sumendam a sacerdote sit primus, et post eum cantor; et populo, si affuerit, ab ipso cantore pacem ministrandam. Abbatis autem incumbit dignitati, si affuerit, nisi missam celebret, tam ipsa hora semper quam eciam post sanctam communionem, hoc humilitatis obsequium, ut premissum est, manibus sacerdotis reverenter aquam inpendere.

Cura faciendi hostias sive oblatas semel per annum ad minus ad subsacristarum spectat industriam, quæ ut mundissime et honestissime fiant summo opere studere debent. In primis, si fieri potest, frumentum cum magno studio granatim eligatur, ubi jusserit abbas, qui subsecretariis annuatim unam pro/ more antiquo summam ad minus ad hoc [fo. 54. specialiter faciet liberari. Frumentum vero, cum fuerit electum, in sacculo mundo et de bono panno facto et ad hoc opus tantum parato ponatur, et a famulo boni studii ad molendinum conventus ducatur. Quo delato, aliud frumentum in ipso molendino moli prius faciat, ut illud unde hostiæ sive oblatæ fieri debent sine aliqua sorde moli valeat. Reportata farina, subsacristæ vas et locum, quo buletari debet, honeste per circuitum cortinare faciant, atque

[1] *subsacristis*, MS.

unus eorum, indutus alba et velato amictu capite, hoc opus agat. Ea autem die qua hostiæ fieri debent, subsacrista qui hoc opus faciet, atque frater qui ei in adjutorium assignatur, priusquam hoc opus incipiant, manus et facies lavent, albis induantur, capita cum amictibus velent. Horum unus super tabulam mundissimam ipsam farinam aqua conspergat, et manibus fortiter inpugnet et maceret. Famulus, qui ferrum in quo coquuntur tenet, manus cyrotecis habeat involutas. Interim, dum hostiæ fiunt et coquuntur, dicant hiidem fratres horas regulares, et horas de beata Dei Genitrice, atque psalmos penitenciales cum letania; quod, nisi a priore licenciam loquendi habeant, omnino taceant. Ille tamen famulus qui ferrum tenet, si necesse sit, breviter quod vult loquatur famulo qui focum facit et pariter cum carbone ligna portat, quæ debent esse valde sicca et ante multos dies de industria preparata. Cui revera operi duo fratres ad minus, quandocumque necesse habetur, cum omnimoda reverencia et honestate vacare tenentur; hoc rite observato, quod subsacristæ, quociens oblatas in crastino facere proponunt, qua hora voluerint priori, aut custodi qui vice illius conventui preest, illud humiliter per signum vel per vocem innotescant, quoniam proculdubio ubicumque et circa quamcumque rem fuerint fratres occupati, et maxime claustrales, a priore claustri semper sciri debet.

Secretarius quidem, si necesse fuerit, casu accidente quod ecclesia, cimiterium, vel capella infra cepta monasterii essent consecranda vel reconsilianda, sive calices vel altaria sive superaltaria, episcopum, sumptibus suis, de consensu abbatis, procurabit, et omnes expensas et omnia necessaria circa ea invenire tenetur.

Famuli ecclesiæ tenentur sacristæ et subsacristis fa/- [fo. 54b. mulariter in omnibus officiis ad eos spectantibus obedire: videlicet, omnia loca in ecclesia ubi stramina sternuntur, cum necesse fuerit, et capitulum mundare et iterum straminibus sternere; omnes processiones ad omnia altaria in ecclesia et in aliis locis ubi missæ solempniter celebrantur custodire; tapeta ponere; cortinas pendere; luminaria illuminare et extinguere; in choro loca cantorum dorseriis, cathedris, pulvi-

naribus, baculis decenter ornare, et iterum omnia amovere; et omnes cortinas in ecclesia et pannos cericeos et grossos temporibus suis pendere et prosternere ; omnes pulsaciones in ecclesia et extra in campanili pulsare, et de adjutorio ad eas sumptibus sacristæ providere ; in Dominica Palmarum, si processio extra ecclesiam vadit, ad locum ubi ordinatur per capitulum tentorium figere ; dorseria sub conventu prostrare ; crucem in navi ecclesie, intrante conventu, detegere. Vexilla ante processionem facient portare, et in omnibus processionibus principalibus usque ad festum Sanctæ Trinitatis, cum quatuor diebus in rogacionibus. Quando sacrista cereum paschalem voluerit facere, ipsi famuli ecclesiæ interesse debent cum aliis et cerofactorem adjuvare ; et ipsum cereum in ecclesia super columpnam erigere, et ipsum semper certis diebus illuminare, et iterum in crastino Sanctæ Trinitatis deorsum ponere. Et omni die, ante capitulum, unus eorum totam aream capituli circuibit, et, si aliquod fetidum sive sordidum ibi fuerit inventum, ammovebit. Et similiter unus eorum ad hostium ecclesiæ semper sit paratus omnibus advenientibus responsurus.

De officio celerarii et qualis debet esse, et de officio subcelerarii et granatoris.

Ad celerarii ministerium pertinent omnia quæ in diversis ciborum generibus fratribus sunt necessaria, videlicet in carnibus, piscibus, et aliis cibariis, secundum facultatem loci procurare ; omnia vasa coquinæ providere. Pater tocius congregacionis secundum regulam debet esse ; de sanis et maxime infirmis fratribus sollicitudinem habere ; preter consilium abbatis vel prioris de majoribus causis nichil facere.

Rogandus est ab eo cantor, ut ante aliquot dies premuniat eum et prenunciet ei diem quo sentencia sua de regula legenda est in capitulo, ut videlicet honestum et festivum servicium ipsa/ die possit facere fratribus in refectorio. Si autem [fo. 55. predicta sentencia contigerit tali die legi qua non possit refeccio honorifice fieri, sicut est in vigiliis, quatuor temporibus,

et hujusmodi diebus, petat celerarius a priore et capitulo licenciam, quo differre possit refeccionem in aliam diem, qua honestius et plenius fieri valeat. Celerarius autem omnia providere debet ne unquam domui de caseo, sale, feno, avena, aut bosco, quod absit, defectus habeatur. De hiis congruis anni temporibus suam prudenciam facere tenetur; atque omnia hujusmodi per eundem ad utilitatem conventus et honorem expendi debent prudenter et discrete.

Celerarius tenetur esse, nisi habeat licenciam a priore, sicut omnes alii fratres, ad capitulum, ad missam majorem et ad collacionem, et ad missam de principali anniversario, et ad Dirige, et ad vesperas, et ad matutinas in xij. leccionibus et supra, usque ad laudes. Sed in aliis duplicibus festis et supra tenetur esse usque ad principalem collectam post laudes, sicut et abbas et minuti. Celerarius autem tenetur esse ad omnem processionem, sicut et omnes alii fratres qui sunt incolumes in monasterio. A domo autem recedere non debet, nec ipse abbas, nec aliquis alius frater, nisi illud priori innotescat, et ubi inveniri possit per singulos dies dum extra morari proponit eidem constare faciat, ut ab eo sciatur indubitanter ubi inveniri debeat, si fuerit fortasse pro aliqua necessitate querendus. Sed neque in suis operibus vel administracionibus aliquid arduum aut insolitum, irrequisito abbatis aut prioris aut aliorum custodum ordinis sive seniorum consilio et assensu, nec aliquid in rebus hujuscemodi est facturus, nisi quod eos velle fieri intelliget; nec presumet aliquid agere quod factum velit eos ignorare.

In tabula ponitur de parvis missis et ad mandatum cotidianum, sicut omnes alii fratres preter capellanos abbatis. Ad matutinas trium leccionum non tenetur esse in conventu, sed debet eas reddere ad sanctum Gregorium cum minutis, vel cum fratribus qui sunt extra conventum, si fuerint. Similiter tenetur esse ad prosam in commemoracione beatæ Mariæ et reliquiarum in conventu.

Celerarius debet comedere in aula communi cum familia, vel in camera abbatis, si domi fuerit; et hospites curialiter tenetur recipere et in omnibus eis necessariis honorabiliter ministrare. De fa/milia curiæ ad eum pertinet ordi- [fo. 55b.

nare, et, si aliquis illorum in aliquo deliquerit, ipsum castigare, et, si necesse fuerit, ammovere et alium loco suo instituere, et sacramentum ab ipso de fidelitate recipere. Tenetur cotidie, dum conventus est in prandio, ad fenestram coquinæ stare, ne in aliquo servicio sit defectus, vel emptor vel suus clericus; et, si non habet hospites, potest, si vult, cum suo emptore ad discum in refectorio cum coquinæ servitoribus reficere, et de pitancia sua cum eis inpartire. Ideo sedebit ad omne prandium conventus ad fenestram per totum annum, quando vacat ei ad disponendum de ferculis et ad respondendum servitoribus per signa de hiis quæ sunt necessaria conventui, et precipue ne opus sit servitoribus ibidem silencium infringere. Subcelerarius autem, clavibus suis interim celerario traditis, si comedit in refectorio, propter contingencia, et celerarius mittet ei cotidie, quando reficit cum conventu in refectorio, unam bonam pitanciam. Similiter et priori ad discum et magistro majoris missæ cotidie per totum annum eodem modo faciet; et quando celerarius comedit ad prandium servitorum, claves suas interim tradet socio suo subcelerario. Celerarius tenetur cotidie, quando conventus bis comedit, ad cenam servire et caseum in prandio et in cena scindere, vel alius de suo rogatu.

Ad celerarium pertinet molendinum apud Weterloke custodire, et omnes defectus ipsius emendare, atque curam portare, et curtulagiorum, videlicet orti, gardini, et rerum omnium quæ in abbacia ad celerarium pertinent, est specialiter habiturus. Tectum vero claustri juxta cameram abbatis et juxta refectorium, atque partem borealem capituli aulæ, atque cetera omnia edificia tocius curiæ ad celerarium pertinencia, sua providencia sustentabit, ut eam ad beneplacitum Altissimi et fratrum quietem atque ecclesiæ utilitatem et honorem possit salubriter adimplere. Et, quando ab eo aliquid postulatur, ultroneus continuo, si habuerit, ac hylari vultu prebeat; cui si forte non est donandi facultas, sit saltem semper ei respondendi facultas, ut neminem unquam verbo aut qualicumque signo contristet.

Celerarius disponere debet de rebus omnibus interioribus celerariæ deputatis, necnon et de famulis[1] officinarum ammo-

[1] *famulis et*, MS.

vendis et substituendis, ut dictum est supra, sa/gaciori [fo. 56. modo quo poterit ordinare tenetur; nisi quod dompnus abbas, pro more antiquo, octo specialiter in abbacia, ex assensu conventus in capitulo, prebet ministerio[1] et non plura. Illius dignitati incumbit superiorem janitorem curiæ constituere, famulum custodem ostiorum pistrinæ et bracinæ, famulum custodem ostii coquinæ, famulum custodem locutorii exterioris, famulum custodem ostii infirmariæ, famulum qui ministrat hospitibus in ostilaria curiæ, famulum custodem ostii aulæ, et janitorem januæ cimiterii, et alios famulos sibi deservientes in camera sua et in suo stabulo. Sed proculdubio omnes alios famulos de curiæ officinis, cum delinqunt, de consilio abbatis, prioris et aliorum fratrum senum, celerarius ammovere atque alios conventui magis ydoneos substituere poterit et debet, quociens viderit expedire. Sicuti et sacrista, camerarius, infirmarius, et alii fratres in officiis deputati suos famulos ammovere, quociens opus fuerit, et alios utiliores conventui[2] in locis eorum subrogare debent, non obsistente quod aliquociens celerarius ad peticionem fratrum nostrorum quosdam famulos in ipsis constituerit officinis, et ipsos, cum delinqunt, tenetur ammovere et alios conventui meliores in locis eorum instituere, et omnes alios qui recipiunt stipendia a celerario tenetur castigare et ammovere, si necesse fuerit, preter illos qui pertinent ad abbatem; tamen celerarius tenetur intimare abbati delicta eorum, cum in aliquo delinqunt.

Revera celerarius preter consilium abbatis vel prioris et seniorum in majoribus rebus et causis nichil unquam facere presumet. Illud autem quod regula precipit, ut celerarius omni congregacioni sit sicut pater, sic est intelligendum, quod celerarius olim tam de pane et potu quam de diversis ciborum generibus, de celario, de coquina, ac de domo infirmorum, et de omnibus victui fratrum necessariis a majore usque ad minimum se sub abbate interposuit, et tam de sanis quam de infirmis fratribus curam immediate sub eo obtinuit. Quapropter, ex imitacione illius consuetudinis antiquæ, rogandus est ab eo cantor aut succentor ut ante aliquot dies, sicut

[1] *ministeria*, MS. [2] *conventus*, MS.

predictum est, constare ei faciat, qua die explanacio regulæ de celerario in capitulo est legenda, ut nullo modo ipsa die sit absens, quoniam ea die antiquitus refeccionem solempnem facere consuevit.

Famuli quoque, cujuscumque sint officii in/ monas- [fo. 56b. terio, a magistris sub quibus sunt constituti, si aliquid necligenter de officio suo fecerint, corrigi verbis debent; si sint tractabiles, et se libenter ex tunc emendare voluerint, et ad celerarii officium pertineant, verbere corrigi solent per eundem; quod si pati noluerint, a monasterio projici debent. Et si famulus talis est quod pro dignitate sua vel etate non possit vapulare, quamvis hæc pati non deneget, poterit eum celerarius, si velit, a curia expellere, si culpa tanta est quod non sit digna condonacione. Quod cum fecerit, abbati vel priori illud continuo intimabit. Sed nulli alii de officiariis ita absolute licitum est famulum suum a curia expellere, nisi illud prius abbati innotuerit vel priori. Omnibus tamen licet suum castigare famulum de omni re de qua sibi servire debet, si correpcionem voluntarie pati reperiatur; si vero inpaciens fuerit, illud abbati vel priori referret, ut ex eorum arbitrio puniatur. Culpæ autem famulorum modis subscriptis corrigi possunt: verbis scilicet aut verbere gracilis baculi, ita ut disciplinatus prostratus jaceat vestitus, ac eciam virgis, ita quod nudus sedeat; sed hoc pro gravi culpa, sicuti pro convicio vel aliquo turpi verbo in aliquem fratrem nostrum. Potest insuper talis culpa pecunia emendari, sicut in elemosina pauperibus vel ad illuminare alicujus sancti et cetera talia, quoniam pecunia aut expulsione corrigentur precipue famulorum culpæ.

Celerarius potest et debet, si voluerit, ex suo officio qualibet septimana accipere unum exennium de pane et servisia in cellario et mittere in villam suis creditoribus.

Qualis debet esse celerarius.

Si quis autem videre affectat qualis celerarius esse debet, legat capitulum illud regulæ de celerario, et ibi inveniet ad plenum de condicionibus suis et qualis debet esse. Sed, quia

regulam in promptu semper habere non possumus, ideo hic necesse est illud capitulum incerere ad plenum.[1]

Celerarius monasterii eligatur de congregacione sapiens. Celerarius, qui servis Dei substanciam ministrat eorumque cibaria dispensat, prudencia plenus et sapiencia debet esse preditus, ut prudenter sapienterque et dispensanda dispenset, et quæ sunt conservanda conservet; quia secundum Deum sapiens est qui beatus est, et "Nemi[2][nem diligit Dominus," dicit Scriptura, "nisi eum qui cum sapientia moratur" (*Sap.* vij). Hinc Isidorus ait: "Nihil prodest omnem scire "prudentiam cum ignorantia Dei; nihil obest scientibus "Deum ignorantia mundi. Perfecte autem scit, qui Deum "prius, et ista non pro se, sed pro Deo scit."

Maturus moribus. Maturi enim mores dicuntur suaves, et multarum rerum experientia et diuturno tempore temperati. Scriptum est enim: "Cani sunt sensus hominis, et "ætas senectutis vita immaculata" (*Sap.* iv). Ergo canities honoranda senectusque veneranda, et etas matura non tantum in corpore sed in sensibus hominis invenitur, ubi omnia bona quæ a Deo accipiuntur, et discrete componuntur, et rationabiliter discernuntur, et firmiter conservantur.

Sobrius. Sobrius intelligitur cautus, vel consideratus in cibo et potu, frugalis et parcus, verbo et opere temperatus. Hinc Paulus ait: "Non plus sapere quam oportet sapere, "sed sapere ad sobrietatem" (*Rom.* xij), id est, temperate. Temperate enim debet sapere cellerarius, temperate vivere, temperate loqui, et ea quæ ministranda sunt fratribus temperate ministrare. Sobrius mente, discretus in opere, suavis in verbo et dulcis eloquio. Scriptum est enim: "Sapiens in "verbum seipsum amabilem facit" (*Eccli.* xx). Et, "Qui "sapiens est corde appellabitur prudens" (*Prov.* xvj). Et, "Qui dulcis eloquio, majora percipiet" (*Ibid.*).

Non multum edax. Multum enim edax dicitur gluto, vorator, quod monachum et maxime cellerarium non decet. Non enim glutonis, sed abstinentis monachi oratio penetrat

[1] The following is from the Commentary of Smaragdus.

[2] Here a leaf is wanting. The missing text is supplied from Migne, *Patrol.* cii, 858.

celum. Abstinens enim homo spiritalis efficitur, angelis sociatus, et creatori suo facilius appropinquat, sicut scriptum est: "Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis." (*Iac.* iv.) Bonum est ergo cavere ventris ingluviem, ne in eternum vivens anima destruendo subdatur ventri, et a destruendis dominetur escis. De ventre autem et esca scribit apostolus: "Esca ventri "et venter escis: Deus autem hunc et has destruet" (i *Cor.* vj). Nemo ergo potest dominari vitiis ceteris, nisi prius ingluviem restrinxerit ventris. Hinc quidam monachorum magister dicit: Cellerarius vero ipse frater ordinetur, qui probatus fuerit ab abbate fidelis et abstinens esse, quem nunquam vincit aliquando aliqua desideriorum gula, vel qui non multum amat manducare aut bibere; ne detur magis locus diabolo, sicut dicit Scriptura: "Nolite dare occasionem quærentibus "eam" (*Gal.* v; i *Tim.* v), et videatur gastrimargiæ gulæ voracibus vel glutonibus fratribus provideri magis quam refrenari.

Non elatus. Elatus dicitur in superbia elevatus, audax et jactans, vel arrogans. De talibus enim Salomon ait: "Ab-"ominatio Domini est omnis arrogans," et "Qui se jactat, et "dilatat, jurgia concitat" (*Prov.* xvj, xxviij). De superbia namque nascitur arrogantia. Nisi enim precesserit occulta elatio mentis, non sequitur aperta jactantia laudis. Talem enim divina increpat Scriptura dicens: "Ne extollaris in cogitatione, "velut taurus, ne forte elidatur virtus tua, et relinquaris velut "lignum aridum in eremo" (*Eccli.* vj).

Non turbulentus. Turbulentus vocatur a turbo furoris commotus, sive ab ira mentis oculo cordis cecatus, sicut scriptum est: "Turbatus est præ ira oculus meus" (*Psal.* vj). De tali et Salomon ait: "Qui conturbat domum suam, pascit "ventos" (*Prov.* x). Domum enim suam conturbat, qui præ levitate mentis ad iracundiam mentem suam cito commovet. Impatiens enim cellararius, videns sibi multos quærere multa, præ levitate turbatur animo, et petentibus sibi non dulce reddit responsum, sed magis sermonem profert injuriosum; quod illi facere magnopere vetatur, cum subditur.

Non injuriosus. Injuriosus dicitur, qui fratribus infert injurias vel irrogat contumelias. De talibus enim scriptum

est: "Vir iracundus provocat rixas" (*Prov.* xv). Et, "Os impiorum redundat malis" (*Ibid.*). Et, "Semper jurgia "quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum" (*Prov.* xvij). Et illud: "Inter superbos semper jurgia sunt" (*Prov.* xiij). Superbi dicuntur monachi mali, qui, neglectis consiliis seniorum suorum, prout illis libitum fuerit, suis legibus vivunt, et inter se frequenter litigant, et crebro jurgia concitant. Contra quos angelus crudelis mittitur, quia illis locum dantibus contra eos animarum bellator infestus diabolus concitatur.

Non tardus. Tardus enim dicitur piger, lentus vel tepidus. Non enim decet cellerarium esse tardum vel pigrum, ne forte dicatur de illo: "Abscondit manum piger sub ascella, nec ad os suum applicat eam" (*Prov.* xxvj). Sed necesse est ut sit velox] /ad audiendum, velox ad serviendum, tardus [fo. 57. autem ad excusandum, et tardus ad iram. Eum autem non decet esse tardum, qui multis debet impendere servicium.

Non prodigus. Prodigus autem dicitur nimis largus, profusus, sive naufragus, consumptor vel rerum dilapidator[1] monasterii, vel stirpator substanciæ fratrum.

Sed timens Deum, qui omni, id est toti congregacioni sit sicut pater, scilicet providus et pius. Timere enim et amare debet celerarius Deum, et pro illius amore vel timore diligere fratres et obedire illis, junioribus ut pater, senioribus ut filius: pietatem tamen habens paternam, congrue et apte omnibus serviat. Scriptum namque est: "In tota anima tua time "Deum, et sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua "dilige eum qui te fecit, et ministros ejus non derelinquas."[2]

Curam gerat de omnibus. Curam, scilicet ea habere sub cura sua. Ei sane tociens hic inculcatur abbatis auctoritas, ne ex tanto officio vel ex inde exaltetur. Ideo quidem memoratur omni congregacioni esse sicut pater, ne cum ipso a pari contendatur. Unde et paulo supra, humilitatem ante omnia habere precipitur, de omnibus scilicet jussis ab abbate.

Sine jussione abbatis nichil faciat. Nec est hoc semper intelligendum de jussione spirituali, sed interdum eciam de generali, prout in consuetudine habetur. Multi enim dicunt:

[1] *dilapidatorum*, MS.

[2] Eccli. vij.

sine jussione abbatis nichil illi licet facere, quomodo potest de omnibus curam gerere? Sed ille hoc exponit cum subdit dicens:

Quæ jubentur custodiat. Ac si diceret: quod superius dixit, de omnibus illum curam gerere, de hiis quæ[1] custodire jussit gerat.

Fratres non contristet. Quare fratres non contristet[2] sequencia audi.

Si quis frater ab eo, inquit, forte aliqua irracionabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed racionabiliter cum humilitate male petenti deneget. Racionabiliter: ita quod verbum bis ad limam veniat, priusquam semel ad linguam, ne scilicet Deum offendat non dando, aut non respondenda respondendo. Male[3] enim petere, vel peticio, est, quando irracionabiliter[4] quæ petenda non sunt petuntur, aut ea que petenda sunt non congruo tempore petuntur. Tali enim modo petita culpabiliter petuntur, accipiuntur, vel habentur, maxime cum de eo in sequentibus dicitur:

Animam suam custodiat. Id est, non offendat in hiis,[5] quæ non danda sunt dando, aut quæ respondenda[6] non sunt respondendo, ut supra.

Memor semper illud apostolicum: quia qui/ bene [fo. 57b. *ministraverit, gradum bonum sibi adquirit.*[7] Gradum utique illum quem fidelis sibi et prudens dispensator adquisivit quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Cum illo utique audiet: "Beatus ille "servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem,"[8] id est, bene ministrantem. Vere dico vobis, quia super omnia quæ possidet, constituet eum, id est, super omnia celestis regni gaudia. Ecce qui bene ministraverit, quam bonum sibi gradum adquirit, id est, ut sit inter dispensatores et ministros Domini honoratus in celo; quia, qui in servicio Dei plus laborat in presenti, plus mercedem accipiet in futuro.

Infirmorum, infantum, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat. In infirmitate positis fratribus

[1] *qui*, MS. [2] *contristetur*, MS. [3] *Tale*, MS. [4] *racionabiliter*, MS. [5] *hii*, MS. [6] *respondendo*, MS. [7] i. Tim. iii. [8] Matth. xxiv.

diligenti cura et promptissimo affectu ministret. Scriptum est enim: "Infirmus fui, et visitasti me."[1] Infantibus, considerans in eis etatis fragilitatem et corporis teneritatem, quæ necessaria sunt paterno ministret affectu. Hospitibus necessaria porrigat, quia scriptum est: "Hospes fui, et suscepisti "me."[2] Et, quia scriptum est: "Omni petenti tribue."[3] Et pauperibus non subtrahat elemosinam, quia scriptum est; "Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit "et ipse et non exaudietur."[4] Sed magis quæ necessaria sunt eis[5] cum hillaritate porrigat. Quia scriptum est: "Hilarem "datorem diligit Deus."[6]

Sciens sine dubio quia pro hiis omnibus in die judicii racionem redditurus est. "Oportet nos," ait apostolus, "stare "ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, "sive bonum sive malum."[7] Et sic unusquisque nostrum dignam laboris sui mercedem recipiet.[8]

Omnia vasa monasterii cunctamque substanciam, quasi altaris vasa sacra, conspiciat. Hinc antiqui patres monachorum dixerunt: Debet enim [talis] celerarius eligi qui possit in omnibus evangelico ordine fratribus suis victum gubernare, qui timeat Judæ sentenciam, qui ab inicio fur fuit. Studere debet qui huic officio deputatur, ut audiat, quia qui bene ministraverit gradum bonum sibi adquirit, et animæ suæ lucrum facit. Nosse debent eciam fratres quicquid in monasterio tractatur, sive in vasis, sive in ferramentis, vel ceteris omnibus esse sanctificatum. Si quis de fratribus aliquid/ [fo. 58. neglegenter tractaverit, partem se [habere] noverit cum illo rege qui in vasis domus Dei sanctificatis cum suis bibebat concubinis, et qualem meruit vindictam. Custodienda sunt justa precepta, et per singulos dies in aures fratrum recitanda sunt, ut non condempnentur in peccatis suis.

Nichil ducat neglegendum; neque avariciæ studeat, nec prodigus sit, aut stirpator substanciæ monasterii, sed omnia mensurate faciat et secundum jussionem abbatis. Stirpator, id est dilapidator, unde Tullius: "Quid stulcius est id curare,

[1] Matth. xxv.
[2] *Ibid.*
[3] Luc. vi.
[4] Prov. xxi.
[5] *ei*, MS.
[6] ii. Cor. ix.
[7] ii. Cor. v.
[8] *recipere*, MS.

"ut sepius facere non possis quod libenter facis?"[1] Hinc secundum regulam orientalium patrum dicitur: Ad condiendos cibos det celerarius necessaria secundum cotidianæ expensæ consuetudinem, neque enim profuse, id est nimis, neque avare, id est minus, ne vicio ipsius vel monasterii substancia gravetur, vel fratres paciantur injuriam. Sed et necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerans, nichil egrotancium desideriis deneget ex [hiis] quæ habuerit, quantum illis necesse fuerit. Advenientibus diversis fratribus escas parabit. Hæc erit cura custodis celerarii: recurrens semper ad seniorum consilium, requirat de omnibus, vel precipue de hiis quæ proprio suo intellectu non potuerit adimplere.

Humilitatem ante omnia habeat; et cui substancia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, ut scriptum est: "Sermo bonus super datum optimum."[2] Sine dubio autem qui veram humilitatem habuerit in corde, sermonem bonum proferet ex ore; et sive sit, sive desit, quod tribuat, sermonem dulcem omnibus porrigit atque bonum. In Ecclesiastico[3] autem scriptum est: "Nonne ardorem re-" frigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum.[4] Nonne " ecce verbum super datum bonum?"

Omnia quæ ei injunxerit abbas, ipse habeat sub cura sua.[5] *A quibus eum prohibuerit, non presumat.* Bernardus[6] in epistolis suis, c.xx.: "Ubi proprietas, ibi singularitas, ubi " autem singularitas, ibi angulus, ibi sine dubio sordes sive " rubigo." Hic ostendit quia si alia juri subjugaverit quam ea quæ ab abbate suo injuncta susceperit, aut de hiis quæ illi prohibita sunt presumpserit, non ei mercedis obediencia, sed inobedienciæ deputabitur culpa. Si enim non venit in mo/nasterium suam facere voluntatem, quæ illi non [fo. 58b. fueri[n]t injuncta temere non debet contingere.

Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo[7] *vel mora*

[1] This quotation is not cited by Smaragdus. Not to be found in Cicero.
[2] Eccli. xviij.
[3] *Ecclesiasten*, MS.
[4] *datus*, MS. Eccli. xviij.
[5] *sub cura sua a quorum cura*, MS.
[6] This quotation does not appear in Smaragdus.
[7] Sc. *typho*, confused by the commentator with *typo*.

offerat, ut non scandalizentur. Annonam dicit alimoniam ciborum et victum omnem monachorum. Hora enim nona veteres commedere solebant, et ideo a tempore ipso horæ nonæ, quo illi cibos sumebant, omnis victus hominis non incongrue nomen accepit annona. Ab actu enim et a tempore multa derivantur nomina. Quod autem dicit, *sine aliquo typo quæ offerenda sunt offerat,* intelligitur non corde turbato, neque vultu corporis mutato, sed hilari animo et vultu sereno vel placido quæ tribuenda sunt tribuat, et quæ offerenda sunt offerat. Typus enim Grece sermo, quem nos figuram dicimus seu formam. In typo enim res declaratur, et exterius interiora monstrantur, scilicet res et rebus. Nam et typus herba dicitur, quæ se ab aqua inflat. Unde eciam ambiciosorum et sibi placencium elacio vel tumor typus vocatur.

Memor divini eloquii, quid mereatur, qui scandalizaverit unum de pusillis. Scriptum est enim in Evangelio: "Qui "autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me "credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo "ejus, et demergatur in profundum maris."[1] Quid enim per molam asinariam, nisi circuitus curæ presentis seculi? Et quid per mare, nisi idem presens seculum designatur? Levius enim esset monacho qui alios in monasterio scandalizat, ut, mola asinaria collo suo ligata, in mare seculi hujus projectus, id est, cura seculi implicatus, secularia negocia et circuitum terrenæ curæ perageret, quam in portu monasterii et se et alios scandalizando perimeret. Hinc beatus Gregorius ait: "Per molam asinariam secularis vitæ circuitus ac labor "exprimitur, et per profundum maris extrema dampnacio "designatur." Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit vel exemplo, melius profecto esset ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa[2] ceteris imitabilem demonstrarent, quia nimirum, si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pena cruciaret.

Si major fuerit congregacio, solacia ei dentur, a quibus/ [fo. 59. *adjutus et ipse equo animo impleat officium sibi commissum.* Ideo maxime illi solacium est accomodandum, ne cum

[1] Matth. xviij. [2] *culpam*, MS.

murmurio sibi commissum agat officium. Nam, si solus bene laboriosum sibi injunctum non potuerit[1] peragere ministerium, aliis sine dubio periculosum generabit murmurium.

Horis competentibus dentur quæ danda sunt, et petantur quæ petenda sunt. Horas competentes dicit horas convenientes vel congruentes, quando utrumque licet utrisque, id est, et petenti petere, et dare donanti. Nam quando leccioni vel oracioni debent vacare, silenciumque tenere, nisi causa necessitatis, nec petere uni, nec donare licebit alteri, ne ab ordine regulari indiscrete petendo donandoque turbentur utrique.[2] Sicut et dicit lex in preside provinciæ, ut non ostendat se acerbum vel contumeliosum exactorem,[3] sed moderatum et efficacia benignum et cum constancia humanum. Pandectæ. De usuris: "Si bene." Codex. De postulando: "Vel quis." Alioquin ut dicit glosa super Matheum: "Justius feceris, si "injuste petentem corripueris, quam si aliquid ei dederis." Augustinus in libro de opere monachorum: "Ipsa est optima "gubernacio, ut omnia suis temporibus distributa ex ordine "gerantur."

Ut nemo perturbetur nec contristetur in domo Dei. Domus enim Dei bonorum monachorum sanctissima corda et eorum sunt purissima habitacula, in quibus mundissimum Domino suo prebet habitaculum. Ipse enim Dominus ait: "Inhabitabo in illis, et ambulabo et ero illorum Dominus et illi erunt mihi populus." Et apostolus ait: "Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis."[4] In quo templo, id est, in qua domo Domini, non licebit alteri alterum perturbare vel contristare, quia pacificos convenit semper esse filios pacis.

De hiis quæ[5] pertinent ad subcelerarii officium.

Ad subcelerarii vero ministerium pertinet omnia quæ in pane et servisia conventui sunt necessaria providere, atque omnia vasa celarii et omnem supellectilem officinis celario[6] spectantibus necessariam invenire, atque curam ipsarum officinarum, videlicet bracinæ et pistrinæ, habere.

[1] *potuit*, MS.
[2] The rest of the paragraph is not in Smaragdus.
[3] *exatorem*, MS.
[4] ii Cor. vi.
[5] *qui*, MS.
[6] *celarii*, MS.

Cujus dextera[1] manus et specialis coadjutor, quociens adjutorio indiget, esse debet granatarius. Qui granatarius omnem firmam de maneriis nostris provenientem, videlicet de frumento, ordeo palmali, et avena, in granarium/ [fo. 59b. recipiet, ita tamen quod nunquam faciet mensurare bladum antequam a subcelerario et famulis suis, videlicet pistore et brasiatore,[2] sit visum; ita quod sit pro pane et servisia conventui necessarium. Et, si isti famuli per suum juramentum dicunt quod non sit pro conventu, nequaquam granatarius illud percipiet. Granatarius ex intuitu paritatis sit semper paratus, quando tenentes cum firma de maneriis veniunt, ad eos expediendos cum posse suo, cum licencia quæ in ordine est, si sit in servicio.

Subcelerarius debitum conventui servicium in pane et servisia, necnon et liberaciones panis et servisiæ, tam supervenientibus monachis hospitibus quam de maneriis nostris venientibus, et liberaciones[3] forencibus et famulis, quibuscumque debentur, absque simulacione aut commixtione aliqua seu diminucione fieri faciet more consueto. Et quando ab eo aliquid postulatur, ultroneus continuo, si habuerit, de hylari vultu prebeat; cui si forte non est donandi facultas, sit saltem ei semper respondendi suavitas, ut neminem unquam verbo aut qualicumque signo contristet, ut supra de celerario. Universorum nomina famulorum, in diversis officiis constitutorum, et qui iure hereditario aut pro disposicione capituli suo perpetuo liberaciones de celario conventus percipiunt, tenetur in suo custumario habere scripta.

Possunt omnes fratres et singuli ordinate quater in anno, ad honorem amicorum suorum ad eos veniencium, sine aliqua contradiccione exennium a subcelerario percipere et amicis suis mittere. Si quis plura indigeat exennia, hoc erit de subcelerarii speciali gracia. Subcelerarius potest ex suo officio famulos suos de celario, pistrino, et bracino, si in aliquo delinquunt, castigare et emendam ab eis recipere; et, si necesse fuerit, de consilio abbatis, prioris, celerarii et aliorum senum de congregacione, ammovere et alios conventui ydoneos in locis suis substituere.

[1] *dexter*, MS. [2] *bracjatore et brasiatore*, MS. [3] *liberacionibus*, MS.

Granatarius debet bis vel ter in anno, si necesse fuerit, visitare maneria unde firmæ[1] proveniunt, et videre bladum in granariis et grangiis eorum ; et, si invenerit ibidem meliora blada post semen quam domi missa sunt, potest et debet custodem inde reprehendere ; et, si emendare voluerit/ [fo. 60. sufficit ; sin autem, cum domi venerit, abbati, priori et aliis fratribus senioribus tenetur intimare et secundum consilium eorum facere.

Unusquisque gardianus qui de custodia sua firmam de blado reddit, qualitercumque fuerit, tenetur quolibet anno plenariam firmam reddere, ne servi in domo Dei murmurent et contristentur, sive a devocione eorum perturbentur, quia pro illis et pro devocione illorum et servicio servando omnia quæ habemus intus et extra, scilicet in terris, redditibus, tenementis, maneriis et aliis possessionibus, omnia data et donata sunt a regibus et aliis magnatibus, ex devocione, famulis Christi, pro servicio die noctuque sustinendo, et pro animabus eorum et omnium fidelium defunctorum orando. Si autem defectum habuerit de uno blado, et sufficienter habuerit de altero, suppleat defectum unius ex habundancia alterius.

Provideat sibi semper subcelerarius de pane pro conventu, quod sit bene albus et racionaliter fermentatus et boni saporis. Et similiter de servisia, quod sit bene defecata, boni coloris, clara, bene granata et boni saporis. Et, si aliter fuerit, quod displicet conventui, districte inquiratur a priore et a senioribus in quo peccat ille defectus ; et, sive sit in fratre ministrante vel serviente agente defectus ille, puniatur a toto conventu secundum delictum, ita quod de cetero metum habeat et frater et serviens.

Nec est adhuc de celerario omittendum, sed diligenter et memoriter scripto inserendum,[2] quod celerarius cotidie providebit conventui de pisce meliori, quoad emendum poterit invenire de piscibus suis temporibus melioribus et recentibus, non per biduum vel triduum detentis[3] et fetentibus ; et quod non sit plebis abjeccio unde pascitur sancta congregacio ; et quod mutet aliquando servicium conventus, ne fastidium

[1] *firmas*, MS. [2] *inserendo*, MS. [3] *detentibus*, MS.

generet, quia dictum est, "Idemptitas parit fastidium." De pitancia vero conventus providebit celerarius, quod sit bona, delicata, et bene et curialiter preparata; et, si sit frixa vel elixa vel assata, secundum quod decet, salsamentum, quod convenit pitanciæ et aliis conventui serviciis, bene sit preparatum a famulo per celerarium ad hoc ordinato. Et, si non sit ita, et defectus sit in famulo, bene ex auctoritate capituli castigetur a celerario. Et, si aliquem de famulis pro suo delicto expellat ab suo officio, nunquam restituatur nisi de assensu fratrum in capitulo. Similiter celerarius precipiet famulis suis cocis quod cibaria conventus cotidie/ [fo. 60b. contra adventum fratrum in refectorium sint bene et totaliter preparata, ne mora fiat de servicio; quia melius est quod in serviendo expectent coci, quam residentes sine cibariis cum dilacione expectent famuli Dei.

Multa alia de officiis celerarii et socii subcelerarii, quæ non sunt hic ad plenum scripta, superius tamen et inferius in diversis fratrum officiis satis luculenter inseruntur, prout a legentibus invenietur.

De hiis quæ ad hostilarii spectant officium.

Frater vero qui ad suscipiendos hospites est deputatus hæc jugiter in ipsa hospitum domo intrinsecus[1] habere debet promta et parata, videlicet lectos, sedilia, mensas, manutergia, mappas, scutellas, lavatoria, atque baccilia, et si qua sunt hujusmodi necessaria, quæ omnia, quociens opus fuerit, thesaurarii ibidem invenire ac renovare et mutare tenentur; stramen sive literam ad lectos de Bertona recipiet, carbones sive ligna ad focum de celerario accipiet, ciphos et coclearia de refectorio recipere debet. Mappæ vero et manutergia aliquociens, sicut et vestimenta lectualia, in fratrum decessu, ibidem deputantur. Panem vero et potum supervenientibus hospitibus inveniet sufficienter subcelerarius, atque pulmentaria celerarius, et hoc plenius et honorificencius, si fieri possit, quam conventui. Similiter et eorum famulis et garcionibus atque vecturis inveniet celerarius omnia necessaria plenarie. Idem vero frater qui ad suscipiendos hospites est deputatus, accepto

[1] *intrinsequo*, MS.

rumore ad aliquo famulo per celerarium misso, ad hospitum descensum ibidem froccos eisdem per famulum suum continuo destinabit, et una cum eodem obviam illis illuc est iturus; qui eos benigne suscipiens intimabit illis vel eis si conventus illa die fuerit supra formas vel misericordias, priusquam in ecclesiam ducat ad orandum; quos usque in ecclesiam precedet. Ad cujus ingressum cum eis genuflectet, eosque consequenter aqua benedicta asperget, atque cum eis orabit suppliciter inclinando, si conventus ipsa die super formas non extiterit. Qui si supra formas extiterit, dum hospites cum curta venia, ut moris est, orant prostrati, prope eos stabit, et postquam oraverint, facta suppli/citer inclinacione, ad locutorium [fo. 61. eos ducet regulare, ibique eos, dicto "Benedicite," humiliter in osculo sancto salutans, de statu eorum et nominibus, et de qua domo vel patria sint diligenter inquiret; ac eos postea secum ducet ad cellam hospitum, ibique[1] cum eis sedens ex divina pagina, prout regula monet, aliqua verba ad informacionem animæ salubriter proferet; ac consequenter, si extranei sint monachi et hujus loci ignari, per claustrum usque in dormitorium, et, si tempus permiserit, per curiæ officinas quæ eis sunt ignotæ, et per totum monasterium licite, consolandi gracia, poterit eos ducere. Ita tamen quod, si custodi ordinis obviaverint, ob quam causam sic incedunt eidem reverenter exponat. Qui, facta prius inquisicione de numero famulorum sive garcionum et equorum illorum, illud celerario constare faciet, ut ab eo honorifice sustententur, quemadmodum sustentari solent famuli et equi fratrum nostrorum ab itinere domi redeuncium.

Monachis tantummodo in refectorio aut in ipsa cella reficientibus, aut ubicumque reficiant, omnis eisdem humanitas et honoris ac largitatis exhibicio, et maxime extraneis, impendi debet ab omnibus. Prior vero conventualis cum advenerit, sive in refectorio comedit sive extra, duplabitur ei sua porcio, tanquam priori nostro, in prandio et in cena. Abbas vero si advenerit, si in refectorio comedere voluerit, servietur in omnibus sicut abbas noster; si in mensa abbatis voluerit reficere, solus, sicut abbas, servietur in omnibus.

[1] *ubique*, MS.

Idem vero hostilarius de sacrista ad vesperum pro quolibet monacho, ex recta et antiqua consuetudine, quatuor recipiet candelas, et de camerario crassetum. Sed, si prior fuerit conventualis qui admittitur, numerum duplatum, octo videlicet candelas est habiturus, et ejus capellanus quatuor nichilominus candelas habebit. Abbati vero, si hospitalitatis gracia fuerit admissus, eidem, numero non certificato, candelæ ad sufficienciam debent exhiberi. Si vero aliquis hospicio receptus cum abbate vel priore seu aliquo fratre de claustro loqui voluerit, legacionem suam hostilario debet injungere; qui, nichil inde alicui aliquo modo indicans, ad abbatem vel priorem/ aut magistrum noviciorum, si frater ille [fo. 61b. nondum a custodia fuerit absolutus, voluntatem hospitis perferet, et quod ipse decreverit postea fiet. Si autem fratri, qui est in claustro de custodia absolutus, loquendi cum hospite vel propinquo vel extraneo licencia concessa fuerit, sua interest ipsum fratrem de claustro ad hospitem, una cum magistro suo, ducere. Quod si abbati vel priori non placuerit ut simul loquantur, nec verbum nec signum nec aliquando nutum ipsi fratri faciet hostilarius, quo aliquid inde percipere quolibet modo valeat. Ipsius enim est præ omnibus sollicite observare de fratribus qui in obedienciis sunt, cum ab itinere ad monasterium redeunt, utrum famulos ydoneos et sellas et frena habeant regulares, quomodo se in curia contineant, ut, si extra ordinem aliquid fecerint, clamorem super eos inde in capitulo faciat.

Si vero aliquis hospes extraneus hospitalitatis tempore inordinate se gerat, ita quod enorme et notorium sit ejus delictum, debet eum hostilarius citare, ut in crastino sive in proximo sit in capitulo, ut ibi coram omnibus publice emendetur quod publice deliquit; qui tamen, si delictum fuerit leve set notorium, non ita est citandus, sed secrecius ab eodem corripi debet, vel una secum ab aliquo ordinis custode, si opus fuerit, acriter reprehendi, atque moneri ne ulterius alicubi ita se gerat, ut per hoc intelligat quod in hoc collegio ordo viget monachalis.

Nullus autem monachus extraneus, quamdiu hospitatus est, cepta abbaciæ aliquo modo exire debet, nisi illud hostilario

preostendat. Nec debet, si forte corpus alicujus fratris nostri defuncti in ecclesia presens extiterit, recedere, quousque corpus sepeliatur; cujus sepulturæ interesse tenetur, nisi pro aliquo arduo negocio exequendo aut majore necessitate ab eo qui conventui preest licenciam recedendi valeat impetrare.

Et, si contingat quod de administracione cibi aut potus sibi aut suæ familiæ, quod absit, aut in sustentacione equorum, vel in aliquibus quæ eis necessaria sunt defectus habeatur, debet hostilarius coram conventu in crastino capitulo inde facere mencionem, et frater ille a presidente proclamari, qui ad honorem Dei et ecclesiæ illum defectum debuit supplesse.

Si vero hora refeccionis advenerint aliqui, postquam in refectorio benediccionem protu/lerint hospites [fo. 62. extranei, atque in refectorio reficere debeant cum eis, hostilarius ad satisfaccionem per medium est iturus; quos inter seniores hinc inde locabit, vel ex una parte, si ordo eorum exigat. Si autem presidens in refectorio secum hospites ad skillam habeat, monachos hospites, si inibi reficiant, secum insuper retinere solet; cum quibus tunc hostilarius moram est facturus. Et, si monachi in hospicio recepti cum abbate aut priore reficere debeant, ipse eos illuc deducet; qui, nisi ibidem reficiat, post prandium eos ibidem querat. Qui si in refectorio comedant et a presidente ad finem prandii inibi minime retineantur cum conventu, prout prius ab hostilario fuerint edocti, usque in ecclesiam processionaliter incedent, et extra chorum morabuntur; et idem cum eis hostilarius, gracias prosequendo; nisi sint monachi de sancto Edmundo vel aliunde nostrum habentes capitulum, qui, specialitatis et confederacionis gracia, chorum cum conventu ingredi debent.

Idem vero hostilarius, quando dompnus abbas vel prior conventui preest, hospites secum ad skillam habens, nisi sit ad nutum presidentis ipsius in refectorio, post prandium morari non debet, nisi quando monachi inibi reficiunt. Sed, quando supprior vel alius eo inferior ad skillam residet, hospites secum habens, et post refeccionem moram cum eis inibi facit, idem hostillarius semper morari tenetur, eo quod tunc suos hospites presidens in cellam hospitum, pro recta et antiqua consuetudine, ducere debet. Sed hostilarius morari non debet, nisi qui

prefuit ibidem moram faciat, vel eidem forte ut cum hospitibus moretur specialiter innotescat. Qui eciam, quociens hospites habet a sexta vel nona, ab illa videlicet hora quæ proxima post missam cantatur, absque reprehensione se poterit absentare; sed vesperas aut aliam horam preter prelibatam causa illorum absque licencia nullatenus omittet. Sed nec cum eis commedet aut bibet nisi de licencia speciali. Horam vero, qua ad vesperas vel ad completorium vel ad alias horas diei regulares juxta tempus quo advenerint benediccionem sint accepturi, tam extraneis quam familiaribus, capitulum nostrum habentibus, tenetur innotescere, et locum, si ignorant, docere, usque ad ingressum chori cum eis procedendo eosque inter/im exterius expectando. Quos eciam per [fo. 62b. intervalla, horis assignatis, spaciandi gracia, per licenciam quo voluerint ducere solet.

Hostilarius siquidem acriter est corripiendus, si non ita disponet quod omnes adventantes valeant benediccionem pro more recipere, si pernoctare velint. Si vero contingat quod aliqui istius congregacionis fratres tam sero, quod absit, ab itinere redeant, ut quando ultra duas noctes extra moram fecerint, quod collacioni interesse nequeant, qui nisi culpam suam de sui redditus tarditate ad aream in capitulo sponte recognoscant, debent ob hoc a supradicto hostilario rite proclamari, nisi forte pro aliquo ecclesiæ negocio celeriter exequendo per abbatem et conventum missi fuerint specialiter, et ob hanc causam cum difficultate festinanter sint reversi.

Hostilarius semper debet esse paratus ut, quacumque hora superveniant hospites, ad eos humanitus recipiendos promtus inveniatur. Si autem hospites propria vestimenta lectualia ad sufficienciam fortasse non habeant, eis honorifice per hostilarium exhiberi debent. Et hac de causa, [cum] distribuuntur panni fratrum nostrorum decedencium, si qui residui fuerint, post breviculorum portitoris conduccionem, consuevit eidem hostilario abbas vel prior qui facit distribucionem inpartiri, ut de froccis, stragulis, coopertoriis, tapetis, mappis, et manutergiis, necnon et capis, sellis, frenis, capellis, saccis, cingulis, pulvinaribus, sudariolis, aliisque hujusmodi, quæ tam hospitibus quam fratribus nostris

claustralibus itinerantibus esse videntur necessaria. Sed hostilarius non tenetur hujusmodi vestimenta alicui de familia hospitum accomodare, nisi forte velit de gracia speciali, quia universa quæ in sua habentur custodia pro monachorum tantum necessitatibus eidem assignantur. Hostilarius eciam eis candelas ad dicendum matutinas et ad alia quæque necessaria ex recepcione de sacrista inveniet habundanter.

Hostilarii vero incumbit officio in hostilariam extrinsecam omnes regulares, preter illos qui specialiter sub regula sancti Benedicti, mansuete admittere et quæcunque sunt eis et suæ familiæ necessaria curialiter procurare. Si quis vero frater ordinis/ sancti Benedicti sero post completorium venerit, [fo. 63. factis tribus ictibus post completorium, post quos videlicet hostium locutorii aperiri non debet, in ipsa hospitali domo exterius ipsa nocte morabitur, habens omnia necessaria sibi et suis de celario. Qui si moram ulteriorem facere velit, mane facto, parabit in locutorio ad claustrum ingrediendum. Ingressus vero ibit in ecclesiam, facturus oracionem, eciam si fuerit ante primam ; et, oracione facta, ducet eum hostilarius, si ita decreverit, ad abbatem vel priorem, ut dicat ob quam causam tam tarde advenisset; atque tunc servietur ei sicut ipsi Deo. Et quæcunque necessaria sibi pecierit fieri misericorditer impendentur, et, sicut alii monachi hospitati, pro more antiquo, morabitur quamdiu voluerit, si se gerat probabiliter et honeste. Qui si girovagus esse reperiatur, et aliquid fecerit inhoneste et inordinate, corrigetur secundum culpam in capitulo aut extra, verbis vel verbere, et sic correptus recedere permittetur.

Monachus vero qui pedes venit in hospitali domo exterius et non interius admittetur; qui ibidem habebit de celario et hostilario quod sibi fuerit necesse. Sed si reperiatur quod trutannus sit aut ordinis sui desertor, sicut et pauperes capellani et clerici, ab elemosinario victualia unius diei tantum misericorditer est habiturus, et quo voluerit in villa jacebit.

Fratres vero de ordine Minorum et Predicatorum, nisi specialiter sint vocati, atque alii pedites regulares adventantes

in ipsa similiter hospitali domo exteriore humanitus admittentur. Si qui vero religiosi ordinis sancti Benedicti equestres sive pedestres alicui ex fratribus nostris, familiaritatis aut affinitatis gracia, advenerint, vel venire ab aliquo fratre rogati fuerint, si a priore licencientur ut in hostilaria interiore cum illo fratre reficiant, eis sicut aliis fratribus per celerarium et hostilarium administracio plenaria honorifice impendatur.

Hostilarius quoque non solummodo, ut prefertur, viros regulares seu religiosos, sed eciam quoslibet seculares, quacumque die et tempore, hospitalitatis gracia, supervenerint, curialiter, hillariter et mansuete recipiet meliori et decenciori modo quo poterit, ad Dei honorem et ecclesiæ, per famulos videlicet bene instructos et ad hoc ydo/neos eis [fo. 63b. necessaria exhibendo; et maxime quibuscumque parentibus et notis fratrum nostrorum advenientibus honorificencius et habundancius ceteris in omnibus necessariis, tam intus quam extra, tenetur providere, hoc est, in hostilaria intrinseca sive extrinseca. Omnes siquidem, cujuscumque fuerint ordinis et condicionis, preter monachos nostri ordinis, qui reficiendi aut hospitandi gracia, sive equ[it]es sive pedites, ad portam veniunt abbaciæ, per portarium celerario intimari debent et ad hostilariam per aliquem famulum celerarii duci debent, atque ibidem, prout exigit eorum status et condicio, cum omnimoda admitti diligencia. Sed illi qui ad fratres nostros specialiter veniunt, aut ignoranter per ecclesiam intrant, reficiendi aut hospitandi gracia, per hostilarium illuc honorifice confestim duci debent atque ibidem curialiter procurari.

Hostilarius proculdubio matutinis, missis, processionibus, horisque diurnis cotidie, quocienscumque poterit, sicut et sacrista, tenetur interesse.

De magistro criptarum et ejus officio.

Magister criptarum cotidie xij. leccionibus et supra inter primam post confessionem, et in tribus leccionibus post primam intra letaniam septem psalmorum, cum a sacerdote pronunciatur "Omnes sancti, orate pro nobis," statim surget ipse, vel aliquis alius frater loco ipsius, si fuerit extra in

solacio, vel infirmus, vel alio modo occupatus; et sacerdos qui in tabula est pro illa missa celebranda, et diaconus qui ministrabit sacerdoti in omnibus necessariis ad illam missam pertinentibus, et subdiaconus qui secum portabit vinum et aquam, postquam dicta totaliter fuerit prima in xij. leccionibus et vij. psalmi[1] cum letania in tribus leccionibus. Exibunt pariter omnes juvenes ordinis inferiores ad illam missam celebrandam, nec alibi declinantes, et ibi erunt usque ad finem missæ; et dum cantant stare debent, non sedere, et omnes observancias sicut in chorum tenentur ibidem facere; nec ab ea recedere in aliqua necessitate, nisi de licencia ipsius magistri. Et si aliter fecerint, vel si non venerint ad "Gloria Patri" de introitu missæ, debet inde illos juvenes in capitulo proclamare. Nec debent aliquid de leccionibus illorum in antiphonario ibi, dum cantare debent, repetere, nec aliquem strepitum facere, unde sacerdos posset in aliquo de devocione/ sua impediri. Magister ipse illuminabit cereos [fo. 64. in principio missæ et extinguet in fine, et similiter illuminabit torticeos in elevacione; nisi habeat clericum; tunc ipse clericus utrumque faciet. Ipse magister incipiet omnia quæ ad illam missam incipienda sunt, et inveniet omnia quæ ibi necessaria sunt, preter panem et vinum et duos cereos, utrumque[2] de tribus quarteriis; quos, quociens opus fuerit, de sacrista percipiet. Et cum missa fuerit terminata, statim juvenes redibunt in claustrum, ad repetendum suum servicium, nullo in capella commorante.

Similiter magister criptarum percipiet de sacrista quadraginta libras ceræ de cereo paschali, quando cereus paschalis post festum sanctæ Trinitatis prosternitur. Et notandum quod in sex precipuis beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ festivitatibus magister criptarum procurabit aliquem de ordinis custodibus, ut missam ejusdem Dei Genitricis possit celebrare, cum diacono [et] subdiacono in dalmatica et tunica, et cantore cum capa, ut cum debita sollempnitate posset missa illa celebrari. In Sabbatis vero per totum annum missa illa celebrari debet solempniter cum diacono et subdiacono in tunica et dalmatica, sed sine cantore.

[1] *psalmos*, MS. [2] *uterque*, MS.

Solebat antiquitus missa Dei Genitricis cantari solempniter per notam cotidie ad altare ejusdem Dei Genitricis in criptis, usque ad tempora piæ memoriæ dompni abbatis Nicholai de Spina. Sed ipse, de consensu tocius capituli, illam missam transtulit ad altare sancti Stephani et sanctæ Mariæ Magdalenæ, quod est in porticu septentrionali parte navi[s] ecclesiæ, ubi beatus Augustinus primo sepultus erat et per quingentos annos usque ad suam translacionem ibi quiescebat. Similiter et totum redditum, quod fuit ex devocione populi ad illud altare Dei Genitricis in criptis datum et assignatum, ipse transtulit et assignavit ad illud altare ubi cantatur missa, quæ modo dicitur pro ecclesia ; et quod custos illius altaris, qui pro tempore fuerit, totum percipiet et expendet modo quo sequitur. Sed illa marca, quam[1] magister Bartholomeus de Ferentino in suo testamento in morte sua ad illud altare Dei Genitricis in criptis pro uno magno cereo cotidie sustentando et inter missam ardendo legavit, nullo modo predictus custos percipere/ deberet ; tamen usque ad tempora [fo. 64b. domini abbatis Radulphi percepit. Tandem, ad peticionem et vendicacionem cujusdam supprioris, illa marca a domino Radulpho abbate et toto conventu consenciente restituta est. Inde modo, de assensu abbatis et conventus, facti sunt duo cerei, quilibet de quatuor libris, qui cotidie ardebunt ad missam ibidem celebrandam, et nomen magistri Bartholomei de Ferentino in utroque scribetur cereo ; et debent bis renovari in anno ; et residuum marcæ cedat ad sustentacionem aliorum cereorum ibi stancium.

Ipse idem magister vel custos de predicto redditu sustentabit coram altare predicto in criptis unum cereum de dimidia libra, die noctuque ardentem, et cum necesse fuerit renovandam.[2] Item, idem ipse tenetur invenire, in sex precipuis festis supradictis, et in Natale Domini in vigilia, et in die ad processiones, centum et quinque cereos, quilibet de dimidia libra, super trabes in criptis inter columpnas jacentes. Et predictus custos residuum redditus, ad altare ubi cantatur cotidie missa pro ecclesia, fideliter in lumine et ornamentis expendet, et, si necesse fuerit, de lumine et ornamentis ad

[1] *que*, MS. [2] *renovantem*, MS.

altare Dei Genitricis in criptis ipse idem magister honorifice et leto animo inveniet. Redditus predictus solebat ultra decem marcas extendere.

Item, custos predictus, quando missa pro ecclesia non scribitur in tabula, sicut in paribus principalibus et principalibus festis, nec missa beatæ Mariæ in criptis, tenentur supprior qui cantat ad altare in criptis et predictus custos in hiis altaribus celebrare, ita quod nunquam sint sine missa illa altaria, nisi tribus diebus ante Pascha. In die beatæ Mariæ Magdalenæ non scribitur in tabula missa in criptis, sed tantum missa pro ecclesia ; et illa missa eodem die summo mane debet ad altare in criptis a predicto custode cum sociis suis solempniter celebrari ; et aliam missam predictus custos de beata Maria Magdalene ab aliquo ordinis custode ad altare ejusdem Magdalenæ festive et honorifice procurabit celebrare. Similiter, quando cantatur missa de Domina in choro, cum regimine chori, aliqua dierum in ebdomada, portabit in principio missæ in chorum suos quaternos de officio, et tradet unum cantori et chorum regenti, ceteros juvenibus ex/ [fo. 65. utraque parte chori, vel noviciis, si fuerint.

Explanacio sive recapitulacio de omnibus fratribus singillatim, qui aliquam in monasterio administracionem habent; similiter et de aliis prohibitis secundum regulam et statuta generalis capituli excommunicacionem tangentibus, et aliis multis unde clamores et correciones fiunt in capitulo.

Viri claustrales et quasi personæ domus Dei ad ordinis ac divini obsequii tutelam post abbatem et priorem magis astricti esse dinoscuntur ; supprior videlicet, et alii ordinis custodes, precentor, noviciorum magister, atque succentor. Claustrales vero generaliter appellantur omnes quicumque forinsecam administracionem non habent. Eorum vero qui administracionem habent intrinsecam quidam ex recta et antiqua consuetudine minus obligantur choro interesse, sicut celerarius et subcelerarius, thesaurarius senior, et infirmarius. Quidam

vero magis, sicut camerarius, sacrista, elemosinarius, hostilarius, cum non fuerint hospites. Et quidam multo amplius sunt astricti choro interesse, quia mere claustrales existunt, eo quod cotidie tam missis quam omnibus horis regularibus, cum domi fuerint, adesse tenentur, sicuti refectorarius, granatarius, revestiarius, duo subsacristæ, subcamerarius, magister criptarum, qui omnes ab abbate in capitulo sunt constituti sive creati.

De dompno abbate et priore, aliisque ordinis tutoribus, et de cantore et succentore, specificatum est supra recta serie ; atque in sequenti aliisque locis diversis fit de quibusdam eorum mencio specialis.

Noviciorum vero magister, licet aliquis ex prioribus seu ordinis tutoribus nullatenus existat, ex cura tamen noviciorum sibi commissa quasi custos ordinis censetur. Nullus a claustro sine licencia egredi debet, nec ipse prior in presencia abbatis, nec supprior in presencia prioris ; et sic de ceteris aliis fratribus, majore presidente. Magister noviciorum de licencia superiorum novicios suos in locutorium regulare, et extra claustrum in cimiterium monachorum, et ad balniatorium gracia balniandi et minuendi, et ad sanctam Brigidam, instruendi atque alterius rei necessariæ causa, quociens opus fuerit, ducere potest ; sed non ulterius extra terminos, neque in locutorium forinsecum, ut çum aliqua loquantur persona secu/lari, nisi de licencia prioris claustri. Sed, si [fo. 65b. unus ex ordinis custodibus extiterit, illud ex moderno usu absque reprehensione facere solet, hoc observato, ut locuntur ad invicem novicius et persona secularis, quod inter eos sedeat et manifeste audiat quicquid uterque[1] loquatur. Qui quidem unum ad minus habere debet socium sibi per abbatem assignatum, qui sciat et possit eidem subvenire in illo laborioso et tedioso præ ceteris omnibus ministerio ; et, cum absens fuerit, quod sui officii est in omnibus libere excercere. Quod autem sui novicii ad prandium legere aut servire vel quippiam tale absque sui licencia facere non debeant, neque absque illius ducatu aut noticia, seu illius collegæ in ipsius absencia, a claustro egredi.

[1] *utrumque*, MS.

In multis iocis supra et inferius de celerario et subcelerario, thesaurario seniore et infirmario, camerario, sacrista, elemosinario, hostilario, refectorario, granatario, revestiario, duobus subsacristis, subcamerario, magistro criptarum, de officiis eorum ad plenum et sufficienter dictum est. Nec pretermittendum est quod cantori vel magistro noviciorum, nec aliis fratribus prenominatis, nec aliis fratribus in divino servicio laborantibus, si indigeant et causam racionabilem habeant et ostendant, de vesperis aut[1] de completorio morari, vel ad matutinas esse privatas, et signum inde priori fecerint,[2] non debet licencia denegari.

Gardiani, qui et obedienciarii, tenentur interesse nocte dieque servicio divino, cum domi fuerint, nec ab aliqua hora se absentare debent, nisi de ejus licencia qui preest ordini; nec extra portas ad custodias suas exire, sicut nec aliquis alius frater, etsi habuerit prius licenciam ab abbate, si domi fuerit, vel a priore in absencia abbatis, nisi prius notaverit illi qui preest ordini. Cum autem abbas in infirmitate fuerit detentus, omnes licenciæ[3] et omnes ordinaciones, cum consilio fratrum, videlicet seniorum, ad priorem incumbunt. Similiter, si abbas extra domum fuerit et prior infirmus in camera sua jacuerit, omnes licenciæ,[3] ut prius, et ordinaciones, cum consilio fratrum seniorum, illi qui preest ordini incumbunt. Si autem in convalescencia abbas vel prior extiterint, et sine aliqua offensione cum eis loqui poterit, bonum est semper et tutum uti consilio eorum, in arduis tamen.

Elemosina/rius cotidie si necesse est ut ad elemosinariam bis et aliquando ter pergat, nec tamen licebit ei ibi pro aliqua necessitate commedere nec bibere aut dormire; nec in celario celerario nec subcelerario[4] licebit, pro hospitibus nec alia urgente necessitate, comedere aut bibere; nec aliquis alius frater de congregacione. Nec est aliquis ordinis custos qui, ut aliquod horum ibidem faciant, possit eis licenciare. Cum autem celerarius, subcelerarius, hostilarius, granatarius, infirmarius, subcamerarius, refectorarius, si socius suus extra portas fuerit, subelemosinarius, si ad solacium fuerit licen- [fo. 66.

[1] *autem aut*, MS.
[2] *fecerit*, MS.
[3] *licencias*, MS.
[4] *celerarius, nec subcelerarius*, MS.

cialiter, magister criptarum: omnes isti, cum ad solacium destinati fuerint, vel alibi extra portas ad pernoctandum fuerint, prius priori vel illi qui preest ordini cum reverencia humiliter innotescant; quibus claves de officiis suis interim de licencia sua commendaverint. Similiter revestiarius eodem modo faciet, cum socius suus extra in solacium fuerit sive infirmus in infirmaria, quia nunquam erit revestiarium, quod absit, sine duobus fratribus inibi jacentibus. Celerarius tamen, ex moderno usu, claves suos suo socio subcelerario tradet, cum absens fuerit, et econverso subcelerarius celerario.

Permissum est autem celerariis, tesaurariis, ut per curiæ officinas absque reprehensione incedant, et videant et corrigant defectus omnes qui[1] inveniuntur. Granatarius non debet officinas curiæ visitare, sed tantum officium suum; nec missam nec aliquam horam regularem debet omittere racione officii sui, nisi pro necessitate manifesta, ut quando bladum est admissurus vel liberaturus, et tunc illud rite priori claustri preostendit, vel, si forte pro aliqua festinacione prius ostendere nequiverit, illud ei post factum humiliter intimabit. Nullus olim potuit, nec adhuc potest, aut debet, ex supradictis fratribus, qui quasi claustrales existunt, ab hora aut missis se absentare, nisi custodi qui ordini preest ubi fuerit constet certitudo.

Elemosinarius potest post prandium et post cenam conventus ad elemosinariam incedere, non petita licencia a priore, nisi prior vel aliquis ordinis custos/ fuerit in claustro; [fo. 66b. sed post privatas missas, vel inter missam matutinalem, nullo modo pergat sine licencia illius qui preest ordini ad elemosinariam. Similiter et sacrista ad officium suum infra portas cimiterii bene ei licet pergere, licencia a custodibus ordinis non petita, quociens opus fuerit, cum honesta tamen comitiva famulorum. Hostilarius, cum hospites fuerint, bene potest sine licencia priorum hospites suos per officinas curiæ, causa solacii, de hostilaria ducere; sed ad Trinitatem vel alibi in villam, nisi prius intimaverit priori in ordine, nequaquam potest.

Qui autem ebdomedarius fuerit de duobus subsacristis,

[1] *que*, MS.

potest ire in cimiterium in absencia sacristæ, cum honesta comitiva famulorum, si necesse fuerit, et emendare omnes defectus quos invenerit, sicut et ipse sacrista, si domi fuerit. Preterea omnia jocalia quæ oblata fuerint a dominis et dominabus terræ in ebdomadis eorum ad corpora sanctorum, et in ebdomada custodiæ revestiarii, figantur ad feretra sanctorum ubi offerta fuerint. Eodem modo camisiæ quæ offeruntur ad sanctum Adrianum suspendantur ibidem. Nichil inde aliquis predictorum monachorum asportabunt nisi monetam tantum. Ad omnia altaria in ecclesia omnes oblaciones quæ ibi a populo offeruntur hii duo subsacristæ percipient, preter ad altare beatæ Mariæ in criptis, et ad altare beatæ Mariæ ubi pro ecclesia cotidie cantatur; quia quicumque fuerit subprior in fratrum congregacione ad altare Dei Genitricis in criptis debet celebrare, et custodiam altaris illius, cum socio de assignacione prioris, habere, et omnes oblaciones ibidem oblatas percipere et ad honorem Dei Genitricis expendere. Eodem modo faciet custos altaris ubi cantatur pro ecclesia.

Nunquam, quod absit, ab aliquo officiali fiat diminucio sive subtraccio super conventum in rebus quæ[1] pertinent ad conventum, sine consensu et assensu deliberativo in capitulo tocius conventus presentis; videlicet, in cibo et potu, qui pertinent ad celerarium et subcelerarium; in liberacionibus annalibus, quæ pertinent ad camerarium; in speciebus anniversariis, vino[2] misericordiarum, compotu et ceteris,[3] quia[4] omnia ista ad officiales sive gardianos pertinent. Et si aliquis officialis de proprio capite hoc fecerit,/ et hoc veraciter [fo. 67. perpendi potest, et inde in capitulo proclamatus fuerit, graviter ab omnibus objurgetur, et secundum delictum puniatur, et, si emendare noluerit, ab abbate et toto conventu ab officio expellatur, et alius in loco suo qui idoneus est per abbatem et conventum constituatur. Eodem modo fiet de sacrista, si liberacionem cenæ conventui suo tempore subtraxerit.

Sunt aliqui fratres, cum ad officia deputati sunt, qui non habebunt ordinem in claustro assignatum, nec studium, nec

[1] *de quibus*, MS. [2] *vinum*, MS. [3] *compotum et O.*, MS. [4] *que*, MS.

lectum in dormitorio, nisi ipsi propriis sumptibus lectum vel studium construxerunt; videlicet, celerarius, duo capellani abbatis, et stagiarii in infirmaria pro suo perpetuo commorantes. Et sunt alii qui tantum habebunt ordinem in claustro; sicut sacrista, duo subsacristæ, revestiarius et socius ejus, infirmarius, subcelerarius. Sunt et alii fratres qui nec habebunt studium nec ordinem in claustro assignatum; sicut juvenes inferioris ordinis, qui sunt reddituri servicium suum. Omnes alii fratres habebunt studia, lectos, ordines in claustro, si fieri potest; et ista tria omnia ad assignacionem prioris pertinent, videlicet studia, lecti[1] in dormitorio, et ordines in claustro, sicut predictum est supra, ubi loquitur de officio prioris. Alii autem fratres qui in officiis interius vel exterius deputati sunt, qui habent studia vel ordines in claustro, possunt et debent, intuitu fraternitatis et caritatis, licenciare fratribus juvenibus, si servicium suum reddiderint, in absencia eorum, talibus non habentibus, ut in eis sedeant pro edificacionibus[2] eorum. Tamen de consensu prioris hoc fiet.

Casus tangentes excommunicacionem.

Omnes proprietarii, incontinentes, inobedientes, conspiratores, falso et maliciose prelatos vel fratres accusantes eis crimen imponendo, libellos infamiæ contra prelatos vel fratres suos maliciose componentes, et omnes consilium vel auxilium ad hoc prebentes, item omnes qui de bonis monasterii scienter fraudem faciunt, alienando, fraudulenter mutando, in dampnum seu gravamen monasterii, aliter quam sit computando, et ultra compotum, sine prelati licencia seu sciencia, sibi retinendo; item omnes qui ad altaria, carulas, studia, sive lectos fratrum accedunt, malo zelo ducti, ut aliquid ibidem furtive capiant et retineant impudenter; item qui secreta capituli maliciose revelant studio/ malignandi, vel precepta cum racione [fo. 67b. superioris contempnendo; item qui res fratrum defunctorum retinent penes se, abbate inconsulto:—omnes prenominati,[1] die Lunæ prima Quadragesimæ in pleno capitulo, ubi omnes fratres sunt congregati, videlicet qui possunt interesse, a suis

[1] In accusative, MS.

[2] *pro ediis et edificacionibus*, MS.

prelatis excommunicati denuncientur, vel, si opus fuerit, e[x]communicentur solempniter.

Proprietarios autem vocamus, qui de bonis monasterii fecerint gratis fraudem, vel preter conscienciam sui prelati aliquid sibi possident, quod ipse non dederit aut permiserit.

Diffinicio proprietarii. Ille est proprietarius, qui sine prelati licencia aut consciencia aut recipit aut receptum retinet, aut retentum dispensat, commutat, aut donat ad libitum quæcumque temporalia, sive parva sive magna. Incontinentes dicimus illos, qui lapsu carnis voluntario et ex deliberacione procurato, quocumque modo fiat, se maculant impudice. Inobedientes sunt, qui post factam professionem temere habitum religionis abjiciunt, vel qui, mandatis regularibus pertinaciter resistendo, prelatis suis contumaciter obedire contempnunt. In omnibus preceptis licitis et honestis, ita quod non sint contra fidem vel conscienciam, tenemur preceptis prelatorum obedire. Unde abbas Helynandus in floribus suis dicit: "Primum hominum debetur Deo, [cujus "est homo] redempcione et creacione; secundum autem "homini, salvo tamen dominio[1] Dei, qui ab omnibus suis "exigit innocenciam. Cum periculo igitur innocenciæ sive "conscienciæ, quod idem est, nemo cuiquam debet fidem, nec "abbati monachus, nec patri filius, nec domino servus, nec "marito uxor."[2] Conspiratores vero dicuntur illi, qui inter se confederantur ad subversionem ordinis vel statutorum a majoribus salubriter provisorum, vel ad persecucionem alicujus prelati vel fratris ex ambicione vel odio, vel qui alios maliciose defendunt. Et, ne facilitas veniæ transgressoribus audaciam tribuat talia perpetrandi, salubriter est statutum quod, si quis super aliquo predictorum facinorum legittime convincatur, stallum perdat inposterum quod habuit in conventu, nunquam celebret missam majorem in choro, nec administracio extrinseca sibi ex tunc aliquatenus committatur;/ [fo. 68. observata nichilominus circa talem regulari disciplina, quæ consuevit observari circa sic peccantes. Ne tamen in tyran-

[1] *hominio*, MS.

[2] Helinandus "de bono regimine Principis," cap. xxiv. Migne, *Patrol. Lat.* ccxij. 744.

nidem rigor crescat, si cordis contricio et operis humilitas hæc evidenter meruerint, facultas dispensandi cum infirmo fratre, non consueto ad talia, reservetur abbati. Prior vel subprior, et ceteri qui ordinis sunt custodes, cum ex illis potissimum pendeat pax et perturbacio domus et ordinis disciplina, qui talia sustinuerint aut eciam dissimulaverint, pro suorum abbatum arbitrio regulariter puniantur.

Precepta capituli et constitucionum.

Quod confessores bona discrecione faciant quæ ad officium eorum pertinent, videlicet ut sciant ponderare et discernere inter peccatum et peccatum, inter personam et personam, inter modum et modum, et inter alias circumstancias, quia circumstanciæ aggravant peccatum. Similiter quod fratres frequenter confiteantur, ad minus semel in ebdomada ; et non dico semel tantum, sed bis vel ter vel cotidie, si sibi dictat sua consciencia, quia dictum est : "Sepcies in die cadit justus."[1] Et qui confitentur parati sint penitencias suscipere et penitencias injunctas perficere. Similiter requiret abbas vel prior, vel subprior in absencia eorum, quolibet mense, a confessoribus de nominibus qui confitentur eis, si confitentur secundum supradictum modum. Sin autem, objurgentur et puniantur publice coram omnibus in capitulo.

Item, quod nullus sacerdos abstineat se a celebracione missæ ultra quatuor dies, sine consciencia abbatis vel prioris, vel subprioris in absencia eorum, qui preest in ordine. Et si hoc facit, sit ad cibaria quadragesimalia, donec celebraverit, sine aliqua mitigacione. Similiter idem[2] judicium damus juvenibus ordinum inferiorum, qui infra octo dies non communicant.

Item, quod lecti fratrum in dormitorio sint ordinati, et qui inordinatum lectum fecerit vel habuerit, eo ipso illum perdat. Item, quod nullus sigillum habeat, nec litteras mittat vel recipiat, nisi de expressa voluntate abbatis, vel illius qui preest ordini in absencia ejus. Item, quod obediencia devocius de cetero fiat, cum sine ipsa non sit alicui pro-

[1] Prov. xxiv, 16.

[2] *eundem*, MS.

fesso salus. Item, quod depositum, cujuscumque sit personæ, non recipiatur infra monasterium vel extra, nisi de expres/sa voluntate abbatis, propter periculum quod [fo. 68b. posset evenire ecclesiæ. Item, quod nullus fratrum habeat vel deponat apud quoscumque pecuniam, vestimenta, animalia quæcumque, aves, et cetera hujusmodi, preter conscienciam vel scienciam abbatis, quia omnes tales vere proprietarii sunt. Item, quod nullus pro constitutis liberacionibus et consuetis pecuniam recipiat, nisi cum expressa voluntate abbatis. Item, quod res, qualescumque sint per industriam fratrum adquisitæ, vel ex dono per licenciam habitæ, non a monasterio alienentur vel vendantur preter voluntatem abbatis. Item, quod reverencia exhibenda ab omnibus et cuilibet seniori a junioribus decencius fiat de cetero, quam fieri consuevit. Item, quod regula nostra beati patris nostri Benedicti in magna habeatur ab omnibus reverencia. Item, quod statuta summorum pontificum, legatorum, necnon et statuta capituli generalis nostri ordinis, certis temporibus in capitulo legantur et observentur, quatenus non obviant privilegiis nostris vel consuetudinibus racionabilibus. Item, quod fratres omnes et singuli ordinatis utantur vestibus, sotularibus, cultellis, capuciis, almuciis, capellis, sellis,[1] frenis, et omnibus aliis ad ordinem pertinentibus; et quod capis de burneto de cetero non utantur fratres. Item, quod processiones ordinate et cum maturitate fiant, ita quod fratres precedentes et subsequentes mature incedant, quilibet juxta alterum, secundum suos ordines et etates, et quod inter eos sint septem pedes secundum estimacionem. Item, quod hospites debito modo suscipiantur, et ad benedicciones in conventum recipiendas ducantur, secundum ordinis observanciam; et quod nullus jungat se hospiti, nisi de licencia speciali, excepto fratre qui ad hospites est deputatus. Item, quod nullus fratrum de cetero wardam vel nutrituras quorumcumque recipiat, nisi de expressa voluntate abbatis et consensu speciali. Item, quod nullus fratrum de cetero intromittat se de negociis secularibus personarum secularium, ubi lites, contenciones, et controversia[2] oriri possent, nisi quatenus hujusmodi negocia tangunt vel

[1] *cellis*, MS. [2] *controversio*, MS.

tangere possent ecclesiam nostram, et hoc de consciencia et expressa voluntate abbatis fiat. Item, quod priores faciant ordinem custodire; et quod scrutatores ordinis faciant cum omni diligencia quod ad eos pertinet.[1]

Item, prohibe/mus, sub pena prolata a canone et ab [fo. 69. homine proferenda, ne de cetero nostri ordinis professores ludant ad scaccarium, aleas, vel ad talos, nec cum arcubus vel balistis, nec currere cum pilis ad baculos vel ad manus, nec jacere lapidem magnum vel parvum ad signum; nec interesse luctis, pugnis, vel duellis hominum, animalium vel avium; nec in silvis, campis, et sepibus, cum canibus,[2] causa venacionis, cum clamore discurrere. Item, dissoluciones notabiles in verbis et in quolibet gestu inter hospites vel seculares quoscumque, seu inter fratres, omni modo prohibeantur; et quod nullus det studium ad rumores audiendos et alias fatuitates, quia animæ non proficiunt. Item, quod carnales affecciones malæ et societates fatuæ ad quoscumque fratres vel alios omnino prohibeantur. Item, quod nullus sit de cetero dissolutus in verbis, in gestu, infra cepta monasterii et extra, coram secularibus, sed semper ostendat se bene morigeratum propter honestatem religionis, quia omnis religio fundatur super honestatem et morigeracionem. Item, quod inordinati tactus et percussiones omnino vitentur et prohibeantur. Item, quod fratres juniores, postquam servicium suum reddiderint, sacræ scripturæ intendant, et quod nullus sit ociosus; et, si nesciunt se occupare in aliqua occupacione bona, per custodes ordinis compellantur. Item, quod fratres juniores reddant epistolas et evangelia in libro tocius anni; nec aliter presumant legere, nisi prius instructi fuerint in eisdem, et ad tales audiendum deputentur aliqui fratres, qui sciunt eos instruere, per abbatem vel priorem. Item, quod juvenes non nitantur[3] ad propriam voluntatem faciendam, sed disponant se ad spiritualia magis quam ad carnalia, et, si aliter faciunt, bene corripiantur; quia quidam sunt in gestu qui magis seculares se ostendunt in claustro quam dum erant in seculo; et, dum a custodibus ordinis corripiuntur, murmurent et maledicant. De talibus loquitur generale

[1] *pertinent*, MS. [2] *cum canibus, campis et sepibus*, MS. [3] *nituntur*, MS.

capitulum Radingæ sic: "Qui autem proclamacionem in "capitulo indignanter vel cum murmure tulerint, eadem die "propter hoc in pane et aqua jejunent." Item, quod jejunium melius sit observatum ab Exaltacione Sanctæ Crucis quam ab aliquibus solebat. Item, quod/ non vocentur seculares [fo. 69b. ad balniatorium vel sartoriam, nec ad infirmariam, vel[1] in cameris infirmorum vel in mensa infirmorum, ut ibi comedant et bibant, nisi tantummodo medicus et alii famuli de infirmaria jurati. Item, quod in refectorio male custoditur silencium in privatis potacionibus post prandium et post completorium in ecclesia et thesauraria ecclesiæ, similiter et in omnibus aliis locis ubi silencium custodiri debet, volumus de cetero quod proclamentur in capitulo, et in silencio usque ad emendacionem ponantur. Item, quod, si aliquis frater voluerit habere colloquium cum aliqua muliere, sive fuerit juvenis sive senex, extra monasterium vel infra, propter honestatem habeat semper secum in sua comitiva unum fratrem, et quod ille frater audiat quicquid inter se locuntur, propter bonum testimonium. Si infra monasterium hoc factum fuerit, in nullo alio loco hoc fiet, nisi in novo exteriori locutorio. Tamen abbas excipitur, et nullus alius, quia potest de ordine loqui cum muliere in thesauraria ecclesiæ.

Item, sunt aliqui qui faciunt sibi peculiares penitencias et observancias, et dimittunt regulares. Hii graviter sunt reprehendendi a custodibus ordinis, nec permittatur talibus voluntates eorum perficere. Tamen, si sunt tales qui possunt utrumque facere et in servicio divino ad quod tenentur non deficere, beati sunt illi. Item, sunt aliqui qui dicunt seu tenent quod ea, quæ ex permissione quandoque fiunt, consuetudines nostras esse et quasi regula. Hii tales graviter reprehendendi sunt, et talis permissio revocetur de cetero, quia excessus et abusus tollunt privilegium. Item, sunt aliqui, quibus negatur quandoque ex certa causa illud quod petunt, et ipsi malo spiritu inducti ex hoc graviter offenduntur, et prorumpunt[2] contra ordinis custodes aliquando in mala verba: tales coram omnibus in capitulo publice debent objurgari a presidente et puniri, tanquam sanctæ regulæ transgressores.

[1] *ut*, MS. [2] *prorumpuntur*, MS.

Item, sunt aliqui de claustralibus qui nolunt uti pelliciis, capuciis, almuciis, calciamentis, et aliis ordinatis, sed pro eorum voluntate tunicis, stivalibus et aliis, in scandalum ordinis, et sine permissione abbatis, inordinatis: a talibus omnino donec se emendaverint omnis tollatur liberacio. Item, sunt aliqui qui in Quadragesima et in aliis temporibus anni nimis frequen/ter et sine necessitate faciunt se flubotomari, cum [fo. 70. non indigeant, sed causa necligenciæ, solacii, et subtraccione servicii hoc faciunt, et, ut possint[1] bene cum cipho et dissolucionibus longo tempore vigilare et dormire. Talibus namque nolumus, cum petunt licenciam, negare, quia aliter possent dicere quod essemus causa infirmitatis eorum, si evenerit. Sed possumus prohibere talibus ne extra conventum fleubotomati sint, nisi de septem in septem septimanis.

Item, quod nullus frater subtrahet se a divino servicio ex sua negligencia sine causa racionabili, et tunc de licencia illius qui preest ordini; similiter nec a capitulo cotidiano, quia omnes qui sunt infra portas monasterii interesse tenentur; et eciam bertonarius, si fuerit apud bertonam, cum audit pulsare ad capitulum, tenetur, in quantum potest, festinare, ut ad capitulum redire posset, nisi prius licenciam ex causa a custode ordinis pecierit.

Item, quod nullus frater, qui foris mittitur ad solacium capiendum cum aliquo gardiano, nec ipse gardianus cum solus fuerit, vadat ad diversa loca, vel ad unum locum ubi suspicio mala posset oriri, nimis frequenter, sine socio vel alia decenti comitiva. Item, quod nullus vadat ad convivia secularium, dummodo sunt extra, in solacium, nisi de speciali licencia ab abbate optenta, ut comedant ibi carnes indeferenter in scandalum ordinis. Item, sunt aliqui fratres qui petunt licenciam eundi ad certum locum, et vadunt ad illum locum et alia loca pro voluntate eorum, et ibi comedunt et bibunt, sine licencia, cum sint eadem die ad monasterium reversuri, contra regulam. Male et graviter isti peccant, et secundum quod jubet regula tales excommunicentur. Item, quod nullus frater hospitatur in domibus aliorum, quando foris mittitur, cum commode ad domos nostras et honestius possit accedere.

[1] *possunt*, MS.

Item, ordinatum fuit aliquando quod fratres, secundum quod abbas ordinaverit, certis temporibus collaciones in capitulo facerent, et ideo ordinata fuerunt studia, ut possent ibi non in antiphonariis studere, vel aliis libris truphatoriis, vel libris legum vel decretalibus, cum ad monachos non pertinent, sed in divinis libris et animæ edificatoriis; similiter, nec in claustro, nisi in libris qui pertinent ad servicium divinum et ad salutem animæ. Item, quod nunquam fratribus juvenibus, dummodo sunt reddituri, servicium injungatur/ eis aliquod intus vel extra officium, ne a [fo. 70b. servicio reddendo inpediantur; nec ad sacerdocium promoventur, nisi de gracia speciali et rogatu, si meruerint, seniorum. Et cum graciam illam perceperint, nullum parvum officium inter socios debent omittere, preter discum et martilogium, donec reddiderint suum servicium. Et, si esset aliquis juvenis talis ingenii quod esset habilis ut mittatur ad studium, potest abbas cum eo de servicio reddendo dispensare; ita tamen quod reddat, secundum statutum generalis capituli, videlicet psalterium, ymnarium, cantica monachorum, commune sanctorum, omnes antiphonas feriales et parva responsoriola, et omnes versus in toto antiphonario.

Item, sunt quidam fratres qui non vadunt ad lectum suum cum conventu, sed pro voluntate sua, sine aliqua licencia, sicut aliqui dicunt ad communem legem, completorium dimittunt. Hii pro certo male et contra ordinem faciunt, quia ordinem contempnunt. Isti, quicumque fuerint, graviter in capitulo reprehendendi sunt et arguendi, et satisfaccione et emendacione digni. Item, multociens ab abbatibus et custodibus ordinis et secundum regulam preceptum est, quod non detur alicui licencia de completorio, sine causa certa et racionabili. Item, preceptum est quod hii qui cum licencia et sine licencia dimittunt completorium, quod simul sint in solacio suo, et simul et ordinate reddant completorium suum, sedendo juxta hostium capituli, non ambulando circa claustrum. Item, multociens preceptum est quod hii qui omittunt completorium, quod non sint extra dormitorium ultra pulsacionem ignitegii. Item, fratres qui omittunt completorium, in dormitorio jacentes vel extra, sicut capellani

abbatis, celerarii, et fratres qui jacent in ecclesia, cum veniunt in dormitorium, quod sine aliquo strepitu vadant, ne fratres, qui in pausatoriis suis quiescunt, molestentur vel evigilentur. Item, quod cum fratres vadunt ad lectum ibique pausandum, cum summo silencio et tranquillitate hoc faciant, ita quod nec sono vocis nec alicujus rei motu strepitum faciant, nec aliquid agant quod a proximo fratre possit audiri, nec aliquo modo fratribus suis tedium faciant. Item, quod nullus frater jungat se alteri fratri in dormitorio, nec in latrina, nec in studiis, ad colloquendum simul, nisi in necessitate magna,/ sicut pro infirmitate vel pro aliquo libro [fo. 71. petendo; et hoc breviter fiat. Nec deambulent fratres huc illuc in dormitorio, dummodo fratres in lectis suis quiescunt, neque in studiis, dummodo fratres ibi sedent, quasi ad illos explorandos[1] quid faciunt. Item, quod nullus fratrum habeat manus extra froccum in choro detectas, nisi cum indiguerit, pro servicio inveniendo, libros tangere, vel pro reverencia Dei et ordinis capucium deponere vel reponere; nec signum de choro in choro facere, nisi necessitate urgente. Item, precentor, cum disponit cappas conventui, in duplicibus festis et supra, nullo modo fratribus juvenibus cappas brullatas vel cum tacellis tradat; nec succentor in choro suo. Item, fratres, cum mane vel post meridianam de dormitorio in claustrum descendunt, post locionem manus, nullus audeat in ordine suo ad carulas sedere et libros respicere, vel ibi capud suum pectinare, nec per circuitum claustri huc illuc ambulare; sed, statim post locionem manus et pectinacionem capitis, ad hostium locutorii intrinseci ordinate vadant in ecclesiam, et assument aquam benedictam; et post intrent chorum, et ibi pulsacionem ad horam expectent. Tamen custodes ordinis in mane, et confessores, possunt et debent in claustro morari, et illi qui indigent confiteri. Item, de fratribus juvenibus, qui reddituri sunt servicium, multociens ab abbatibus, prioribus, et aliis ordinis custodibus, capitulum tenentibus, preceptum est quod, illo die quo non reddiderunt aliquid de servicio, permanebunt in claustro, nec aliquod solacium percipient illo die extra claustrum. Et similiter

[1] *explorando*, MS.

preceptum est quod reddant in claustro, quando spacium est oportunum, et non in ecclesia inter missas, nisi fuerit defectus ex parte sui magistri; et tunc in intervallis, quando nichil agitur de servicio. Item, cum per abbatem vel priorem, vel per subpriorem in absencia eorum, aliquis frater ad solacium ordinatur, et ille frater renuit, nec vult ordinacioni superiorum condescendere, nisi habeat legitimam causam et allocabilem, permanebit ille frater in monasterio usque ad aliud tempus quo cursus iterum sibi advenerit, nisi sit de speciali gracia superiorum.

Multa alia precepta per abbates et priores capitulum tenentes, quæ non sunt hic ad plenum scripta; sed supra et inferius in diversis fratrum officiis luculenter inse-/ [fo. 71b. runtur, ut in legentibus patebit. Et caveant fratribus omnibus ne aliquando delinquant in illis, quia valde animæ periculosum est in preceptis delinquere, donec ab abbate, vel de ejus permissione a priore, vel subpriore, in pleno capitulo, ubi precepta erant, revocentur. Sunt enim nonnulli qui parvipendunt precepta capituli et dicunt: "Faciamus per duos " dies, vel tres, illud quod preceptum est, ut videamur precepta " acceptare et propter obedienciam facere; et ulterius non " curemus." Isti male delinquunt et seipsos decipiunt et graviter peccant, quia contempnunt et inobedienciæ rei facti sunt. Quia omne, quod preceptum vel ordinatum est coram conventu in capitulo, in eodem loco, si necesse fuerit, revocari debet, et non alibi.

De refectorario et de hiis quæ ad illius et socii sui specialiter officium pertinent. Atque de multimodis obsequiis in refectorio agendis; et de ordinato gestu fratrum in eodem diversis horis et temporibus; cum aliis consuetudinibus internexis atque adhibitis.

Refectorarius curam habet de omnibus quæ ad refectorium pertinent. Qui eciam omni die ad opus domni abbatis, si in refectorio comederit, [sex][1] panes, atque juxta numerum

Left blank in MS. Supplied from O.

fratrum singulos panes, cotidie ex liberacione pistoris recipere debet; preter panem pro scinditoriis, id est trenchuris, qui abbati, vel priori, vel alii custodi qui in refectorio vicem gerit prioris, [singulis diebus apponitur].[1] Et similiter cotidie pro priore, vel suppriore, vel alio ordinis custode, quando conventus bis reficitur, quinque panes, scilicet tres choyns et duos panes fermentatos, videlicet unum de fermentatis ad prandium et alium ad cenam; et, quando conventus semel reficitur, quatuor panes, scilicet tres choyns et unum fermentatum, recipiet. Preterea cotidie unum panem ad mixtum trium coquinæ servitorum et mensæ lectoris.

Refectorarii insuper officii est pistori innotescere qualiter conventus de pane serviri debeat, quibus scilicet diebus et festivitatibus siminella cum pane fermentato, et quibus gastellum sive miche sint habituri fratres. Omnibus festivitatibus quæ coluntur in albis et duplicibus festis et supra, et in quinque Dominicis quæ quasi in albis fiunt, et in omnibus anniversariis principalibus habebit conventus siminella; ceteris diebus gastella cum pane fermentato, videlicet dimidia pars panis fermentatus et gastella pars altera.

Qui similiter refectorarius omnem potum, de quo conventus /quibuscumque diebus serviri debet, gustare tenetur, ac [fo. 72. diligenter inquirere utrum usui eorum sit oportunus an non, priusquam in refectorio deferatur. Subcelerarius autem servisiam conventus in cannis a doleo trahere in celario a suis famulis tenetur, atque ab eisdem in refectorium portari faciet ad prandium, ad cenam, ad collacionem, vel ad potum quando cena non est. Qui quidem subcelerarius faciet a suis famulis lavare cannas et justas, quociens opus fuerit. Et cotidie tres cannas in refectorium ad prandium conventus faciet portare, et super carram poni; et unam cannam ad prandium servitorum, et duas ad cenam conventus, et unam ad collacionem sive ad potum caritatis. Et, si non sit cena in conventu, ad potum qui est post vesperas cannas duas faciet portare. Et, si refectorarius de pane et servisia quam, ut supra dictum est, plus indiguerit, a subcelerario sufficienter recipiet, ita quod nunquam in refectorio de pane, caseo, et servisia sit defectus.

[1] Supplied from O.

Fratres siquidem in refectorio prandentes non conjunctim ad mensas sedebunt, cum pauci fuerint in refectorio reficientes; sed divisim ac spaciatim ordinate, ut tabulæ honorifice vestiantur ; et quod nunquam coram fratre solo reficiente ponatur panis, nisi sit integer. Et quocienscumque fuerit necesse, ut cum et fratribus pauciores ex una parte fuerint de reficientibus quam ex altera, faciat refectorarius in illam partem mutare qua minor est numerus, secundum quod decens ei et honestum ac ordini conveniens esse videbitur. Illi vero fratres, qui sic sunt ammoti, in ipso eodem ordine ad gracias in choro stabunt, et usque in dormitorium processionaliter incedent, si tunc inmediate agatur processio. Sed frater qui ad scillam servit in ordine suæ conversionis semper usque in ecclesiam processionaliter licite potest incedere. Et, si contingat ad prandium servitorum quod lector et omnes servitores de una parte fuerint, vel eciam plures sint de una parte quam de altera, ipsius est aut socii sui modo prelibato quosdam ammovere. Sed hii, qui ad prandium servitorum ita ammoventur, possunt et debent ad cenam conventus in suo ordine residere, quod minime facient qui ad prandium conventus sic sunt ammoti./ Nec debet aliquis ad prandium sedere [fo. 72b. ad unam mensam et ad cenam, vel ad potum quando non cenant, ad aliam mensam ejusdem partis.

Ad ejusdem vero refectorarii spe[c]tat industriam lavatorium ad hostium refectorii omni sollicitudine custodire, atque fracturas et si quos in illo defectus invenerit plumbario sive conductorio protinus innotescere; et ipse sumptibus thesaurariæ conventus omnes defectus emendare. Nullus enim monachus unquam aut persona secularis, conventu[1] in refectorio ad cenam vel ad potum existente, ingredi debet, quin ab eo qui ad scillam residet clare possit intueri. Cultellos vero ad scillam atque quindecim salinas ad mensas sumptibus thesaurariorum inveniet, et ea munda custodiet. Cultellos quidem cotidie, si opus fuerit, a suo famulo eruginare et lavare faciet; qui insuper famulus cyphum presidentis singulis diebus, si necesse videatur, lavare, atque bancalia et cetera quæ[2] circa mensam sunt necessaria honeste ac honorifice tenetur dirigere.

[1] *conventui*, MS. [2] *queque*, MS.

Inveniet necnon idem refectorarius omnia candelabra. Coclearia vero et quælibet vasorum utensilia refectorii honeste custodiet; quæ si fracta fuerint, suis sumptibus resarcire ea faciet, nisi forte aliquis fratrum cyphum murreum vel aliud quodcumque vas qualicumque modo fregerit violenter, quia tunc idem frater, sive in sua sit custodia vas illud sive non, tenetur proculdubio sumptus exhibere ad illud resarciendum aut funditus renovandum, si opus videatur, et non refectorarius, nisi sponte velit.

Idem vero refectorarius, ad ablucionem manuum abbatis quocienscumque in refectorio commederit, aquam calidam presto habebit, tam post refeccionem quam ante; necnon et togellas sive manutergia promta habebit, tam ad manus ejusdem dompni abbatis tergendas, quam ad caseum deferendum et quæque necessaria in refectorio agenda. Mattas super scanna in refectorio per celerarium annuatim faciet renovare, atque in vigiliis festorum principalium stramine ad hoc deputato sterni faciet, et salinas omnes per famulos coquinæ mundare et pulcras facere. Similiter, quocienscumque necesse fuerit, omnes ordines fratrum in refectorio per famulum suum faciet mundare.

Refectorarii siquidem aut socii sui incumbit officio omni die per annum, excepta tantummodo die Parasceves, sin/- [fo. 73. gulis fratribus singula reverenter apponere coclearia. Presidenti vero quinque vel sex, propter hospites, reverenter apponet. Quæ omnia versus finem prandii colliget, viso prius signo consueto a fratre qui stat cum presidente ad discum, quando portat ultimum ferculum ad elemosinam. Et similiter, quocienscumque conventus habet vinum, ipse refectorarius cyphos argenteos conventui apponet, et cuppam similiter presidenti argenteam. Celerarii preterea aut socii sui, si presens fuerit, interest post pitanciam caseum honorifice per medium conventus ad presidentem portare, et ante eum curialiter cindere; deinde, si fuerint, hospitibus et postea toti[1] conventui inde ministrare.

Refectorario[2] siquidem in refectorio nunquam cum aliquo loqui licet monacho, nec eciam cum aliqua seculari persona, si

[1] *toto*, MS. [2] *Refectorarius*, MS.

aliquis ibi monachus presens existat, nisi sit forte consolandi gracia; et hoc non manifeste, sed breviter, si necesse videatur, quasi in silencio, nisi forte cum rege, aut regina, vel aliquo episcopo, vel nostri ordinis abbate, seu magnæ auctoritatis comite, ut si domini regis sit frater vel filius; nec eciam cum suis famulis in refectorio loqui debet manifeste, sed ad locutorium eos ducere consuevit. Refectorarius debet consideracionem habere quod layci ignobiles aut inhonestæ personæ, ut in refectorio ad scillam prandeant, sive abbas affuerit sive non, nullatenus admittantur, nisi pro evidenti utilitate fuerit aut necessitate.

Mappæ siquidem mensales in refectorio ad quamlibet rasturam, pro recta et antiqua consuetudine, mutari debent, necnon et alias, quociens opus fuerit; et sex tersoria in claustro pendencia, quinque videlicet extra hostium refectorii et unum ad lavatorium ad hostium ecclesiæ, omni die Dominico ante processionem et quociens alias opus fuerit, per famulum camerarii ammoveri debent, et alia munda candida et honesta apponi. De illis quinque extra hostium refectorii, unum scilicet pendens per se, super quod tantummodo terget manus suas prior claustri, atque quatuor ex altera parte usui ceterorum fratrum deputata; et illud ad hostium ecclesiæ pro revestitis est deputatum temporibus suis.

Mensæ lector et tres coquinæ servitores, post primum "Agnus Dei" decantatum, a choro rite exibunt ad sumendum mixtum, venientes in refectorium, et, diviso in quatuor partes pane uno, quem[1] recipere debet refectorarius cotidie de celario, comedent in ordine suarum sedium,/ secun- [fo. 73b. dum regulam, singulos biberes et panem, precipue in diebus solempnis jejunii; et proculdubio jejunant. Et, si aliud aliquid sumpserint, sive legumina sive piscem sive ovum sive caseum, non reputantur jejuni. Cum vero commederint, ibunt in conventum. Occasione vero mixti non dimittent horam nec ante horam oracionem. Refectorarius autem aut ejus socius, quam cito sederint, absque mora cum omni sollicitudine honorifice ministrabit. Ad quorum mixtum singulis anni diebus una justa servisiæ de celario conventus assignatur.

[1] *quam*, MS.

Nec debet quisquam aliquo die mixtum sumere, nisi de licencia prioris claustri. Confestim ut ad mensam sederint lector et dicti servitores, dicet unusquisque secrecius sub silencio "Benedicite"; et, licet infra sacros non fuerit, istud saltem ad minus devote subjungat: "Cibum et potum servorum suorum Filius Dei benedicat," crucis signum faciendo. Qui cum ordinate in silencio comederint et biberint quantum voluerint, cum parcitate tamen, dicat unusquisque ad minus hoc quod subsequitur. Versus: "Adjutorium nostrum in nomine Domini." Versus: "Sit nomen benedictum." Oracio: "Retribuere," et cetera. "Benedicamus Domino." "Fidelium animæ." Postea vero surgens; et si tunc sexta vel nona cantari debeat, ad ecclesiam continuo pergant. Hoc observato quod nullam horam regularem, quod absit, nec eciam oracionem quæ fit ante horam, si fieri possit, sicut ante dictum est, aliquo modo omittant; quia, dum aliqua cantatur regularis hora, nunquam ulli sano fratri licitum est mixtum accipere; nimirum cum ex more antiquo non liceat loqui vel egredi aliquem a claustris monasterii, postquam signum ad horam insonuerit, donec finiatur; qui tamen mos antiquus[1] ab usu modernorum penitus jam recessit.

Quicumque vero ad prandium vel cenam aut potum in refectorio conventui presidebit,[2] ex parte abbatis ad mensam est assessurus,[3] qui versus eam detecto[4] capite incedet; et stabunt interim fratres pro more antiquo erecti versos vultus extransversum habentes, quemadmodum in capitulo stare solent quando prior ad collacionem intrat; quoniam proculdubio inclinare non debent, nisi solummodo ad abbatis ingressum. Prior autem aut alius ordinis custos vicem illius gerens, modo prelibato incedens, cum ad scannum pervenerit, paululum sedeat usquedum reddat "De profundis," cum collecta "Absolve." Tunc surgat et procedat paulisper ad/ scillam, et ita morose sonabit ut fratres, si qui in [fo. 74. ecclesia aut in dormitorio fuerint tali hora, cum deliberacione absque cursu inordinato valeant convenire; et unusquisque, nisi in aliquo obsistente impedimento, in ordine suæ con-

[1] *antiquitus*, MS. [2] *residebit*, MS. [3] *assensurus*, MS. [4] *directo*, MS.

versionis stare debet, priusquam a cantore incipiatur "Benedicite." Nam cantor aut succentor, vel qui in eorum absencia ante prandium vel cenam inchoat "Benedicite," stabit ante ordinem suum, illud inchoando, et non alibi. Et ideo conventus debet se expedire in quantum potest, ordinate tamen, de dormitorio descendendo. Atque cantor vel succentor in eodem loco stabit post refeccionem, inchoando "Confiteantur," sive "Memoriam." Sed, quando ante potum conventus inchoat "Benedicite," cantor aut succentor vel alius in eorum absencia cui tunc licitum est illud incipere, in sessione sua illud inchoando sedebit. Nec aliquis tunc stando ante mensam alicubi absque reprehensione poterit aut debet illud inchoare. Sed neque in cantoris aut succentoris presencia presumet aliquis illud incipere, nisi sit fortasse pro raucedine et ad nutum alterius eorum.

Incepto autem "Benedicite" ante refeccionem, stabit presidens, sicut et ceteri fratres, ad orientem intentus, atque ad "Gloria Patri" et dum Dominica dicitur oracio et [a] sacerdote profertur benediccio, stabit, sicut et alii, suppliciter inclinus; non tamen[1] juxta scillam ante conventum prout abbas stare solet, sed retrorsum, equali scilicet ordine cum conventu, assistet. Nec pretereundum quod, sive dompnus abbas affuerit sive prior qui ad scillam stando sonat ante refeccionem, detecto semper capite eam proculdubio ex recta consuetudine sonare debet; quod facere nullatenus solet nec tenetur, qui eam sedendo sonat, nisi sponte velit. Sed, prolata benediccione, quicumque eam sonaverit, cum pronunciaverit sacerdos "Spiritus sancti, Deus," eriget se, et ad mensam superius intrabit. Ceteri vero stabunt inclini, quousque dixerit sacerdos "Per omnia secula seculorum"; atque tunc se erigent omnes in respondendo "Amen." Nec debet tunc aliquis in refectorio sedere, sicut nec unquam in capitulo, priusquam sedeat ille presidens, cui assurrexerunt.

Statim autem, ut sederit ille qui preest, veniet ad gradum frater lecturus et dicet, "Jube, dompne"; stabitque suppliciter inclinus, donec, dicta benediccione, respondeant "Amen"; et tunc procedet ad/ legendum. Qui quidem, ad [fo. 74b.

[1] *nondum*, MS.

leccionis exordium, de brevi clausula, cum fieri potest, sibi debet providere ; qui eciam si de congruo leccionis inicio sit[1] fortasse inprovisus aut librum ibidem non habeat, vel ob aliquam rem impediatur, quominus hora debita leccionem incipere queat, poterit et debet, ne molestentur fratres, hanc clausulam interim recitare : "Deus caritas est," et cetera, usque ibi, "et Deus in eo." Nullus enim ob aliquam causam a refectorio egredi debet, nec debent unquam aliqui fratres panes suos detegere, donec prima leccionis clausula sit lecta. Nec eciam servitores aut alii fratres aliquod genus leguminis ad aliquam mensam portare, quousque prior de potagio serviatur; sed nec piscis alicui fratri apponi debet ad tabulas inferiores, quousque de pisce sive de primo ferculo serviatur.

Prior vero, ex recta et antiqua consuetudine, sicut et alii ordinis custodes qui vicem illius gerunt, quando ad mensam sedent, proculdubio circa illius medium sedebit. Sed, aliquo episcopo ibidem reficiente, sub majestatis ymagine in medio est sessurus,[2] sive dompnus abbas sive prior aut alius ordinis custos secum tunc in mensa sedeat. Et similiter, si aliquis abbas alterius ordinis quam nostri ibidem reficiat, loco eodem est sessurus,[2] quoniam proculdubio nullus umquam episcopus, aut abbas ordinis Cisterciensis seu alicujus alterius religionis, solus ad scillam sedere debet, nisi abbas solummodo nostri ordinis. Sed semper aut dompnus abbas, aut prior hujus loci, vel in eorum absencia subprior aut alius inferior ordinis custos, scillam sonabit, atque juxta eam est sessurus, licet duo vel tres vel eciam plures abbates ordinis Cisterciensis simul ac semel ibidem resideant.

Benediccionem tamen super mensæ lectorem abbas proculdubio est dicturus, et finem faciet leccioni ; atque, si voluerit, tam ante quam post refeccionem, scillam sonabit, eciam si prior affuerit. Necnon et ad coclearia et fragmenta colligenda signum faciet consuetum, cum innotuerit ei prior vel qui vice illius in mensa secum residebit.

Nullus autem prior alterius domus solus conventui presidebit ; sed, si quis advenerit, si tamen sit conventualis, numero scilicet fratrum duodenario presidens, ad superiorem mensam

[1] *si*, MS. [2] *cessurus*, MS.

ex parte abbatis primus residebit, et/ ministrabitur ei [fo. 75. honorifice, tanquam priori. Verumptamen in magnis solempnitatibus, si plures affuerint abbates et priores, possunt, si voluerit preside[n]s, tam priores quam abbates ad mensam recumbere. Sed priores convencionales, si advenerint, eo quod nostrum capitulum habent, atque alii priores magnæ auctoritatis, possunt in abbatis nostri absencia, si hujus loci prior aut qui ordini preest, ipso absente, ita decreverit, ad scillam licite residere ; hoc observato, quod hujus loci prior vel alius inferior ordinis custos, aut saltem unus ex senioribus qui primus eorum est in ordine, si nullus possit ex custodibus, secum ibidem sedeat, prioris in omnibus supplens officium. Qui tamen, ob reverenciam prioratus, illum, priusquam refectorium ingrediatur, obnixe rogare, aut saltem eodem loco ad mensam videlicet signum eidem facere debet, ut scillam sonare et quicquid prioris officii est ad refeccionem supplere dignetur; quoniam nulli proculdubio ad scillam presidenti, sicut nec aliis fratribus alicubi, licitum est unquam cum monacho aut seculari persona aliquid loqui, nisi solummodo dompno abbati, si quando eidem loqui placuerit. Qui eciam, tam illic quam in claustro et in ecclesia, cui et quibuscumque voluerit personis licite loqui potest.

Ex recta siquidem et antiqua consuetudine refectorium hora refeccionis absque duobus ordinis custodibus, si fieri possit, nullatenus esse debet, et maxime diebus illis quibus inibi dompnus abbas vel prior conventui prefuerit. Et est racio quare prior absque alio custode in refectorio reficere non debet, quoniam, si casualiter egrotaret, vel casus de arduo ecclesiæ negocio ingrueret, cenæ aut potui conventus interesse non posset. Et quia, ut prefertur, skilla ante prandium et ante cenam atque potum conventus morose sonari debet, si contingat aliquos tarde in refectorium venire, ita quod usque ante ordinem suum attingere nequeant, priusquam incipiatur "Gloria Patri" ante refeccionem vel proferatur benediccio super potum, quando non cenant, in loco quo tali hora extiterint ordinate inclinent, et postea ad mensas superius continuo ascendent. Nec debent aliqui, ab hora qua ad "Gloria Patri" inclinare incipiunt, usque ad aliam partem refectorii/ [fo. 75b.

pertransire, donec post benediccionem se omnes erexerint; sed nec pro sui adventus tarditate debent unquam aliqui ante mensam inferiorem retro hostium refectorii ibidem inclini stare absque reprehensione, sed omnes ordinate ante mensas stare et inclinare debent ad "Gloria Patri" et dum profertur benediccio, facta prius inclinacione ante mensas, ut premissum est.

Illi vero qui ad benediccionem quæ dicitur ante potum conventus tam tarde veniunt, quod, priusquam dicatur, ad mensas ordinate sedere nequeant, modo prelibato se inclinabunt, atque, dum profertur benediccio, stabunt ante mensas versus orientem suppliciter inclini, sicut rite stare solent lectores martilogii, colacionis, et [qui] ad mensam sunt lecturi, dum a presidente profertur benediccio. Sed proculdubio fratres circumstantes, dum dicitur benediccio ad potum caritatis, non ita profunde potuerint inclinare, eo quod tunc inferius stantes cyphos gerunt in manibus. Fit autem mitigacio hæc juxta morem istius ecclesiæ cum hiis qui benediccioni ante prandium vel cenam aut potum conventus minime interfuerint, quod videlicet facta, ut moris est, inclinacione cum ingrediuntur refectorium, detectis capitibus per medium conventus usque ad gradum humiliter incedendo, hoc modo satisfacient: petita in primis ab omnibus, quotquot advenerint, ob sui negligenciam et accessus tarditatem per signum edendi aut bibendi licencia, omnes se pariter confestim inclinabunt, atque inmediate subjungent "Benedicite," "Oculi omnium," vel "Edent pauperes"; et ad "Gloria Patri" suppliciter inclinabunt; ac deinde erigens se sacerdos, stans in medio inter illos, qui videlicet prior eorum est in ordine, subinferet "Et ne nos," atque benediccionem cum crucis caractere solus pronunciabit, ceteris interim inclinantibus; quo facto, inclinabit et ipse; ac postea recedent omnes ad ordines suos. Qui vero inter potum ad satisfaccionem veniunt, petita, ut moris est, per signum potandi licencia, et versus majestatem inclinando, ad sessiones suas inmediate procedent.

Et si presidens alicui fratri ad mensam sedenti mandaverit aut signum fecerit, priusquam comedere incipiat, ut alibi extra reficiat, statim ut mandatum receperit/ aut illud [fo. 76. perceperit signum, detecto capite humiliter inclinabit; et,

cum a mensa exierit, stans ante eam versus eundem iterato suppliciter inclinabit.

Si autem dompnus abbas pro aliquo fratre miserit in refectorio commedente, ad eum continuo venire debet, illud presidenti minime ostendens; et, si eidem mandaverit specialiter ut secum commedat et commedere inceperit, illud presidenti, priusquam exeat, intimabit, ac deinde illud idem, quod videlicet commedere inceperit, dompno abbati constare faciat; quo cognito, si forte postea jusserit ut commedat, parere debet imperanti. Prior vero mittere potest similiter pro quo voluerit sedente in refectorio, ut secum commedat, licet ipso die capitulum non tenuerit; ita tamen, quod non prius commederit ille pro quo miserit, quia proculdubio, si commederit, nullatenus exibit, vel, si forte exierit, ut cum priore loquatur, absque mora revertetur. Sed, si non commederit, licet ad mensam sedeat, exire poterit, quamvis presidenti illud non ostendat. Sed, si ad prandium servire inceperit, non debet alicubi extra reficere, nisi prius illud presidenti innotescat. Si vero contingat quod dompnus abbas alicui dixerit fratri, qui extra chorum egritudinis causa extiterit, aut in infirmaria jacuerit, vel ab itinere sit reversus, ut in die qua chorum intrat cum illo reficiat, si, postquam eidem de suo ingressu in chorum innotuerit, dicat ei fortasse quod prius dixerat, jussioni illius obtemperare debet. Nam frater de ordine, primo die in quo ingressus est chorum post suam infirmitatem, vel de solacio vel ab itinere sit reversus, debet illo die in refectorio reficere, et toto servicio illius diei sine intermissione interesse.

Hospites autem ad skillam prandentes semper ex parte prioris sedere debent, nisi forte tot fuerint inibi prandentes quod in illa parte omnes sedere nequeant; tunc venerabiliores ex parte abbatis recumbent, aut si aliquis episcopus ibidem prandeat, qui medio loco rite est sessurus,[1] ut premissum est. Prior vero, quociens ad skillam in refectorio hospites secum habet, eos, sicut et abbas, post refeccionem suam in cameram suam ducet, si voluerit. Sed supprior aut tercius aut quartus prior, quando ad skillam sedens sive clericos sive laicos

[1] *cessurus*, MS.

hospites secum habeat, si cum eis post prandium moram fecerit, tunc in refectorio morabitur secum hostilarius/ [fo. 76b. ad eos consolandum. Si prior vel supprior vel alius custos ordinis inferior cum hospitibus noluerit morari, faciet signum hostilario et aliis fratribus quibus voluerit, ut cum ipsis morentur; et ibidem retro hostium in refectorio eos, quantum-cunque possunt, in silencio exhilarabunt, et cum eis bibendo eos consolabuntur. Quocienscumque autem ab illo qui preest in refectorio ad cujuscumque fratris peticionem est concessum, ut aliquis secularis ad skillam reficiat, debet qui prefuerit versus finem prandii eidem specialiter innotescere, ut post refeccionem una cum hostilario cum suo hospite inibi remaneat similiter; proviso quod magister noviciorum ad nutum illius ibidem remaneat, quociens de aliquo hospite ad suos novicios veniente licenciam optinuerit ibidem comedendi. Qui quidem magister, post factam professionem, si ita decreverit, ex ejusdem assensu presidentis, novicium,[1] cui familiaris est hospes ille, ad se poterit accersiri, et loco debito et ordinato simul colloqui. Hospitibus vero de licencia presidentis in refectorio prandentibus in cibo et potu, sicut et conventui, honorifice ministrabitur. Sine presidentis licencia speciali, et hoc ad percussionem cymbali, nullus unquam hospes introducetur; sed quicumque ordinis custos refeccioni conventus pro tempore preest, poterit quos voluerit hospites secum habere, atque aliis fratribus de hospitibus inibi reficiendis annuere facultatem. Cujus proculdubio, dum sic preest, quemadmodum magni prioris si adesset, tam celerarius quam ceteri fratres precepto racionabili obtemperare debent.

Quotquot autem hospites in refectorio prandent, unusquisque panem habebit monachalem, videlicet duo unum gastellum et unum panem fermentatum. Et, si fuerint plures hospites in refectorio reficientes quam duo, a rogante celerarius de numero muniatur, sed nunquam pro duobus. Preterea, licet abbas noster, domi existens, sive in refectorio comedat sive non, et sive conventus cenet sive non, cum ipse nunquam in refectorio cenare consueverit, [sex][2] panes semper, ex antiquitate, de celario conventus ad prandium suum

[1] *noviciorum*, MS.   [2] Blank in MS. Supplied from O.

habeat, juxta quod superius dictum est; alius tamen abbas ordinis sancti Benedicti, si advenerit, sive in refectorio commedat sive in hostilaria, non nisi/ [tres][1] panes tantum [fo. 77. habere solet. Sed, si talis sit dies quod cenare debeat, alios panes ad cenam suam est rite habiturus. De vino et cervisia sufficienter ministretur; et provideri debet a celerariis, thesaurariis, et hostilario, ut ita habundanter in quibuscumque necessariis eidem atque cuilibet priori conventuali, cum advenerit, ministretur, ut nec ipsi nec sui, quod absit, aliquos defectus unquam pacia[n]tur. Prior vero conventualis, sive in refectorio commedat sive extra, [duos][1] panes ad suum prandium est habiturus, et tantundem proculdubio habebit ad cenam, si cenare debeat; atque de coquina ministrandum est ei tanquam priori nostro. Si vero in refectorio commedat talis prior conventualis, sive aliquis monachus extraneus, panis coram eo remanens, pariter cum suis reliquiis, ad elemosinam portari debet, et tam de pane, si cenare debeat, quam de servisia, sive cenet sive non, eidem per celerarium pro recta et antiqua consuetudine honorifice ministrabitur; quoniam quicquid panis coram eo post prandium remanet elemosinarius habere solet, quia omnis humanitas honoris ac largitatis exhibicio extraneis maxime ab omnibus semper impendi debet.

Quociens autem dompnus abbas ad skillam est sessurus, sive hospites secum habeat sive non, prior vel qui loco prioris extiterit aquam manibus suis, tam ante prandium quam post, reverenter ministrabit, duobus juvenibus ad skillam servituris de manutergio ante prandium eidem obsequentibus, et post prandium duobus de coquinæ ebdomedariis.

Sicut autem vita religiosorum multum discrepat a vita secularium juxta illud apostoli: "Nolite conformari huic "seculo," ita profecto modus serviendi ad refeccionem eorundem distat in aliquibus. Nam qui prior in ordine est omnium servitorum cibum presidentis ad skillam portabit, atque idem ipse, eorum videlicet in ordine prior, parapsidem semper cum allece seu alio pisce pro more portabit, et qui eo inferior est in ordine ex dextra parte illius incedens, non

[1] Supplied from O.

habita consideracione ex qua parte serviat iste aut ille, sinapium aut aliud salsamentum rite portare debet. De ista materia satis sufficienter dictum est in rubricis de ordine: vide ibi. Pitancia portanda est ab uno servitorum ad presidentem, et ipse presidens/ pro voluntate sua ipsam distribuet, [fo. 77b. vel dicat alicui servitorum quod ipsam fratribus ministret, ex parte abbatis semper inchoando; et, cum ab aliquo obedienciario aut seculari persona aliquid per hostium refectorii ad presidentem destinatur, quia tunc proculdubio portitor illius exennii per medium transire solet. Caseus a celerario cotidie in refectorio vel ab aliquo fratre de ipsius rogatu cindi debet, inchoando semper ad discum, primo a presidente, postea hospitibus, si sint, et sic ex parte abbatis procedendo.

Servitores vero mansuete et honeste, pro possibilitate sua, singulis fratribus servire debent, proviso quod post presidentem et hospites, si affuerint, frater qui magnam missam celebrat, et novicii, si fuerint, minime professi, primo serviantur, et quod nullus tria fercula vel quatuor simul inter manus suas ferre presumat. Nulli enim licet plura simul et semel quam duo portare fercula et non plura, quod absit.

Nulla quidem in refectorio in cibis aut potibus est habenda singularitas, nisi fuerit pro alicujus fratris debilitate notoria. Sed si alicubi claustrali vel obedienciario incolumi aliquid fuerit undecunque appositum, preter ea quæ conventui communiter apponuntur, illud pro consuetudine mittetur presidenti, ab eodem pro sua voluntate parciendum; quod si aliter fiat, singularitatis nota atque proprietatis in crastino capitulo corrigi debet agens in contrarium.

Ceterum pro recta consuetudine habetur quod, si quis aliquem sonum fecerit, lectore legente, quousque videlicet tabula ad colligendum fragmenta a presidente tangatur, quo sonitu inpediente minus clare discerni possit quicquid a lectore profertur, ad gradum continuo procedens, prostratus ibidem jacebit, sicut quando fit super mappam liquoris infusio, donec presidens tabulam uno ictu percusserit; qui tunc surgens, inclinacionem humiliter faciens, ordinate recedet. Eadem causa, si qui nuces habuerint, non eas sonoriter dentibus frangent, sed cum suis cultellis privatim aperient, ne

vox leccionis ob talem sonitum minus clare ab aliquo perpendatur. Sed quando toti conventui nuces apponuntur, possunt eas enucleare pro sua voluntate. Quando vero hospites seculares vel alii re/ligiosi preterquam nostri ordinis in [fo. 78. refectorio reficiunt, fieri non solet ad gradum prostracio prelibata ; sed in crastino capitulo, secundum quod aliquis in hac parte deliquerit, culpam suam cum prostracione in propria persona cognoscet. Nullus autem inter prandendum aut cenandum vel bibendum signum aliquod extransversum refectorii de mensa ad mensam faciet ; neque, si consuetudo servetur antiqua, extransversum respiciet, sicut nec extransversum chori, sine justa causa. Nec debet qui sedet ad unam tabulam visum palam prebere, aut signum facere, vel aliquid a latere manu tradere aut jacere, quod absit, alicui sedenti ad alteram tabulam ; sed per servitores prandii aut cenæ vel eciam skillæ mitti debent ordinate, si qua sunt mittenda. Sed neque inibi, sicut nec alibi, sedebit unquam aliquis palmam inordinate sub mento et super faciem suam seorsum tenens extensam, eo quod sic sedere mesticiæ et doloris aut studii inmoderati seu agoniæ indicium est. Preterea, nullus extransversum de mensa una ad mensam ex opposito directe incedet, sed inferius aliquantulum subtus capud mensæ illius descendens pertransibit, vel eciam super infimum gradum ante skillam, si de prima tabula ad aliam ex opposito incedere debet ; hoc observato semper, quod quilibet ita transiens medio loco reverenter majestati inclinet. Ad mensas fratrum edencium rigor disciplinæ est semper necessarius, ita unusquisque faciem suam extransversum humiliter tenens, ac decenter erectus et non curvatus aliquo modo inter prandendum aut potandum cubitis suis aut brachiis mensæ indecenter innisus residens. Linguam suam a loquacitate restringat, et oculos a circumspeccione cohibeat, atque cetera omnia membra sua cum modestia et tranquillitate contineat, ne unquam in suo gestu aut in habitu indecens aliquid aut inhonestum agatur. Visus ibidem precipue cum omni cautela et diligencia observetur, ne vagus sit et curiose aut impudenter ea quæ apud alios aguntur aut apponuntur circumlustrando prospiciat, neque aliquo modo in picturis sive hominibus,

si forte superveniant, seu aliis rebus illicitis aut inordinatis reflectatur; sed pocius unusquisque pudice, dimissis luminibus/, ad ea tantum quæ sibi anteposita sive apposita [fo. 78b. sunt humiliter attendat. Auditus uniuscujusque sit jugiter ad lectorem, et cor superius ad celestem patriam. Quod si ab aliquibus aliter fieri compertum sit, per legem monasticam et capituli censuram ita castigentur, quod castigacio illa in causa consimili timorem prebeat aliis delinquendi.

Juvenes qui ad skillam serviunt, tam ad refeccionem et cenam potumque conventus quam eciam post, ante suas sessiones inferius, ubi est eorum ordo, inclinacionem ex consuetudine facient; quorum eciam incumbit officio, quando fiet mandatum, priori tabulam portare sonatilem, et botas domini abbatis, si mandato affuerit, reverenter cum genuflexione discalciare, et post locionem recalciare, atque coram eo de refectorio usque ad suam cameram cereos, ut moris est, portare accensos. Qui quidem juvenis, quando prior vel alius custos ordinis ad skillam sedens, vel juvenes, quando dompnus abbas in refectorio prandet, ad skillam servientes—quia semper in presencia dompni abbatis duo ad skillam stabunt—ambo cotidie una cum conventu reficere debent, nisi pro aliquo obsequio ibidem faciendo, ut quando multi fuerint hospites ibidem reficientes, eisdem signum specialiter abbas faciat, vel presidens, ut ex toto ministrent et cum servitoribus postea prandeant. Nam cum conventu sive commedunt sive non, proculdubio usque in chorum processive incedent, atque, egresso inde lectore ad servitores, ipsi, facta prius inclinacione, eum subsequentur. Et quia presidens aliqua de causa, nisi infirmitatis, inter prandendum atque potandum a loco se movere non potest, hanc consideracionem habere debet dictus servitor, ut jugiter presto sit ad mensam, nisi forte pro aliqua necessitate, quæ vitari non possit, brevi tempore inde recedat. Qui eciam, quandocumque a mensa quaquaversum a presidente mittitur, directe procedet, nullam coram aliquo faciendo moram donec sit reversus. Qui quidem, dum commedit aut bibit, suum dorsum indecenter ad conventum nullatenus vertet, sed suum latus semper honeste. Et debet inter potandum presidenti semper assistere, et manum vel

cooperculum cuppæ sub cuppa apponere. Ex recta autem consuetudine hidem juvenis, salvo quod qui prefuerit nullum de aliqua re habeat obsequii defectum, seniori qui prior est in ordine/ ex una parte, et alteri similiter priori seniori [fo. 79. ex altera, quando in refectorio commedunt, cenant, aut bibunt, pro possibilitate sua ministrare solet, necnon et suo magistro, ubicumque sederit, obsequium reverenter impendet. Qui insuper juvenes, aut eciam servitores prandii si juvenes fuerint, pro eisdem senioribus qui hinc inde videlicet primi sunt in ordine, et pro suo magistro in tantum humiliare se debent, ut si fiat ab eisdem super mappas liquoris infusio, vel aliquis inter prandendum sonitus inordinatus, quod pro illis continuo veniam ad gradum sumant. Novicii vero minime professi ad potum caritatis nullo tempore surgere debent. Nec debent ad skillam stare sive servire pro aliqua necessitate, dummodo fuerint aliqui de junioribus sacerdotibus in refectorio sedentes, maxime infra primum dimidium annum suæ conversionis; sed nec post dimidium, nec eciam in sua novitate, postquam fuerint professi, stabunt ad skillam, donec cursus ad eos venerit et sufficienter de illo ministerio fuerint instructi. Nec eciam debent novicii nondum professi ad fragmenta colligenda surgere, nisi pro defectu juniorum, et maxime in sua novitate; sed proculdubio juniores sacerdotes, si quando opus fuerit, pocius quam ipsi, surgere debent. Sed provideri debet a refectorario, cum non fuerint novicii minime professi, qui ad ipsas duas mensas inferiores sedere possint, quod alii semper extremi juvenes, quatuor videlicet, aut duo saltem hinc et inde, sedeant ad easdem, et, insuper, quod illæ duæ mensæ inferiores, sicuti et aliæ superiores mensæ, mappis honeste tegantur. Novicii quidem nondum professi, diebus in quibus conventus non cenat, cenare possunt et debent pro disposicione sui magistri, cum minutis, si fuerint, aliter non, tamen licencia prius petita a presidente; atque alii hinc inde de junioribus de licencia presidentis. Et sciendum quod primo sedeant minuti versus hostium refectorii, post alii juniores professi, ultimo novicii. Et similiter mane mixtum sumere, ad nutum ejusdem magistri, cum minutis; et aliis diebus, si indigeant, de licencia petita a priore possunt mixtum sumere. Sed

proculdubio novicii a refectorio, ad cenandum vel mixtum sumere alibi, egredi non debent. Nec debent unquam aliqui professi in refectorio cenare diebus in quibus conventus non cenat, nisi fuerint sanguinati, aut aliqui sint novicii sanguinati, cum quibus cenare queant.

Fratres/ vero in refectorio prandentes, ad omne [fo. 79b. speciale mandatum a presidente eisdem factum, eidem humiliter inclinando assurgent; necnon et ad omnia quæ de gracia sive alicujus munere caritativo presidenti mittuntur atque ab eo fratribus destinantur, id idem sunt facturi. Et si duobus aut tribus vel eciam pluribus simul residentibus aliquid ab eodem fuerit transmissum, omnes simul et semel, quasi eidem regraciando, obnixe assurgent; hoc observato, si eorum aliquis tunc bibat aut commedat, quod ad inclinandum eidem ab aliis expectetur, donec ipse pariter cum eisdem surgere et inclinare valeat ordinate. Qui licet pro more ad omnia quæ eis ab eodem fuerint destinata humiliare se debeant, et eciam si ab abbate in sua camera reficiente aliquid specialitatis in refectorium fuerit transmissum, cuicumque mittatur cum graciarum accione nuncio assurgere debeat, et versus abbatem seu locum ubi tunc fuerit suppliciter inclinare, eciam si presidens sit cui sic aliquid mittitur; atque eodem modo ex recta et antiqua consuetudine assurgere debeant et inclinare tam prior quam alius inferior ordinis custos qui presidens est, quociens eidem aut conventui ab aliquo episcopo, aut rege, vel regina, aliquid in refectorium destinatur. Et quando caseus portatur per conventum, sua capita tantummodo, ut erunt sedentes, singuli detegant, dummodo quantum voluerint comedere de caseo sibi scindunt; quod quidem ideo facere tenentur, quia ille semper qui conventui per circuitum caseum cindit, suum capud ex recta consuetudine detegere debet.

Qui autem pro quacumque necessitate de prandio aut de cena surgentes ante conventum de refectorio exeunt, sub mensis exire debent et insinuare presidenti causam quare exeunt. Qui autem inter potandum necesse habet de refectorio egredi, surgens usque ante cessionem suam incedet in quo videlicet potando sederat, atque ibidem, petita manu

exeundi licencia, inclinacionem faciat ac ordinatim exibit. Qui vero ad satisfaccionem veniunt, dum reficiunt servitores, vel pro qualicumque necessitate a refeccione surgentes exeunt, adeo revera se gerent ordinate, sicut et ipsi qui ad satisfaccionem veniunt aut exeunt ad refeccionem conventus, necnon et sanguinati, atque alii, si qui per licenciam potandi/ gracia refectorium intrant, dum reficiunt [fo. 80. servitores, ad gradum ibunt et potandi licenciam per signum petent, ac super scannum ante mensas bibendo residebunt, et postea in eodem loco inclinacionem facient priusquam egrediantur.

Nullus autem ex fratribus, in die qua extra refectorium commedit, absque reprehensione inter prandium aut cenam conventus in refectorio aliqua vice debet videri, sicut nec aliquis frater, inter matutinas vel aliam horam regularem, in chorum, post tempus veniendi ad satisfaccionem, absque reprehensione ingredi, donec hora compleatur, nisi ipsi horæ prius ordinate interfuerit et pro aliqua necessitate egressus redierit.

Nec pretereundum quod in civitate aut suburbio nulli unquam licitum est bibere vel commedere, nisi in domibus religiosorum. Sed neque intra abbaciam poterit aliquis reficere, nisi in refectorio, aut in misericordiæ domo, vel in mensa abbatis aut prioris, vel cum hospitibus in hostilaria interiore de licencia prioris, vel in infirmitorio cum infirmis fratribus in cameris, vel in mensa infirmorum. Cum episcopo tamen et abbate nostri ordinis edere et bibere licitum est fratribus, ipso presente atque jubente; tamen intra abbaciam, de licencia superioris; et cum rege similiter atque regina aliisque magnatibus, licencia prius optenta.

Nullus autem fratrum in refectorio commedet unquam aut bibet nisi frocco sit indutus; sed nec alicubi in monasterio, nisi dompnus abbas tantum, et nisi solummodo fratres in infirmaria jacentes, et fratres qui in die cenæ ad mandatum induuntur. Fratres ad sartarium nec alibi quaquaversum absque licencia speciali extra claustrum incedere debent, quoniam proculdubio qui in refectorio commederit no[n] debet in misericordia [bibere], nec eciam alibi extra illud, nisi sit forte in dompni abbatis presencia, ipso jubente, vel eciam prioris;

quia nec infirmarius nec hostilarius absque reprehensione bibere poterit. Sed infirmarius, die qua in infirmaria alicubi commederit, potest ex moderno usu in sua camera et in aliis cameris per infirmariam bibere, si voluerit; sed ipse, aut alius, die qua in infirmitorio commedit, potest licite in refectorio, si indiguerit, bibere. Similiter et post completorium in prima suæ minucionis die, vel alio die, pro necessitate manifesta. Nec debet unquam aliquis officiariorum, quod absit, ad obedienci/am suam bibere aut [fo. 80b. commedere, sicut nec dormire. Sed nec extra monasterium commedere potest aut debet aliquis, vel bibere, vel pernoctare, nisi de licencia speciali. Nec debent fratres, qui omittunt completorium, alibi quaquaversum (id est, aliquo modo)[1] spaciandi causa incedere, nisi solummodo in gardinum infirmariæ; hoc observato, quod ad sonitum ignitegii omnes et singuli ordinate usque in claustrum sint reversi.

Quando vero conventus poma aut pira, pruna, ceresa, vel nuces, aut eciam herbas, ut in quartis et sextis feriis Quadragesimæ, seu alia quæque hujuscemodi habent, eorum fragmenta sive reliquiæ ab elemosinario colligi debent, priusquam a refectorario coclearia colligentur. Fratres vero in refectorio prandentes panes suos ad finem prandii tegere non debent, donec, finita leccione, incipiat lector dicere "Tu autem, Domine." Tunc, si sint cenaturi, unusquisque panem suum teget honeste; necnon et salina similiter tunc suis operculis tegere debent, nisi prius sint tecta. Et, si non sint cenaturi, totum cedat elemosinæ.

Celerarius aut custos ecclesiæ, vel qui vice illorum refeccioni servitorum preest, proviso ab eisdem quod sacerdos sit semper aut levita et non inferioris ordinis, curam habere debet ut a reficientibus ordo servetur, atque de hiis qui inordinate se habent priori claustri ante crastinum capitulum faciet mencionem. Nam supprior, si tali hora refecerit, inferius in suo ordine proculdubio residebit, et refectorarius ipsis servitoribus cum omni diligencia ministrabit. Veniens autem qui ad skillam servitorum presidebit, inferius in ordine suo ordinate se inclinabit, et postea ad skillam vadat et sonare

[1] A gloss.

incipiat, et, dictis graciis, mensam ascendat. Cum prandium terminare voluerit, omnia eodem modo faciet sicut presidens in primo prandio; et in suo recessu versus majestatem suppliciter inclinabit in incepcione psalmi "Miserere mei, Deus." Qui proculdubio ante prandium ipsorum servitorum skillam sonare non debet, donec signum post gracias in ecclesia terminetur.

Refectorarius vero cum omni diligencia ad prandium servitorum, atque elemosinarius, dum cenant, servitores pro recta consuetudine servire tenetur. Et debet elemosinarius cotidie ad prandium servitorum in refectorio morari/ et [fo. 81. elemosinam colligere, sicuti et ad cenam tantum servire tenetur et non ad prandium, nisi sponte velit aut a refectorario fuerit rogatus. Caveant omnino refectorarius et elemosinarius, dum servitores prandeant vel cenant, ne aliqui seculares ad eos accedant vel eis in aliquo ministrent. Et, quando elemosinarius ad cenam conventus pro refectorario servit, debet ipse vel refectorarius aliquem fratrem rogare, qui servitoribus dum cenant ministret. Postquam commederint aut cenaverint servitores, ibunt processionaliter ordinate usque in ecclesiam vel in capitulum, si sit meridiana, tractatim ac morose, dicentes psalmum "Miserere mei, Deus"; qui si non sufficiat, quousque in ecclesiam veniant, subjungent psalmum "Deus misereatur," cum "Laudate Dominum, omnes gentes," si forte sit necesse; proviso semper quod tres fratres ad minus ad processionem incedant, quia proculdubio nunquam ad aliquam processionem, sicut nec ad mandatum faciendum, pauciores quam tres incedere debent. Lector vero mensæ atque servitores ex merito sui laboris, tam de legumine et pitanciis quam de ferculis, meliori modo quo possunt, plene ac honorifice serviri debent. Quicumque presidet in prandio servitorum, in omnibus debet serviri, sicut presidens in primo prandio.

Nullus autem absque racionabili causa refectorium illicenciatus ingredi debet, nisi certis horis et assignatis. Illi vero qui ibidem quacumque hora licenciati bibunt, ante mensas sedebunt, atque unusquisque ante sessionem[1] suam inclinacionem faciet, priusquam bibat et post, nisi illi qui retro

[1] *cessionem*, MS.

hostium cum hospitibus de licencia bibunt; quia tunc inclinacionem facere non solent. Nullus vero in refectorio aut extra bibere debet, quin utramque manum honeste, dum bibit, cipho apponat, nisi aliquam forte imbecillitatem in brachio aut in altera manu paciatur. Nam, cum fuerit aliquis sanguinatus, debet saltem duos aut unum digitum illius partis de qua minuerit, pro recta et antiqua consuetudine, si absque gravamine possit, cypho apponere; et hoc proculdubio erat tocius Angliæ gentis generalis bibendi consuetudo, usque ad adventum Normannorum in Angliam.

Dompnus autem abbas, cum domi fuerit, sive in camera sua sive in refectorio aut quovis alio loco in monasterio [sex][1] panes de celario conventus est rite habiturus. De [fo. 81b. coquina vero tantum cotidie habebit quantum [tres][1] monachi percipere solent. Qui quociens ad skillam est pransurus, hæc ei debetur honestas, quod dicti panes per refectorarium super mensam ponentur et cum mappa honeste tegentur, quorum unus panis, ut moris est, ab altero [ex famulis refectorii][1] circumquaque parari debet; et apponetur ei salinum argenteum sale refertum, de camera sua, cum duabus cuppis, una murrea et alia argentea deaurata. Panes vero integri atque cantelli coram hospitibus, tam secularibus quam viris religiosis et eciam monachis extraneis, si affuerint, cum fragmentis simul et semel colligi solent. Sed panes aut cantellos coram aliis fratribus remanentes fragmentorum collectores ammovere non debent, si conventus cenare debet.

Prior autem, vel qui vice illius ad mensam [sedet],[1] cum fit conventui de vino ministerium, sive de pitancia, sive de dono sit alicujus, aut de empcione, dupplicatam inde semper habebit porcionem. Prior siquidem, diebus in quibus magnam missam celebrat, si consuetudo servetur antiqua, extra refectorium cenare non debet; sicut nec aliquis sacerdos die quo in refectorio prandet, nisi sit forte ex jussione dompni abbatis, vel pro egritudine aut debilitate manifesta. Sed neque frater qui ad prandium legit, quamvis juvenis sit et non presbiter, extra refectorium ipsa die aliquo modo cenabit, sive conventus cenet sive non. Juvenes vero extra refectorium cenare non

[1] Supplied from O.

debent ipso die quo in refectorio commedunt, nisi in abbatis fuerit camera aut prioris, et hoc pro magna causa, quando cenam conventus dimittunt. Priore autem in misericordia reficiente, non licitum est subpriori, si conventui prefuerit, aliquem juvenem, ut ibidem cenet, destinare, nisi fuerit de voluntate prioris. Nec debet tunc aliquis qui in refectorio comederit ibidem cenare, licet prior jubeat, nisi a fratre cenaturo vel ab alio per eundem prius, ut moris est, ob ordinis reverenciam, subpriori intimetur. Nec debet tercius prior conventui presidens aliquem illuc destinare, suppriore ibidem reficiente. Prior autem, quando ibidem presidet, si completorium voluerit omittere, fratres quos voluerit de fratribus ibidem et in refectorio refici/entibus poterit accercire, [fo. 82. licet capitulum non tenuerit, et secum retinere. Sed hoc intimabit per socium suum illi qui illo die in refectorio presidens fuerit. Cum autem prior in sua camera vel alibi extra refectorium voluerit reficere, poterit de conventu ad eum vocare quos voluerit, si autem non[1] inceperint commedere, ut supra dictum est. Sed de tribus servitoribus, ab hora qua servire inceperint, nullum vocare debet, nec eciam dompnus abbas, nisi illi qui vocati sunt presidenti in refectorio illud ordinate ostendant, priusquam egrediantur; quia ad presidentem pertinet videre ne defectus conventui de ministracione fiat. Sed nullus alius inferior[2] custos aliquem ad se vocare poterit, nisi in refectorio presidenti prius ostendatur. Verumptamen, priore egrotante vel domi non existente, poterit supprior socios ad se vocare quos voluerit, sicuti prior solet. Nec pretermittendum quod, tempore misericordiæ et quociens in misericordiæ domo fit prandii recreacio, custos qui in refectorio presidet statum eorum qui in misericordia cenant per se vel per alium inquirere debet, priusquam ad collacionem pulsare faciat, hoc est dicere, de prandio de gracia sibi facto.

Fratres vero sanguinati primo suæ minucionis die, tempore quo conventus non cenat, nisi in solempni fuerit jejunio, rite solent cenare. Qui eciam pro consuetudine cenare incipient, priusquam conventus ad potandum refectorium intret, hoc est, dum percutitur cymba ad potum. Qui quidem, cum ante

[1] *inceperint non*, MS. [2] *inferius*, MS.

mensam convenerint et, expletis graciis, mensam ingrediantur, et prout exigit eorum conversionis ordo, in ea residebunt, et cum silencio ordinate intrabunt, atque ita mature se gerent ac si superius in conventu cenarent. Quibus mansuete cum omni diligencia, sicuti et noviciis minime professis, refectorarius ministrare tenetur; ita tamen quod cum ceteris fratribus, per quantum poterit tempus inter potandum, in suo ordine sedeat et bibat quantum ei fuerit necesse. Elemosinarius siquidem, ad elemosinam coram cenantibus rite colligendam, a potu ordinate surgere debet, priusquam alii surgant. Qui eciam sanguinati, postquam in cilencio ordinate cenaverint, surgentes continuo gracias persolvent, [et] in ipso eodem loco facta ibidem inclinacione, ordinate recedent, manus si vo/luerint lavaturi. [fo. 82b.

Refectorarius in vigilia Sancti Michaelis recipiet a secretario decem cereos, quilibet cereus de dimidia libra, ex recta et antiqua consuetudine. Et isti cerei quolibet die ardebunt, si necesse fuerit, ad potum conventus et ad collacionem usque ad vigiliam Omnium Sanctorum. Et ipse refectorarius ponet super mensam capitalem duos coram presidente, et super quatuor mensas hinc inde inferius duos et duos; quoniam proculdubio cerei super mensas in refectorio, ad domum clare illustrandum, dum conventus in eo bibunt, omnes et singuli plenarie pro recta consuetudine accendi debent et jugiter ardere, licet pauci in ea fratres pro aliqua causa quandoque existant. Refectorarius eodem modo in vigilia Omnium Sanctorum quatuordecim cereos recipiet a secretario, et quilibet cereus de dimidia libra et uno quarterio. Inde refectorarius ponet super mensam capitalem, ut prius, coram presidente duos cereos, et super quatuor mensas inferius hinc inde tres et tres. Isti cerei renovari debent per secretarium in vigilia Natalis Domini, et ardebunt ad cenam, si necesse fuerit, quando conventus cenat, et ad potum et collacionem usque ad beatæ Virginis Mariæ Purificacionem. Similiter refectorarius, qualibet septimana a festo sancti Michaelis usque ad festum Purificacionis beatæ Virginis Mariæ, unum ruellum, ad illuminandum predictos cereos et leccionem inter potum caritatis in refectorio legendum,

recipiet. Refectorarius omnes cereos illuminet, ita videlicet ut nullus unquam inter cenandum aut potandum refectorium ingredi aut ab eo exire queat, quin a priore seu alio custode presidente perpendi posset et clara luce intueri; nimirum, cum abbas, aut quicumque in capitulo aut refectorio conventui preest, omnium in eo residencium et in illud intrancium aut ab illo egrediencium plenariam debet habere noticiam, atque facies et gestus in eo residencium sagaciter intueri, ut manifeste percipiat utrum aliquid inordinate se gerant sive loquantur. Et, quia de misericordiæ domo superius fit mencio, sciendum quod inter cenandum tempore misericordiæ duo cerei super mensam accendentur, et super quemlibet cereum duæ candelæ, quæ dicuntur barbeaus, ponen/tur [fo. 83. accensæ; quas quidem candelas singulis noctibus sacrista inveniet ibidem; et residuum candelarum qualibet nocte penes custodem domus illius remanebit. Refectorarius quidem sollicite debet providere, ne unquam conventus, vel fratres qui res procurant exteriores, aut minuti sanguine, seu eciam ali fratres, in obscuro bibant; et ideo post Purificacionem de quatuordecim cereis, a secretario pro conventu in refectorio inventis, penes refectorarium quatuor trunsonos remanebunt; et omni tempore, quandocumque opus fuerit, cum fratres in refectorio hora statuta ordinate bibunt, lucernam ex liberacione sacristæ per refectorarium sunt habituri; et proculdubio debet conventus, inter festum sancti Michaelis et Omnium Sanctorum, et festum Epiphaniæ et Purificacionem, ex recta consuetudine, partim cum luce diei et partim per lucernam potare. Et quia, dummodo durante lu[ce] diei ad libros intuendum in claustro, post dictam solempnitatem Omnium Sanctorum, cymbalum ad potum conventus sonari non debet; et ideo, ut prefertur, temperanda est paulatim et successive hora potandi, ante prelibatam solempnitatem atque post Purificacionem, ut nichil unquam in conventu abrupte aut inportune fiat; preterea sciendum quod quocienscumque conventus per annum tarde cenaverit aut potaverit, ita videlicet quod post cenam aut potum libros in claustro de luce diei respicere nequeant, in capitulo, ut nulli dubium est, meditacionibus et oracionibus intenti ordinate residebunt,

tempus collacionis ibidem expectantes. Quod quidem capitulum, ut cunctis liquido constat, absque lucerna tunc esse non debet; sed debet cereus ibidem per secretarium tempestive accendi.

Refectorarius skillam suam ad potum caritatis hoc ordine sonabit. Conventu refectorium ingresso, cum sederint omnes et finita sit prima clausula leccionis in refectorio, uno ictu skillam suam tanget; atque tunc continuo surgent levita et alii duo fratres, coram quibus refectorarius ciphos servisiæ impletos prius posuerit, et accipiet levita ciphum presidentis, et alii duo fratres alios cyphos, et versus gradum lento gressu incedent, levita scilicet in medio, vel sacerdos, si ab/bas [fo. 83b. fuerit presens. Qui cum fere usque ad gradum pervenerint, finita clausula quam tunc legit lector, refectorarius protinus skillam sonabit; atque tunc confestim, et non ante, incipiet levita vel sacerdos cum sociis suis et toto conventu simul alta voce dicere "Benedicite"; et, prolata ab ebdomedario magnæ missæ benediccione, offeret levita presidenti cyphum, vel sacerdos abbati, si presens fuerit, aliique fratres senioribus ex utraque parte cyphos suos. Deinde recedent ad sessiones suas, nichil ulterius ministrando, nisi voluerint de beneplacito, quia refectorarii conventui de cyphis inplendis ministrabunt.[1] Et, terminata leccione, tanget presidens scillam suam; et ulterius non intrabit aliquis frater ad satisfaccionem. Cum autem presidens viderit quod conventus satis potaverit, surget, et, ad skillam sedendo, eam tanget, submisso sonitu faciendo, donec fratres evacuent cyphos suos. Tunc presidens ter percuciet skillam; et surgent omnes et stabunt ante ordines suos, et, stante presidente ante skillam, dicet alta voce, "Adjutorium nostrum in nomine Domini"; conventus respondet, "Qui fecit celum et terram." Faciet unusquisque ordinate inclinacionem in loco quo stat; et sic recedent ad ecclesiam, pro completorio reddendo. Nullus enim inter prandium, cenam, aut potum aliquid de cibo aut potu extra refectorum mittere debet, nisi prius ordinate signum faciet presidenti, quasi de licencia petendo; et ille frater, qui portat, tenetur illius signum facere, a quo missus est. Quando

[1] This sentence has been struck out by a second hand.

autem fiunt tres signi ictus, quos prior manu propria post completorium facere tenetur, omnes personæ seculares a locis, per quæ prior explorandi gracia post completorium est iturus, preter famulos qui eisdem custodire vel pernoctare debent, illico[1] egredientur, et maxime in refectorio nullus ex tunc videri debet persona secularis, nec debent unquam obedienciarii aut aliqui fratres, nisi pro necessitate fuerit manifesta, extra claustrum absque reprehensione morari, ultra illam horam qua inchoatur sonitus, qui fit post completorium et[2] vulgo dicitur ignitegium, quoniam proculdubio, finito sonitu, tam sanguinati, si fuerint, quam obedienciarii, et ceteri fratres qui omittunt completorium, qui tali hora bibere in/di- [fo. 84. gent, continuo potandi gracia refectorium ordinate ingredi debent; nec tenetur refectorarius pro more antiquo ultra illud tempus inibi diucius expectare.

De ordinato fratrum gestu in dormitorio quibuslibet horis et temporibus. Atque de camera fratrum, et de hiis quæ specialiter ad camerarii et socii sui spectant officium. Necnon et de more fratrum antiquo balneandi et sanguinem sibi minuendi.

Cum cultus religionis ab universis divino famulatui per votum astrictis vigilanti animo sit utrobique observandus, in dormitorio precipue a singulis omni tempore debet cinceriter cum diligencia observari. In quo quidem, semper tecta facie usque ad conum nasi, a quolibet fratre, gravi et lento gressu, pro consuetudine, est humiliter incedendum. Nam ad introitum dormitorii debent singuli facies continuo tegere, atque ad suum exitum detegere debent. In dormitorio siquidem die noctuque summum silencium jugiter esse debet; nec sono nec murmuracioni aut vocatui[3] alicujus, si forte, quod absit, indiscrete agitur, nullo modo est intendendum. Sed jugiter inibi debent oculi uniuscujusque fixi esse in terram, nisi quisquam, intuitu caritatis, juxta tenorem regulæ, capitulo 22°, aliquem fratrem sompnolentum leniter ac

[1] *illud*, MS. [2] *quoa*, MS. [3] *inani*, MS.

modeste exitare voluerit. Verumptamen, audito tabulæ sonitu repentino ac inpetuoso, in alicujus fratris discessu, debent fratres celeriter excitari, si qui tunc fuerint in dormitorio sompnolenti, ut, una cum aliis, ad defuncti exequias festinanter accurrant. Atque eodem modo fratres festinanter exitari et exire solent, audito per cornu aut per sonitum campanarum ecclesiæ indicio aut rumore per aliquem de ignis ruina, aut torrentis vel pluviæ inundacione.

Quandocumque autem conventus ab ecclesia usque in dormitorium processionaliter incedit, omnes proculdubio, juxta quod a prima nostri ordinis institucione pro fratrum unitate ac corporum sanitate servanda salubriter est provisum, usque in latrinam suo ordine progredi debent; et, si qui eorum inibi fortasse morari indigent, non debent, cum exierint, a dextris versus aliam partem extransversum incedere, donec ad ingrediendum omnes pertransierint. Nec debent fratres intrantes aut egredientes aliquo modo fratres in sedilibus sedentes respicere; et ipsi, qui ibi/ morantur, habeant totaliter [fo. 84b. faciem capucio coopertam; nec ibi pronunciant aliquas oraciones vocales, dummodo secreta naturæ faciant, ne verba Dei sancta vilescantur. Nullus vero alii, ex consuetudine, facere alicubi signum debet, nec morari in claustro eciam pro alicujus utilitate operis, nec alius alium in aliqua sui parte studiose aspicere. Sed omnes simul in ordine suo, dicto completorio, sive in choro sive extra, dormitorium continuo ingredi debent.

Post completorium, fratres mox ut a domo necessaria egressi fuerint, unusquisque ad lectum suum, froccos suos exuent, quos iterato induere non debent, quousque fiat sonitus ad matutinas, nisi, priusquam agatur idem sonitus, pro fratris obitu, aut alio casu ingruente, totus a dormitorio exeat conventus. Sed, si quis ex tunc egredi opus habet, ut si quis sanguinolentus fuerit, absque frocco exiet in cuculla. Sed nulli unquam ex hiis, qui ad completorium in choro extiterint, licebit a dormitorio absque necessitate manifesta tali hora egredi; a quo quamvis aliqui necessitate ducti exeant, nullus tamen a claustro absque reprehensione egredi poterit tali hora. Sed debent omnes ad cicius quam possunt ordinate

cubare; hoc observato quod omnes de Dei genitrice prius dixerint completorium. Quod quidem completorium, et si quid tunc aliud orando dicere voluerint, stantes humiliter coram lectis suis, et versas facies ad illos habentes, dicere debent, et non supra formas ante illos, aut eciam ex transverso super illos sedendo, aut super eos extransverso in circuitu jacendo. Sed, in lectis suis sedendo et ordinate jacendo, orare, cum voluerint, licite possunt et debent. Nullus enim, postquam simpliciori et secreciori modo quo possit paraverit suum lectum, coopertorium aut alios pannos cum stragula superiore versus partem lecti inferiorem indecenter revolvere debet, et a lecto suo postea quaquaversum (id est, aliquo modo)[1] incedere; sed illud absque reprehensione facere potest illo quo cubat instanti, et non prius. Nec debet aliquis, nisi ad minus quam potest, tibias suas detegere, quando se discalciat. Et, quia corpus dormiendo ab humanis sensibus destituitur, debent se cubando divinæ custodiæ, sanctæ crucis caractere, quasi pupillam oculi de/votissime com- [fo. 85. mendare. Atque singuli, prout regula monet, capitulo 22°, per singulos lectos dormient, et nunquam duo fratres alicubi in uno lecto pariter jacebunt, quamvis consanguinitate sint propinqui aut affinitate connexi. Nec accedet junior quilibet ad lectum alterius, ne, dum ad invicem proximant corpora, nutriant libidinis incentiva; et maxime propter secretam oracionem, quæ melius ad Deum nullo teste dirigitur, et ut majorem licenciam orandi credat sibi mens compuncta concessam, dum neminem vigiliæ suæ aut testem pertimescit aut indicem. Nullus unquam, priusquam dormiat, in turpi cogitacione versetur; sed in sola contemplacione Dei cubans, ut[2] requiem corporis et requiem habeat[3] cordis, cogitaciones pravas a se repellat, bonisque objectis turpes a se rejiciat, dicens crebro cum psalmista, "Lavabo per singulas noctes lectum meum," et cetera, quod factis implens, si donaverit Deus, subinferat "Memor fui nocte," et cetera. Vestiti staminis, femoralibus, et caligis, atque cincti cingulis aut restibus vel corrigiis, dormire debent; quia non licet fratri, nisi

[1] A gloss. [2] *et*, MS. [3] *habet*, MS.

necessitatis causa, membra sua nuda contingere, vel ideo ut paraciores, audito signo, ad surgendum existant.

Nullus ibi strepitus aut sonitus signo aut lapide seu aliunde fiat, quo possint dormientes inquietari, proviso quod, si qui dormiendo sonarent aut vociferent, in loco per se jaceant talibus deputata; et quod nullus ausus sit, conventu inibi existente, stramen lecti sui dirigere aut movere; sed neque aliquem pannum in auditu excuttere, sed fieri potest et debet ibidem, aut eciam in latrina, diurnis horis, conventu extra existente, vel hoc a famulis ad balniarium pocius est agendum.

In media nocte pulsandum est ad matutinas, juxta illud psalmigraphi: "Media nocte surgebam," et cetera. Circa mediam noctem, per totum anni circulum, rite fieri solet pulsacio. Nonnulli siquidem fratres, audito sonitu, statuunt in animo suo audire se nuncium Domini dicentem, "Ecce sponsus venit, exite obviam ei," necnon et vocem terribilem quæ fiet in judicio, "Surgite mortui, qui jacetis in sepulcris vestris, et occurrite ad judicium Salvatoris"; atque divinæ misericordiæ regraciantes/ pro quiete eis indulta, [fo. 85b. et pro custodia angelica, ac de proteccione divina, dicunt continuo intra se "Deo gracias." Et, quia Christus tali hora de virgine nasci dignatus est, mos est quorundam istud salubriter subinferre, "Et hora illa sit benedicta in qua Christus natus est de Virgine Maria," atque, signo crucis se signantes, dicere, "In nomine Patris et Filii," et cetera; ac deinde, quasi mentis oculo gloriam beatæ Virginis considerantes, ex intimis cordis medullis adjicere, "Ave Maria," et cetera; ac postea, diligenter et devote cum timore et reverencia matutinas de ipsa Dei genitrice incipientes, et, in Dei presencia omniumque sanctorum eas totaliter prosequentes, sanctorum adjungunt suffragia, eorum se precibus suppliciter commendantes. Matutinæ vero sic inchoari debent: "Domine labia mea," et cetera; "Deus in adjutorium," et cetera; quas suo ordine prosequentes, quousque in chorum veniant, ibidem eas stando devote persolvant, una cum suffragiis sanctorum, ut premissum est, Quæ siquidem matutinæ qualibet nocte, tam in noctibus videlicet quibus in choro fit de ipsa Dei genitrice obsequium,

quam ceteris noctibus tocius anni, a plurimis dici solent hac quidem racione, ut, si eas forte per negligenciam et pigriciem minus plene aut devote quandoque persolverint, condignam inde recompensacionem per illas noctes facere queant.

Mox autem, ut audierint fratres sonitum prelibatum, absque mora ferventer surgentes, festinent invicem prevenire ad opus Dei cum omni gravitate et modestia, juxta tenorem regulæ, lectos suos tectos honeste dimittentes. Si vero contingat quod aliquis pro egritudine aut qualicumque debilitate cum aliis ad matutinas surgere nequeat, circuitori capud erigendo, cum advenerit, de sua invalitudine signum humiliter faciet, morandi et quiescendi licenciam postulando; qui eciam postea, ad cicius quam poterit, ea quæ dicenda sunt plenarie persolvet.

Dum vero canuntur matutinæ, nullus a choro usque in dormitorium, nisi necessitate[1] cogente, incedere debet; hoc tunc observato, quod in psalmis, antiphonis, versiculis, et responsoriis, aliisque divini officii appendiciis, plenarie dicendo persolvent quæ in eorum absencia in choro interim recitantur. Qui vero in xij. leccionum festivitatibus ad evange/lii [fo. 86. exposicionem necessario exeunt, poterit eis sufficere, pro quorundam arbitrio, unam tantum dicere vel audire illius exposicionis leccionem.

Post matutinas vero, dormitorium pariter intrantes, possunt licite, qui voluerint, ad suos lectos confestim suos froccos exuere, et, qui volueri[n]t, usque in latrinam froccis induti incedere; hoc tamen observato, quod, ad minus quam possint, nocturnis horis, conventu quiescente, froccis induti per dormitorium seu ad latrinam pergant, et quod diurnis horis econverso, ad minus quam possint, nisi in estate dum durat meridiana, absque suis froccis per dormitorium incedant aut intrant latrinam.

Hora autem matutinali, statim ut inchoatur sonitus, omnes pariter surgere debent, signantes se in faciem signaculo sanctæ crucis, ac postea inmediate dicet unusquisque symbolum apostolorum intra se, et primam de Dei genitrice consequenter incipiet, quam, ex recta consuetudine, priusquam

[1] *necesse*, MS.

loquantur, singuli fratres cotidie dicere tenentur. Surgere autem debent cum decenti maturitate ita celeriter omnes et singuli, preter sanguinatos, secunda videlicet suæ minucionis die, et preter infirmos, si qui fuerint, extra chorum, et senes ac debiles sudore perfusos, ut pedes suos extra lectos habeant ordinate, priusquam cessat sonitus. Et ideo morose fieri debet sonitus ille, ad minus scilicet per moram illius psalmi, "Miserere mei Deus." Fratres vero, cum calciati fuerint, super suas staminas se cingere debent, pro recta et antiqua consuetudine, sub tunica videlicet et pelicia, tam estivo quam yemali tempore.

Priusquam autem fiat sonitus prelibatus, nulli licitum est a dormitorio exire, nisi officiariis et aliis quibus specialiter est concessum, ad missas suas videlicet mane celebrandas aliaque opera digna adimplenda. Qui quidem froccis induti ante illum sonitum exire aut ingredi nullatenus debent, sicut nec infirmarius aut fratres qui in ecclesia jacent, deinde hoc observato, antequam a lectis suis recedant, quod stragula et coopertorium uniuscujusque, sicuti et ante matutinas, versus superiorem partem honeste revolvant, et, si necesse habeant, fratres ad necessaria naturæ procedant. Deinde descendant de dormitorio ad lavatorium, et, lotis manibus, et ante ordinem prioris juxta ostium locutorii pectinatis capitibus, non ad ordines suos sive ad/ carulas in claustro [fo. 86b. inordinate tunc temporis sedentes, procedant inde ad ecclesiam, aquam benedictam sumentes, dehinc in chorum intrantes, percussiones oracionum ante primam expectantes. Non illa hora alicui huc illuc in claustro vagare licebit, nisi confessoribus et custodibus ordinis. Dicta prima, ibunt sacerdotes ad missas privatas celebrandas, alii inferioris ordinis ad missam pro ecclesia cantanda[m]. Nec licebit alicui extra claustrum ire, donec missam audierit vel celebraverit, nec usque post capitulum in xij. leccionibus, vel post terciam in tribus leccionibus, quia hora incompetens est. Sed sedebunt in claustro omnes ordinate et occupent se in leccionibus de servicio reddendis, vel de divinis scripturis, usque ad pulsacionem capituli vel horæ terciæ, preter illos qui curam habent exteriorem.

Nec est pretermittendum quod pro recta et antiqua consuetudine habetur quod fratres, qui suos pannos mutare indigent, secundum quod docti sunt tempore noviciatus, cum per moram aliquantulam hora matutinali in claustro sederint, illud hoc modo facere debent. Novicii tamen nunquam mutabunt pannos suos, nisi in tribus leccionibus, et hoc non feria sexta nec in vigilia xij. leccionum, nisi fuerit urgens necessitas.

Modus mutandi. Post primam novicii surgent et, precedentibus junioribus, cum venerint ad lectos suos, primo deponent capucium furratum, postea froccum; deinde preparent pannos suos mutandos. Sedebunt namque inferius supra formas ante lectos, et botas suas atque pedules, prout mos est alias, semper manus exterius habendo, discalciant: sed cum calligis et femoralibus mutandis sub habitu suo, secreciori et honestiori modo quo possunt, ita se gerant, ut, si fieri possit, a transeuntibus quid agant minime perpendatur. Et denodato bracili anterius et extracto, inponant novis femoralibus, et, deposito veteri et novo assumpto, reponant caligas, pedules et calciamenta. Postea decingentes se exuant vetus staminum, et novo ordine retrogrado superinducto caute et capite semper cooperto. Quod ut magis occulte fiat, sicuti quando tunicam aut pelliciam mutant, froccis induti hoc faciant, recingant se, et postea pannos/ [fo. 87. veteres plicent, femoralia infra staminum. Cum omnes perfecerunt, simul descendant ad lavatorium manus suas lavaturi, priusquam in claustro sedeant vel quaquaversum incedent. Et sciendum quod novicii, quando balneant, mutare debent. Iste modus mutandi modernis diebus non tenetur, quia omnes, et professi novicii, cum sibi placuerit, in lectis suis de nocte mutant.

Conventu post refeccionem estivo tempore dormitorium ad meridianam processionaliter ingresso, nulli ex tunc licitum est egredi, preter obedienciarios et infirmarium et fratres qui in ecclesia jacent, nisi aliquis forte ex senioribus et maturioribus fratribus exire ad lavatorium, vel alibi in claustrum, aut in ecclesiam, pro necessitate opus habeat; qui tunc proculdubio in cuculla absque frocco rite egreditur. Et quia

nulli umquam licitum est locutorium seu alium locum loquendi causa absque frocco ingredi, si qui loqui tali hora necesse habeant et licencientur, si videlicet exeant priusquam froccos tunc exuerint, froccis induti exibunt. Si vero postea froccos suos usque ad hostium dormitorii secum portabunt, et ante suum exitum eos ibi induent, in[1] suo reditu, sicuti et alii qui dormitorium intrant, priusquam ingrediantur servitores, usque ad lectos suos tantum, et non ulterius, froccis induti, pro consuetudine ingredi possunt. Set, postquam ingressi fuerint servitores, nulli ex tunc licitum est frocco indutus intrare, quousque ad finem meridianæ agatur sonitus. Nam sanguinati, eo quod dormire non solent primo minucionis suæ die, dum ceteri dormiunt in locutorio, ut moris est, sedebunt ordinate; qui, quam cito ad meridianæ finem signum tangitur in ecclesia, froccis exuti, intrabunt dormitorium; quoniam proculdubio hora qua tunc fit sonitus in eodem omnes inibi adesse tenentur. Nec se debet aliquis ex fratribus, qui in dormitorio jacet, a meridiana aliquo modo absentare, quin saltem inibi existat, cum fit sonitus prelibatus. Per quod liquido constat quod nullus unquam a monasterio inter meridianam exire debet, nisi pro arduo sit ecclesiæ negocio exequendo, et hoc tunc de licencia aut jussione speciali. Ad meridianam vero lectos suos parare atque in eis ita ordinate per omnia jacere de/bent, sicuti et nocturnis horis. [fo. 87b. Qui se nunquam in lectis suis latenter discalciare aut calciare debent; sed, supra formas ante[2] lectos suos pedes interim extensos habentes, ita se honeste atque privatim discalciare debent ac discalciando tegere, ut vix eorum pedes a transeuntibus valeant intueri; quod cum fecerint, non ita versi diucius sedebunt, sed tibias suas ad se in lectos suos trahent continuo. Qui in suis staminis vel tunicis aut pelliciis super lectos indecenter sedere non debent, nisi breviori quo possint tempore, sed pariter cum cuculla tunicam et pelliciam induent et exuent, atque sua capita continuo tegent, et se cingent consequenter cingulo nocturnali. Et, cum fuerint in lectis cooperti jacentes, libros suos respicient modo secreciori quo possunt; quos tunc proculdubio sedendo sicut nec stando

[1] *qui in*, MS. [2] *aut*, MS.

aliqua vice respicient. Nec debent unquam aliqui hora meridiana, nec ante aut post matutinas, absque reprehensione publica in lectis suis vestiti jacere, nisi per duas noctes in quibus, facta sua professione, in albis dicuntur existere, et nisi post laudes matutinarum in nocte Natalis Domini, quando ut pausent aliquantulum tempus permittit.

Capitegia[1] quoque[2] linea fratres, honestatis causa, propter sudorem habere permittuntur. Et similiter pedules ex corio, de sua tamen providencia, sed privatim et occulte quod vix ab aliis videantur; hoc observato, quod missas suas in hujuscemodi pedulibus nullatenus cantent, nisi forte laneos similiter pedules subtus habeant suis pedibus propriores.[3] Nulli autem coopertorium de scarleto, aut de colore viridi, seu alio colore nimis ponpose licitum est habere. Sed nec peluram coopertorii, nisi agninam aut de cuniculis, cattis, seu vulpinis, nec habere poterit aliquis ordinate pelliciam, nisi agninam, vel, si multum indigeat, de cattis aut vulpibus vel cuniculis, quam si forte egritudinis aut manifestæ necessitatis causa; vel quamcumque aliam peluram delicaciorem sive molliorem habeat aliquis, ne, quod absit, a quoquam aliquo modo percipiatur, faciet eam ad collarium et manicarum extremitatem exterius cum pellura agnina sagaciter occultari, et hoc semper cum consciencia abbatis. Quoniam illud, quod absque reprehensione licite et ordinate fieri non potest sine abbate, si necessitatis causa fortasse agatur, ita tunc oculte fieri debet, ne aliis inde detur oc/casio [fo. 88. delinquendi. Nullus autem tunicam aliquo modo habere debet, nisi solummodo nigri coloris. Nec faciet aliquis vestes suas aut calciamenta aliter quam ordinate parari; sed nec pannos suos et maxime staminam et femoralia, quod absit, faciet aliquis in villa lavari, quoniam fratres, itinerantes seu quaquaversum a domo recedentes, hujuscemodi lota secum pro more sunt habituri.

Sed neque licitum est alicui chalonem sive tapetum cujuscumque coloris super lectum suum extendere, vel talia palam ad lectum suum habere; sed nec saccum ad pannos, vel sarpelarium, aut capellum, aut ocreas, sive alia hujuscemodi

[1] Altered into *capitergia*. [2] *quique*, MS. [3] *priores*, MS.

equitaturæ necessaria, debet aliquis in dormitorio habere recondita.

Unicuique autem unam tantum perticam, et non plures, longitudinis, scilicet trium ulnarum, et non amplius, a parte pedum ad suum lectum, habere conceditur, atque asserem tractabilem latitudinis quarterii et dimidii unius ulnæ per lecti sui introitum habere permittitur, ne unusquisque frater, dormiendo se detegens, discoopertus et nudus in aliqua sui corporis parte a transeuntibus jacere videatur; hoc observato, quod nullo modo ita profunde in lectis suis jaceant, quin dum dormiunt a transeuntibus videri queant.

Nulli autem licitum est pannum rasuræ seu alium pannum lineum suo lecto habere appensum et displicatum, quin saltem aliquo nigro panno tegatur; nisi brevi tempore dum post rasuram pannus ille siccatur. Sed nec calciamenta dirupta, aut pedules sordidos, vel aliquod tale indecens aut inhonestum, aliquis circa lectum suum jacere unquam aut pendere permittit, unde alicujus possit offendi aspectus; et, si ita contingit, statim ea camerarius ex jussione superioris ammovebit, nisi ipse frater, cujus sunt, prius voluerit ammovere. Nec habebit aut portabit aliquis palam urinale vel aliquid tale in dormitorio, sed senes et alii, si qui multum talibus indigent, ea latenter inibi licite possunt habere.

Nullus vero ad lectum alicujus debet unquam accedere, ad illic quippiam faciendum aut illic amovendum, ipso invito aut absente, nisi ob suspicionem alicujus exordinacionis alicubi reperiendæ per censuram capituli agatur exploracio; vel magister noviciorum ad eorum lectos accedat qui suæ custodiæ deputantur: quod quidem facere poterit licite et debet, quocienscumque suæ cederit voluntati, et maxime ubicumque et penes quemcumque/ [im]proprietatem seu aliam [fo. 88b. rem inordinatam existimat invenire.

Nulli autem licebit, causa ammocionis suæ ab uno lecto ad alium, aliquid clavo fixum lecto per necessarium inde ammovere, licet ipsemet illud procuraverit et lecto apposuerit. Nec debet aliquis, post amocionem cujus[cum]que fratris a suo lecto, vel eciam post obitum alicujus, asserem vel mattam aut perticam seu aliquid tale ab illo lecto ammovere, absque

assensu prioris ordinis, et tunc per visum camerarii aut ejus collegæ. Sed nec quisquam famulus, ad lectum alicujus fratris faciendum vel aliquid quippiam illuc agendum, unquam accedet, nisi frater ille aut subcamerarius ibidem secum affuerit.

Situlam vero cum aspersorio ad aquam benedictam in dormitorio camerarius inveniet; debetque circumquaque superius et inferius mundari atque scopari dormitorium per camerarium, ex recta et antiqua consuetudine, ad minus semel in anno, vel quocienscumque fuerit necesse, proviso tamen quod tunc in capitulo aut extra premuniantur omnes in eo lectos habentes.

Pavimentum dormitorii thesaurarii conventus sustentabunt, et quociens diruptum fuerit emendabunt. Gardianus de manerio de Northburne, qui pro tempore fuerit, ne strepitus fiat in dormitorio a fratribus ambulantibus super pavimentum, mattulas longas et strictas ad minus duorum pedum et dimidii hinc inde per domus longitudinem exhibere[1] debet. Tecturam vero dormitorii atque domus necessariæ sive latrinæ, cum sessionibus[2] necessariis in eadem, necnon et fenestras vitreas dormitorii thesaurarius conventus inveniet et sustentabit; sicuti et tecturam, mensas, et fenestras, et omnia alia ad structuram refectorii inveniet. Sed proculdubio camerarii et subcamerarii incumbit officio ipsum dormitorium et omnia quæ ad ipsum pertinent sagaciter custodire; necnon et stramen sive literam pro lectis fratrum invenire, quociens opus fuerit; et maxime semel in anno, pro recta et antiqua consuetudine, stramen in omnibus lectis fratrum, si ipsi voluerint, mutare faciet ac renovare, et tunc mundabitur dormitorium. Sed proculdubio illa litera[3] sive stramen a Bertona deveniet; et hac de causa nullus literam/ [fo. 89. a suo lecto unquam faciet amovere, nisi camerario preostendatur aut illius socio; nisi aliquis sibimet fortasse aliam sibi literam absque camerario procurare velit.

Et, quia de camerario et illius socio facta est hoc loco mencio specialis, consequens est aliqua hic ex hiis[4] quæ eorum incumbunt officiis breviter propalare. Camerarii est

[1] *mattule...exiberi*, MS.
[2] *cessionibus*, MS.
[3] *illam literam*, MS.
[4] *suis*, MS.

procurare omnia vestimenta et calciamenta et lectos et stramenta lectorum quæ fratribus sunt necessaria: et juxta regulam habere concessa rasoria quoque et forcipes, tersoria ad radendum, tersoria in claustro pendencia, tersoria et manutergia mandati, et omnia vasa ejus. Det fratribus in iter profecturis capas, fasciolas, calcaria, sellas. Semel in anno renovari faciet literam in omnibus lectis fratrum, sicut predictum est; et tunc eciam mundari faciet dormitorium. Inveniet singulis annis, tempore moderno, unicuique fratri habitum unum et plus, si necesse fuerit; similiter unicuique fratri unam pelliceam infra octavas sancti Michaelis, vel vj. solidos pro pellicea, si indiguerit argentum accipere[1]; item, in vigilia Omnium Sanctorum, cuilibet fratri unum par nocturnalium, precii duorum solidorum[2]; et pedules duplices, et decem capucia pro x. fratribus, vel xij. denarios[3]; item, in ordinacione sancti Augustini, quindecim coopertoria pro xv. fratribus, vel xij. solidos[4]; item, in festo sancti Andreæ, quindecim burealia pro xv. fratribus, vel quatuor solidos[5]; item, Sabbato in Ramis Palmarum, cuilibet fratri unum par sotularium diurnalium, vel duos solidos,[6] et pedules dupplices; item, in festo sancti Augustini, xxx. tunicas pro xxx. fratribus, vel sex solidos pro tunica[7]; item, in vigilia sanctæ Mildrethæ virginis, cuilibet fratri unum par sotularium diurnalium, vel duos solidos[8]; item, in translacione sancti Augustini, viginti paria stragularum pro xx. fratribus, de longitudine et latitudine sicut continetur in constitucione in martilogio, vel pro pari stragularum sex solidos et octo denarios.[9] Abbas vero non comprehenditur in hac distribucione.

Preterea subcamerarius faciet per famulos suos ungere sotulares nocturnales tocius conventus in vigilia sancti Thomæ apostoli. Staminas vero et femoralia fratres sunt habituri, quocienscumque indigent. Qui insuper camerarius

[1] A second hand has added a marginal note: "Summa pro 70 fratribus 21li."
[2] "Summa pro 70 fratribus, 7li."
[3] "Summa, 10s."
[4] "Summa, 9li."
[5] "Summa, 3li."
[6] "Summa pro 70 fratribus, 7li."
[7] "Summa, 9li."
[8] "Summa pro 70 fratribus, 7li."
[9] "Summa, 6li. 13s. 4d."

singulis fratribus lineas tecas ad parva cervicalia et linea capitegia nocturnalia, dummodo unius ulnæ et quarterii mensura non extendat, quociens opus fuerit,/ in- [fo. 89b. venire tenetur ; sed non ultra ulnam et quarterium habentem, nisi velit de gracia. Panniculos vero ad psalteria aliosque libros parvi voluminis ex eodem eisdem invenire solet. Cingula quidem nocturnalia non eis invenire tenetur, nisi sponte velit ; sed neque materacia eisdem exhibebit, quia inordinata res est, secundum regulam, quia storia pro materacia in regula ponitur. Botas vero fratrum, si eorum usui nimis fuerint strictæ, camerarius tenetur mutare ; quas ob suam largitatem nullus poterit aut debet refutare ; sed eas postea camerarius, ad cicius quam poterit, usui fratrum faciet mensurate parari. Faciet insuper camerarius botas fratrum tam singulas quam fultratas, quocienscumque necesse fuerit, infra singulos terminos, pro recta consuetudine, reparare : botas videlicet singulas a die qua liberacio fuerit facta usque ad eandem diem in annum completum, et similiter de fultratis ab una liberacione usque ad aliam liberacionem earundem. Soleas vero calceaturæ fratrum nunquam, quod absit, apponere faciet nisi integras, nec debent antipediæ novæ apponi, cum opus fuerit, nisi novæ semellæ apponantur. Sed neque solea aut antipedia unius botæ alicujus fratris pro qualicumque ruptura renovari debet, nisi tunc solea aut antipedia alterius botæ, quamvis integra sit, similiter renovetur ; nisi fortuitu, in earum novitate, aliqua eisdem[1] casualis et inviolenta contingat ruptura.

Subcamerarius vero acus et filum fratrum necessitatibus, quandocumque indigent, exhibere tenetur. Qui similiter cultellos ad panem, sumptibus camerarii, omnibus [in] capitulo misericordiam cum venia petentibus ac presidenti suum defectum ordinate confitentibus, absque mora tenetur inpendere ; hoc tamen habito, quod ipsi eos amiserint casualiter [et] nulli eos dederint.

Idem vero subcamerarius in sua jugiter habebit custodia duodecim paria ad minus de staminis et femoralibus usui fratrum promta ; qui[1] omni die Lunæ, quociens opus fuerit,

[1] *easdem*, MS. [2] *que*, MS.

hora matutinali scindere faciet staminas et femoralia, et quæ hujusmodi necessaria, ita videlicet ut quicquid traditur ei ad mutandum ante proximum Sabbatum mutari possit, ac indigentibus liberari. Cujus videlicet subcamerarii specialiter incumbit officio omnes veteres staminas, femoralia, et caligas, quocienscumque mutantur et renovantur, prout salubrius decreverit, pauperibus et ege/nis pro more distribuere. Qui [fo. 90. eciam subcamerarius, quoad hujusmodi veteres pannos indigentibus erogandos, elemosinarius cameræ conventus rite nominatur. Nec [se] debet camerarius in propria persona circa talia aliquatinus interponere, nisi quod superscripciones sive signa eorundem veterum pannorum eidem, si fortasse voluerit, ut constet ei numerus de liberacione eorum, per anni circulum a subcamerario ostendi possunt, sed ea a pannis abscindere et secum, quod absit, auferre non debet. Nec se debet unquam idem camerarius interponere de pannis prelibatis scindendis aut consuendis, resarciendis aut mutandis, cum opus fuerit, sicut nec de caligis aut pedulibus vel botis scindendis aut fultrandis; sed proculdubio hæc omnia et cetera[1] hujusmodi fratrum necessitatibus per camerarium exhibenda ad subcamerarii specialiter officium specta[n]t. Et quocienscumque alicujus fratris stamina manifestam alicubi in se habet rupturam, debet ei novam protinus liberare, et nulla vice unam vel duas novas manicas veteri staminæ apponi facere debet, quod absit, neque ut indecenter resarciatur permittere. Illud idem de femoralibus notabiliter ruptis ac continuo mutandis est similiter observandum. Qui quidem de froccis et cucullis, pelliceis atque sotularibus, staminis et femoralibus, quos in mutacione recipit a fratribus, imparciet, ut moris est, famulis de sartario et balniatorio; et quod inde residuum fuerit pauperibus erogabit. Custodes quidem ordinis aut obedienciarii, vel fratres extra dormitorium jacentes, de nigris pannis, botis, pelliceis, aut caligis hujusmodi liberacionem facere non debent, nisi sponte velint; sed ipsimet indigentibus distribuant.

Luminaria sive crasseta in dormitorio idem accendet subcamerarius atque extinguet; et a famulis ad hoc deputatis

[1] *vetera*, MS.

aptari ac parari faciet horis debitis et oportunis; atque vasa sive crasseta inveniet camerarius et custodire debet; et sepum, non solum ad eandem sed ad crassata in cella hospitum, monachis videlicet tantummodo ordinis sancti Benedicti, et non aliis nisi sponte velit, et ad inunccionem fratrum infirmorum et medicinas sumencium invenire tenetur. Necnon priori, quociens in sua camera jacet, crassetum inveniet; et duo crasseta in infirmaria invenire tenetur.

Subcamerarius insuper nigros pannos, tunicas et pelliceas, /coopertoria et caligas, sicut et botas fratrum, ad [fo. 90b. consuendum et reparandum, quociens opus fuerit, ad sartoria portare tenetur, ac famulis commendare, eis[que] districte precipere ut commode[1] ac sine dilacione agantur quæ agenda sunt, ut continuo ab eodem possint reportari. Atque hiidem famuli omnes fracturas consuere celeriter ac resarcire tenentur, nisi sit violenta fractura, ut in panno integro; quoniam hujusmodi fracturas, nisi sit de gracia, redintegrare non solent. Similiter hiidem famuli de balneatorio tenentur stragulas, pannum rasturæ, tecas cervicalium,[2] et alios hujusmodi panniculos lineos abluere. Sed sagaciter a subcamerario debet provideri, ne unquam, pro defectu aut negligencia eorundem, hujusmodi panniculi, et maxime staminæ aut femoralia, extra abbaciam, quod absit, aliquo modo laventur. Subcamerarii insuper est, ac precipue camerarii, famulos de sartaria et balneatorio, quociens delinqunt aut in suo famulatu rite exequendo fuerint negligentes, quamtocius corripere atque castigare; et, si emendare noluerint, alios loco eorum ydoneos substituere. Et, si forte pro delictis eorum subtrahatur eis aliquid de exigua porcione eisdem assignata per capitulum, debent camerarius et subcamerarius extra capitulum, et eciam in capitulo si forte opus fuerit, inde facere mencionem, ut eisdem restituatur quod subtractum est.

Idem vero camerarius tersoria omnia in claustro pendencia invenire debet; et qualibet Dominica ante processionem renovari debent. Boscum vero sive ligna ad abluendos pannos et ad balnea et minuciones fratrum, quociens opus fuerit,

[1] *omnimode*, MS. [2] *servicalium*, MS.

atque minutorem inveniet camerarius. Qui eciam per famulos ad hoc deputatos faciet idem aut subcamerarius fratribus minuendis honeste deserviri ; qui ignem eis sollicite parabunt et scutellas baculosque invenient, atque eisdem de aqua ministrabunt. Qui insuper camerarius filum ad quælibet famulorum opera circa fratrum vestes consuendas rite ac plenarie excercenda inveniet. Necnon et unctum ad calciamenta fratrum per anni circulum necessarium[1] inveniet camerarius. Et tecta domuum suæ obedienciæ honorifice sustentabit.

Preterea, omni die Sabbati/ aut in quinta feria, [fo. 91. faciet subcamerarius duas tinas cum aqua calida et quatuor bacinos ad minus ad mandatum in claustrum portari. Qui sagaciter providere debet quod omnes bacini integri sint et satis mundi[2] interius et exterius, priusquam illuc deferantur. Atque unam tinam cum aqua calida ante introitum capituli locari faciet, una cum quatuor bacinis et duobus tersoriis, ad mandatum inibi faciendum ; et alia duo manutergia ad manuum ablucionem procurabit. Balneare debet conventus bis in anno, videlicet contra Natale et contra Pentecosten. Nullus enim alteris temporibus anni balneare debet, sicut nec sibi sanguinem minuere, absque licencia speciali. Consueverunt autem fratres omnes et singuli quater in anno antiquitus balniari, secundum quatuor anni tempora, videlicet ante Natale Domini, ante Pascha, ante Nativitatem sancti Johannis baptistæ, et ante festum sancti Michaelis ; per diem scilicet quatuor fratres, primo seniores, et diatim per ordinem usque ad novissimos. Sed postea provisum est ut balnearum usus, juxta tenorem regulæ, non nisi infirmis et indigentibus facile concedatur, et non pro affectu voluptatis, sed pro remedio et cura salutis. Nam, medendi causa et pro necessitate langoris, eciam si noluerit, frater, jubente priore, ut sic si forte queat egritudinem vitare, balneari debet. Sed hoc caveatur ne adolescentes et novicii, absque magistri sui aut seniorum comitatu, ad balneandum incedent ; qui cum eis incedentes solerter intueantur quam ordinate ibi se contineant.

[1] *necessarie*, MS. [2] *munde*, MS.

Olim enim venientes fratres ad loca quibus balneæ preparabantur, sua ibidem vestimenta exuentes, ita ordinate ut in dormitorio se gerere consueverant, atque in balneo humiliter in silencio residebant; et, si quid[1] eis necessarium fuerat, modeste signo aliquo aut breviloquio a famulis petebant, qui eisdem celeriter quod pecierant inpendebant. Subcamerarius vero solerter tunc temporis, sicut et moderno tempore, intueri debet quales sint famuli qui ibidem sunt; quia non infantes aut juvenes, sed etate provecciores maturi esse debent atque honesti. Postquam autem fratres in balneo fuerint abluti, non delectandi ulterius affeccione in eo residebunt; sed medendi gracia, de consilio medici, possunt in eo, si indigeant, moram facere ulteriorem. Qui eciam/ de balneo exeuntes, ut [fo. 91b. vestiti et calciati fuerint, ordinate, sicut quando surgunt de dormitorio, ablutis manibus, revertantur in claustrum. Verumptamen, si de custodia nondum fuerint absoluti, cum suo magistro reverti debent. Quod minus dictum est hic de balneis fratrum luculenter dictum est in rubricis de ordine.

Antiquitus autem consueverunt fratres, qui minuendi erant, post evangelium majoris missæ, facta in loco suo inclinacione, exire[2]; et ante crucem ad altare sancti Benedicti inclinato capite dicebant psalmum, "Deus in adjutorium," cum "Gloria Patri" et "Pater noster"; et post, "Et ne, nos"; "Adjutorium nostrum"; "Sit nomen Domini benedictum"; oracionem: "Acciones nostras." Et hoc similiter dicebat per se, si unus tantum erat minuendus. Et sic transeant in dormitorium et accipientes nocturnalia sua[3] et fascias suas cum summo scilencio adeant locum ubi minuuntur fratres, ibique parum vel nichil loquantur. Postea vero froccos exuebant, et se ad minuendum ex more parabant. Scilencium ibidem omnino tenebant,[4] nisi necessitas loqui coegisset, quæ differri aut non posset aut non deberet. Quod si evenisset, breviter et[5] modeste et humili voce id fieri consuevit. Sed illa consuetudo ab usu moderno penitus jam recessit. In illa die in libro non studea[n]t in claustro, nec in crastino.

[1] *quidem*, MS. [2] *exeant*, MS. [3] *nocturnalibus suis*, MS.
[4] *tenebantur*, MS. [5] *aut*, MS.

Quam ordinate se gerent[1] fratres in claustro secundum diversa tempora. Et de modo reddendi a noviciis. Atque de modo agendi mandatum in claustro et in capitulo. Et de hiis quæ elemosinarii et subelemosinarii incumbunt officio.

Fratres per intervalla cum omni maturitate in claustro sedere debent in quietis silencio, nisi tantummodo diebus et horis quibus eis ibidem loqui est concessum. Dompnus abbas, juxta quod suæ deposcit [dignitas][2] preferenciæ, in capite partis orientalis claustri, juxta ostium capituli, pro more antiquo sedere solet; et prior primus in aquilonari parte, juxta ostium locutorii, ac ceteri post ipsum in eadem parte gradatim juxta ordinem suæ conversionis, a senioribus incipientes. Supprior vero ex orientali parte claustri sedebit, juxta parvum lavatorium; tercius prior in parte occidentali, in medio, residebit. Novicii, si fuerint, et alii juvenes inferioris ordinis, qui reddituri/ sunt, et illi qui non habent ordines [fo. 92. in claustro assignatas, sedebunt in parte australi. Nullus enim in parte orientali sedebit, nisi illi qui deputati sunt ad audiendas confessiones fratrum, quia possunt ibi semper esse parati, preter abbatem et subpriorem, et, in casu, fratrem qui est in penitencia. Omnes quidem in claustro uno modo versi sedebunt, unusquisque scilicet ad tergum alterius versam habens faciem, ne aliquis alterius vultum intueatur; quoniam visus ibidem cum omni diligencia est observandus, et ideo nullus unquam ibidem sedebit extransversum tendentem habens vultum, nisi illa solummodo hora qua in eo[3] omnes loqu[u]ntur; sed revera omnibus aliis horis atque temporibus ita a latere omnes ac singuli inibi residebunt, ut unusquisque ad tergum alterius, modo prelibato, versam habeat[4] faciem. Ubi proculdubio non habebit aliquis sedem sibi appropriatam preter dompnum abbatem, ut prefertur, priorem, subpriorem, et tercium priorem; et preter precentorem, et succentorem, quibus committitur armariorum custodia. Cantor habebit cathedram suam ante armarium in claustro stantem, et

[1] *gerant*, MS. [2] Supplied from O. [3] *ea*, MS. [4] *habens*, MS.

carulam suam juxta se super lapidem inter columpnas; succentor vero super scannum juxta armarium carulam et sedem suam habebit; ut hii duo, vel saltem unus eorum, possint semper esse parati ad respondendum fratribus servicium petentibus. Et debent fratres mediocres, et maxime juvenes sacerdotes, juxta quod numerus fratrum crescit aut decrescit, de uno loco ad alium ammoveri, pro disposicione prioris aut subprioris, quorum industriæ et ordinacioni cura claustri specialiter est concessa.

Post primam vero, omni tempore anni, fratres se preparent qui missas privatas celebrare voluerint. Alii vero juniores inferioris ordinis eant ad missam, quæ dicitur pro ecclesia, cantandam. Novicii, si fuerint, in claustro residebunt. Postquam autem missæ consummentur, omnes ab oratorio exire debent, nullo remanente preter custodes ecclesiæ; qui tunc in claustro, omnes et singuli, sedebunt ordinate, priusquam a claustro egrediantur aut dormitorium intrent, vel quaquaversum inde recedant, per quantum tempus psalmus "Miserere mei, Deus" vel alius psalmus aut oracio eidem quantitate equipollens dici possit ab eisdem. Verumptamen novicii, quam cito fuerint post primam claustrum/ [fo. 92b. ingressi, sumentes libros suos legere possunt et cantare, et suas lecciones repetere. Claustrales vero, et maxime novicii, tali hora post primam in dormitorium ire non debent, nisi pro aliqua fuerit necessitate, quæ vitari non possit; quo si incedant necessitate ducti, in claustrum ad cicius quam poterunt revertentur, ibidem, ut prius, residentes, quousque[1] fiat sonitus ad terciam sive ad capitulum, quia hora incompetens est.

Nullus autem ante terciam aut capitulum debet petere licenciam a priore, ut cum aliquo fratre loquatur extra claustrum; sed nec aliquis fratrum loquetur mane alicubi, priusquam dixerit primam de Dei genitrice, et dixerit vel audierit "Preciosa," vel saltem hoc capitulum, "Domine, miserere nostri," cum isto versiculo, "Adjutorium nostrum." Sed neque in claustro aliquis sive in locutorio, nisi sedeat, loqui debet. Nec debet aliquis, exceptis quibus specialiter est

[1] *usque*, MS.

concessum, ante primam extra claustrum ire, vel locutorium ingredi, ut minimum verbum habeat cum aliquo.

Nullus unquam absque frocco locutorium est ingressurus. Nullus autem obedienciarius ante tres oraciones, quæ fieri debent ante primam, sicut nec claustralis, aliquid aget, neque a claustro sive a monasterio egredietur, donec pro more ipsas in oratorio fecerit oraciones. In locutorio quidem exteriore nullus loqui debet claustralis cum aliqua seculari persona, nec debet ostium ejusdem locutorii aperiri, si recta et antiqua consuetudo servetur, aliquo die usque post capitulum, nisi sit pro ingressu aut egressu hospitum, vel pro redditu fratrum, seu ob aliam manifestæ necessitatis causam[1]; quod modo ista observancia non tenetur.

Postquam autem inchoatur sonitus ad primam, vel ad terciam, vel ad aliam quamlibet horam regularem, aut eciam sonitus qui fit ante horam seu capitulum aut majorem missam, nullus absque licencia presumet suam privatim cantare missam. Sed, si amictum capiti suo apposuerit, et signum ad horam regularem insonuerit, deposito amictu, chorum intrabit, vel, [si][2] illo instante affectuose cantare proponat, a priore claustri licenciam postulabit. Ad intervalla vero cantare poterit, qui voluerit, non quesita licencia.

Novicii vero hora matutinali voce sonora, quousque reddiderint, cantare debent; qui eciam plena voce atque manifesta reddent,/ prout in choro est canendum. [fo. 93. Non enim ita reddent, ut cito exonerentur, sed ut reddita ad plenum sciant, atque suo perpetuo memoriter teneant; et ideo moneri non debent ut multum reddant, sed ut unusquisque, juxta sui capacitatem ingenii, hoc ita faciat, ut hujus rei causa nullum senciat corporis gravamen. Cotidie vero reddere debet unusquisque, quantum sibi viderit expedire, nisi in principali sit festo, aut aliunde occurrat ei impedimentum. Et in diebus in quibus non reddiderit aliquis de hiis qui reddituri sunt, debet idem per suum magistrum in capitulo reprehendi. Qui vero legunt, ut in psalterio et ymnorum libro, ita sonoriter in audiencia et maxime cum reddunt, ut a circumquaque sedentibus

[1] *necessitatem*, MS. [2] Om. MS.

possi[n]t audiri. Omnes autem suo magistro ad reddendum se primitus offerre debent, ut ipse intueatur ubi incipiunt, et audiat quos voluerit audire, et quos noluerit collegæ suo, aut cui voluerit, mittat; ita tamen ut[1] finis leccionis eidem a quolibet ostendatur, quia ita mature et ordinate ad reddendum incedere debent, ut nullus ab alio impedimentum paciatur aut, quod absit, molestetur. Postquam vero reddiderint, non ita sonoriter cantare tenentur, sicut prius, sed voce mediocri, sicut ad intervallum post prandium cantare solent. Verumptamen hora competenti, ad magnum scilicet intervallum quod fit post prandium in mediis feriis Quadragesimæ, sive ad intervallum post cenam aut potum conventus, quibuscumque anni diebus, nulla ab eisdem vox audiri debet, et maxime illis horis quibus in claustro pedes sibi abluant nullus omnino ab aliquibus sonitus audietur. Nec debet unquam aliquis juniorum, ex illà parte qua seniores resident, hora matutinali seu quavis alia hora, ipsis in ea residentibus, incedere, prius [quam] ad horam terciam signum insonuerit, nisi solummodo ille qui hora matutinali querit martilogium. Sed si qui in dormitorium aut in ecclesiam pro qualicumque necessitate sunt ituri, ipsis senioribus in claustro residentibus aut ex eis saltem tribus aut duobus, ex septentrionali parte juxta refectorium pro more incedent. Sed statim postquam inchoatur sonitus ad primam, sicut et ad aliam horam regularem, licite per illam partem possunt incedere. Olim autem/ pro consuetudine habebatur quod, [fo. 93b. quocienscumque juvenes sive in choro sive in claustro inter seniores ibant, detectis humiliter capitibus inclinando incedebant. Nullus siquidem in claustro ex opposito ostii de dormitorio, directe videlicet inferius ante gradum stando, alium expectabit sursum aspiciendo; sed a dextro latere se divertet, stando interim ibidem, si quis necessitatis causa, donec exeat aliquis, voluerit expectare. Juvenes vero, qui reddunt, alium librum quam martilogium in claustro respicere non debent; sed nec aliquis eorum qui reddiderunt alium librum quam de cantu in australi parte claustri licebit

[1] *cum*, MS.

intueri, nisi sit psalterium, vel liber[1] ymnorum aut libri[1] de cantu super quos reddunt, vel [liber] collacionis, aut legenda[1] super quam ad matutinas est legendum; quam, quociens opus fuerit, hora ad hoc congruenciore post prandium, precentor sive succentor providere debet, et portare et reportare faciet, ut, quicumque voluerint, lecciones ibi provideant, quas ad matutinas sunt lecturi.

Conventus quando de capitulo cum "Verba mea" vadit in chorum, nullus fratrum loqui presumat, donec recedat de choro in claustrum, et a priore "Benedicite" sit prolatum; quod quidem ita sonoriter proferri debet, ut ab omnibus possit audiri; et, si postea forte aliquis supervenerit, qui illud non audierit, pronunciabit et ipse in audiencia "Benedicite," priusquam loqui ceperit. Quando vero in capitulo dictum fuerit "Benedicite" a presidente, omnes exeuntes ad loca quibus in claustro loqui debent directe procedunt, et ibi dum loquuntur sedere debent; non stando, non ambulando, nullus presumat loqui, sed regulariter sedendo.

Nullus quidem ex fratribus in claustro videri debet, quando conventus de ecclesia aut de capitulo processive claustrum ingreditur. Et debent omnes fratres, preter illos qui in custodia sunt, hinc inde sedere dum loquuntur in parte australi; prior tamen et seniores in parte orientali super scannum juxta capitulum; novicii, si fuerint, cum magistris suis in parte australi super scannum juxta hostium capellæ, ubi cantatur missa pro ecclesia. Et debent de hiis quæ pertinent ad ordinem et de bonis consuetudinibus ecclesiæ loqui, et juvenes debent ibi signa ordinata erudire.

Nullus ibi/ audeat de rumoribus seculi interrogare [fo. 94. nec narrare, non de trufis, non de frivolis, unde possit risus indiscussus commoveri. Nullæ[2] ibi contenciones aliquo modo pronunciantur. Dum vero fratres loquuntur in claustro, nulli licitum est librum inspicere, neque aliquid scribere, nisi ab aliis segregatus penitus interim sedeat. De hiis vero qui in claustro scribunt consideracionem sagaciter habere debet prior claustri, ne aliquid videlicet scribant,

[1] These words are in the accusative, MS.

[2] *Nullas*, MS.

nisi ad utilitatem ecclesiæ et suarum profectum animarum, quod si fecerint, acriter inde puniri debent; et ideo claustri exploratores diligenter inspicere debent, quid et quibus horis in claustro aliqui scribant, nec debet quisquam eorum aliquo modo, quod absit, ab ordinis custodibus celare quod scribit; quoniam, si hoc fecerit aliquis, debet coram omnibus in capitulo acriter inde redargui, et quicquid scripserit a sua custodia penitus amoveri. Illi vero qui de licencia aliqua scribunt, ad intervalla hoc facere debent, dummodo conventus in claustro sedet; et nullo tempore, dum conventus in ecclesia fuerit, aut in capitulo vel in dormitorio aut in refectorio, aliqui scribere aut sedere debe[n]t in claustro, nisi forte cartam aut aliquid hujusmodi, jussu prioris vel supprioris, pro communi scribat utilitate. Nec debent illi cotidiani scriptores horis scribere incompetentibus, et maxime in secundis et quartis aut sextis feriis Quadragesimæ, vel cum sibi fratres pedes abluunt in claustro; sed nec in festivitatibus quas servant populares, quoniam hoc cum illis commune habemus et habere tenemur. In illa enim parte claustri quæ noviciis et juvenibus in custodia positis est concessa, in qua precipue ac devote cultus religionis et rigor disciplinæ atque forma claustralis doctrinæ jugiter excerceri debent, nemo presumet, sine licencia magistri, sedendo vel stando morari, vel signum aut verbum facere cum illis. Cum quibus eciam, si, hora qua in claustro loq[u]untur, ex permissione magistri loquitur aliquis, pro cujuscumque rei fuerit causa, sedendo loquetur, ita ut inter ipsum et novicium sive novicios, cum quibus loqui voluerit, idem sedeat magister, vel frater qui ei in adjutorium sui officii deputatur, vel alius quem magister ad hoc assignaverit. Non enim ad invicem sibi loquentur/ novicii, nisi [fo. 94b. audiente magistro; nec simul aliquid repetent aut facient, nisi coram eo; nec ad invicem sedebunt, nisi interente columpna, vel loco habente spacium unius sedis; hoc observato, quod, si non inter eos, saltem ante illos sedeat eorum custos. Qui eciam ad sumendum ab aliquo fratre librum, seu aliud quippiam necessarium, et ad lavatorium ita incedant, ut a custode suo aperte ac continue videantur;

nec alicubi facient signum novicii, ut ab aliquo aliquid recipient, nisi a magistro suo vel eciam coram ipso. Nec loquetur ibi aliquo modo juvenis qui non est ibi sessurus,[1] nisi optenta prius a magistro licencia. Nullus enim in claustro, sicut nec in locutorio, nisi sedeat, loqui debet. Nec debet aliquis juvenis extra claustrum ire absque custodia; sed neque duobus juvenibus simul absque custode licebit extra claustrum incedere. Nullus illis, neque ipsi ubi [sunt], sed neque aliqui fratres, ad invicem, dum silencium tenent, subridere debent, neque in absconso facere signum. Palam enim omnia signa in horis et locis convenientibus fieri debent, et tunc congrua et necessaria, et sine offensione iræ aut indignacionis vel alicujus contencionis aut alicujus joculatoriæ rei vel inmundæ aut inhonestæ. Et non solummodo ista in signis sunt cavenda, verum eciam ab omnibus accionibus monachorum separanda sunt, stent vel eant, sedeant aut jaceant, loquantur vel taceant; neque iracunde[2] aut indignando sive despicabiliter aliquis erga alterum quicquam visu, aut in auditu, sive in aliquo opere aut sermone demonstrare debet.

Custos autem noviciorum aut ejus collega scribere non debet, nec aliquod tale opus agere, quod multum ejus oculos ab eorum avertit custodia. Qui quidem custos sive magister noviciorum non, nisi commissos suo collegæ vel alii, ipso absente, signo vel verbo se absentando, relinquere eos debet. Quos, si strenui fratris tutelæ commiserit, pro competenti causa ab eis pro tempore discedere poterit; sed aliter nequaquam, quoniam sedes illius vacua esse non debet, conventu in claustro existente. Si autem inter loquendum dompnus abbas supervenerit, assurgent ei omnes obnixe inclinando, quousque pertransierit. Qui, si ibidem moram fecerit ad loquendum, in sede magistri est sessurus,[1] tanquam magistri beati Benedicti vicarius/ specialis; atque juxta eum [fo. 95. noviciorum custos, et si qui fuerint ibidem sacerdotes, sedebunt hinc et inde seorsum super scannum; sed ceteri inferioris ordinis, detectis capitibus, deorsum in terram residebunt, quid dicere decreverit humiliter audientes. Si vero

[1] *cessurus*, MS. [2] *iracundie*, MS.

[custodi][1] prelibato vel cuiquam ex sacerdotibus aliquid singulariter dicat, capud suum continuo deteget, et, cum peroraverit, versus eundem inclinabit, ita videlicet ut non sedeat; atque eodem modo in abbatis absencia, quocienscumque eorum magister aliquid reprehensionis, erudicionis, aut exhortacionis cuiquam eorum specialiter profert, sive sacerdos fuerit, sive levita, aut ordinis inferioris, capud suum confestim detegere debet, quousque audierit suam voluntatem; et, si arguerit, audita correpcione, protinus inclinabit. Solet enim idem magister reprehensiones quas in capitulo facere voluerit ibidem, quasi ad secundum seu retro capitulum, ita accurate[2] proferre, ut nulla offensio impunita aut defectus seu gestus inordinatus penes eos absque redargucione pertranseat. Et, quia fratres omnes et singuli curam custodiæ ad invicem in caritate habere debent, quocienscumque videt aliquis fratrem suum qualitercumque delinquentem, debet eum inde qualicumque verbo vel signo leniter ac modeste corripere; quod cum fecerit, si fuerit in loco quo verbo tenus hoc facit, debet frater qui corripitur capud suum illico[3] detegere, ac humiliter inclinando emendacionem promittere, a quocumque sene aut juvene corripiatur. Si quis vero offendens in aliquo qualicumque signo deprehensus fuerit in loco quo loqui non licet, mox, ut prefertur, capud suum deteget, ac deprehendenti suppliciter inclinabit; qui, si ita fecerit, pro eodem transgressu nec in capitulo nec extra debet unquam ab eodem corripi, sive custos ordinis fuerit sive non, a quo tunc corripitur. Si vero priorem inter novicios, quando loquuntur in claustro seu alia hora, transire contingat, non assurgent ei aliqui nisi sedere voluerit; quia tunc assurgent ei illi tantum[4] juxta quos sedere voluerit, prout alibi dictum est in capitulo de priore. Nullus a colloquio claustri, sicut nec ab aliqua hora regulari, se debet absentare,/ et maxime a scola noviciorum, quin a suo [fo. 95b. inde arguatur magistro, eo quod ibidem fit instruccio signorum ordinis et consuetudinum. Nec est ibi aliquid loquendum, nisi de hiis quæ necessaria sunt ad ordinis observanciam et

[1] Supplied from O.
[2] *accusate*, MS.
[3] *illicito*, MS.
[4] *tamen*, MS.

sanctæ religionis. Et hac de causa nullus a scola noviciorum absolvi debet, donec perfecte sciat quicquid ad ordinis spectat observanciam ; sed, sicut aurum in fornace probatur igne, ita quilibet novicius probari debet in scola disciplinæ. In qua quidem scola, sicut nec alibi in claustro, debet Anglico ydeomate aliquid proferri ; sed neque Latine, nisi prior vel aliquis strenuus frater, docendi aut exortandi gracia, vel magister noviciorum Latine velit aliquid exprimere ; sed Gallice jugiter, sicut et in capitulo, ab omnibus et a singulis in claustro est loquendum. Nec licitum est cuiquam eorum in claustro aliquid loqui, loquente magistro, sicut nec alicui, dum loquitur presidens in capitulo, juxta illud regulæ, capitulo 6°. Nam loqui et docere magistro condecet, tacere et audire discipulo convenit ; atque illud beati Jacobi in sua canonica : "Sit omnis homo velox ad audiendum," et cetera. In claustro vero, sicut et in ecclesia atque in refectorio, nisi horis quibus in claustro ab omnibus loqui solet, scilencium ita per omnia ab omnibus est tenendum, ut nec liber petatur per titulum.

Si autem novicii a custodia nondum absoluti in claustro vel in ecclesia aut in refectorio quippiam invenerint, illud suo magistro protinus commendabunt. Ceteri vero omnes cum aliquid invenerint locis prelibatis, nisi constet eis cujus sit res illa, ad parliamentum, si habeatur, pro more ostendetur ; vel si non, in proximo eam capitulo portabunt, et ubi invenerint innotescent presidenti. Sed si constet eis cujus sit quod invenerint, non facient quod profertur juxta illud, "Quod tibi non vis fieri," et cetera. In dormitorio autem si quid inventum fuerit, uni ex crassetis aut cordulæ appendi debet, ut a transeuntibus possit intueri ; nisi res sit privata, quam publicare non debet, de qua tunc occulte, si res sit honesta, alicui ex ordinis tutoribus aut noviciorum magistro mencio est agenda, ut fiat inde quod ipse decreverit.

Si quis vero necesse habet ut ungues sibi cindantur, cum dixerit prior aut idem magister quæ ipso instanti ad cultum/ ordinis ac sanctæ religionis dicere voluerit, [fo. 96. surgens idem frater inter loquendum et segregatus ab aliis, aversam ab eis habens faciem, sedeat in silencio, et quod opus est faciat ; quo facto, knipulum suum lavet atque eruginet, si

necesse fuerit. Tali enim hora, atque inter[1] loquendum diebus quibus raduntur, licite possunt et debent knipulos et cultellos suos eruginare, si necesse habeatur, et nunquam hora qua fit in claustro[2] mandatum, nec hora qua ad prandium vel ad cenam refectorium sunt ingressuri. Alius modus est cindendi ungues, quod inter parliamentum qui necesse habet petat licenciam a socio suo ex utraque parte, et faciat in loco quo sedet quod necesse est. Tamen supradictus modus videtur mihi esse plus curialis et honestus.

De karulis in claustro habendis hanc consideracionem habere debent, quibus committitur claustri tutela, ut videlicet celerarius, seu alii fratres qui raro in claustro resident, suas karulas in claustro non habeant; sed nec aliqui fratres, nisi in scribendo, vel illuminando, aut tantum notando communitati aut eciam sibimet ipsis proficere sciant. Et hæc ab exploratoribus claustri est habenda consideracio, ut nulli fratres in claustro vacent ocio, sed ut leccionibus aut oracionibus vel sanctis meditacionibus sint intenti, aut in rebus utilibus occupati, et ut maxime de historiis et aliis quæ ad divinum spectant officium ita sibi in claustro provideant, ut nullo modo indigeant inter matutinas, hujus rei causa, a choro exire.

Quandocumque vero et quocienscumque diurnis aut nocturnis horis fratres sibi mutatim occurrunt, cum omni humilitate sibi invicem inclinabunt; et, si ex eis unus senior fuerit, junior primum humiliter inclinare incipiet, ac deinde senior eadem humilitate ibidem persequetur; illa solummodo hora excepta, in qua fratres in claustro loquuntur, in qua ita mutuo sibi invicem obviantes nullatenus inclinare solent, donec signum ad horam insonuerit. Sed quocienscumque dompnus abbas per claustrum transit, quacumque fuerit hora diei aut noctis, stabunt ei omnes et assurgent, si qui sederint, atque, detectis reverenter/ capitibus, se a latere devertentes, donec [fo. 96b. eos pertransierit, profundius inclinabunt; qui si ibidem inter loquendum sedere voluerit, fiat prout paulo superius evidencius declaratur. Dicitur enim paulo ante quod, postquam signum ad horam insonuerit, sibi invicem obviantes inclinare debent, quoniam audito signo statim proculdubio silere debent, et

[1] *in*, MS. [2] *claustrum*, MS.

confestim ecclesiam ingredientur, ut oracioni intersint; quoniam nullus unquam officiarius, sicut nec aliquis claustralis, pro qualicumque re in claustro sedere presumet, dum fit oracio consueta ante primam, vel aliquam horam regularem in choro, vel ad refeccionem, vel ad potum in refectorio sive in dormitorio extiterit, ut premissum est.

Nullus autem fratrum in claustro absque frocco incedere debet, nisi diebus in quibus totus conventus induitur, et tempore quo conventus in dormitorio fuerit de nocte aut hora meridiana. Sed nec in abbacia extra claustrum[1] aliquis absque frocco ex veteri consuetudine est iturus, nisi dompnus abbas, cum voluerit, et illi solummodo qui in infirmitorio jacent. Sed nec aliquis fratrum nostrorum in claustro aut in ecclesia capatus videri debet, quin inde acriter corripiatur, nisi solus abbas; sed sui capellani nequaquam. Nec debet aliquis fratrum in claustro, quod absit, sicut nec in ecclesia aut in dormitorio, nec eciam extra alicubi prope claustrum cerotecatus incedere, nisi solummodo dompnus abbas; qui tamen nullo die capitulum cerotecatus intrabit, si consuetudinis antiquæ fuerit imitator.

Juvenes vero de custodia legere ad collacionem non debent, absque sui magistri licencia, nec epistolam, aut ad servitores legere, sive martilogium, vel ad discum stare, vel candelabra portare, vel talia hujusmodi facere, donec cursus ad eos venerit; nec debent alicubi, refeccionis aut consolacionis gracia, absque sui magistri ducatu, cum affuerit, vel sui collegæ in sua absencia, seu alterius fratris ad nutum ipsius, extra claustrum incedere, donec de eorum maturitate sit securus, et hoc maxime infra annum post eorum professionem, vel talibus eos commendet, de quorum ordinato gestu habeat confidenciam. Nec debent aliquo tempore extra conventum alicubi esse, nisi ubi extiterint eidem constiterit cer/titudo. Nec suas [fo. 97. debent infirmitates novicii aut quascumque necessitates alicui, nisi eidem magistro, unquam intimare. Nimirum, cum[2] suæ tutelæ specialiter commendentur, ipse inter illos et alios quoscumque mediator esse debet; qui eciam sibi nichil fieri facient nec aliquid dabunt, mutuabunt, aut recipient, nisi per

[1] *claustra*, MS. [2] *que*, MS.

visum et de licencia ipsius. Nec debent aliqui juvenes in custodia, in capitulo aut extra, pro aliquo transgressu corripere, nisi custos sit ordinis, aut in officio divino offenderint aut defecerint, vel silencium alicubi infregerint. Tunc poterunt eos licite cantor, aut ejus socius, et fratres quibus una cum ordinis custodibus injunctum est de silencio loqui, eos, si voluerint, in capitulo proclamare, aut, si voluerint, eorum transgressum suo magistro intimare, et non alii ordinis [custodi; sed ipsi ordinis][1] custodes, quociens percipiunt eos palam delinquere, possunt eos et debent coram omnibus in capitulo proclamare, et de occultis excessibus quos ipsi soli viderint occulte possunt corripere, si voluerint; quod quidem eis facere non licebit, si/ juniorum offensas ex aliorum relatu didiscerint, eo quod, a quibuslibet aliis personis ubicumque et qualitercumque visi fuerint delinquere, eorum delicta suo magistro, quamvis non sit ordinis custos, intimari debent.

Et poterit unusquisque juvenum, de licencia sui magistri semel aut bis in ebdomoda pro necessitate ad prandium servire, sed non amplius, postquam primum cursum suum perfecerint. Et hoc facere debent pro senibus et debilibus, necnon et pro ceteris extra refectorium reficientibus. Claustrales vero, et maxime juniores ordine aut etate, sive mediocres, in illa ebdomada qua de mensæ leccione in tabula existunt, sanguine sibi minuere non debent; sed nec qui in tabula sunt de coquinæ officio, et maxime si juvenes sint ordine aut etate, nisi pro necessitate fuerit manifesta, sanguine sibi nullatenus minuent. Juvenes vero, postquam suum ter reddiderint servicium, sedebunt ex ipsa eadem parte qua prius, nullum librum respicientes nisi de cantu, sed, reddendo per se et repetendo ystorias forciores ac magis extraneas, ita sibi providebunt, quod de illis in choro in aliquo non deficiant. Quos cum viderit/ magister eorum perfecte scire quæ sciri debent, [fo. 97b. consuevit eis dicere ut in alia parte sedeant, loco talibus assignato, ubi tunc licite possunt libros de armario respicere; sed nondum scribere aut carulas habere debent, licet fuerint sacerdotes, nisi viderit magister quod eorum scriptura ecclesiæ possit proficere.

[1] Supplied from O.

Novicii qui reddunt, sicut et ceteri omnes, de ymnis propriis et canticis ante Adventum et Natale Domini aliisque temporibus, quociens opus fuerit, sibi debent sagaciter providere; et, ut hoc diligencius faciant, a suo magistro moneri debent. Sed non de hystoriis propriis sibi specialiter solent hii qui reddunt providere, eo quod coram se libros ad matutinas habent. In yeme vero mane et sero, quando in claustro ad scannum non possunt bene videre super libros, possunt fratres, qui voluerint, absque reprehensione secus praterium inter columpnas residere; et maxime novicii minime professi, nisi obstet eis aeris intemperies; hoc observato, quod duæ sint columpnæ ad minus inter singulos illic residentes. Qui eciam omni tempore in claustro, sicuti in choro, in capitulo, et in refectorio, ita ordinate frontes suas habebunt detectas, ut suæ coronæ circuli pateant intuentibus. Hora qua pedes abluunt, diebus in quibus fit mandatum, suas facies usque nasi extremitatem pro consuetudine tectas habebunt; et hoc non solum novicii, sed eciam omnes proculdubio; et singuli per claustri circuitum tali hora uno eodemque modo ordinate residebunt. Horæ vero incompetentes dicuntur illæ quibus leccioni et sanctis meditacionibus est specialiter intendendum, in quibus antiquitus operari in claustro licitum non fuit, ut a mane usque ad terciam vel post capitulum in xij. leccionibus et supra, quando conventus bis reficitur, et post vesperas sive post cenam, post mutacionem calciamentorum in dormitorio; ac precipue dum sibi pedes abluunt, eo quod tunc summum in claustro silencium est tenendum, ut premissum est.

De fratrum vero ablucione manuum hoc pro consuetudine est habendum. Mane, cum conventus descendit de dormitorio, lavent fratres manus suas, et quando conventus vadit ad prandium. Similiter et post meridianam in estate, cum descendit conventus de dormitorio. Et post prandium a kalendis/ Octobris usque ad Pascha; hoc addito quod [fo. 98. post prandium conventus sedeat prius in claustro per moram illius psalmi, scilicet, " De profundis," cum collecta " Absolve." Et similiter post cenam, quando conventus descendit de dormitorio, post mutacionem calciamentorum. Similiter et ante potum, quando non est cena, nisi tantum potus unus. Et

ante primum potum in vigiliis sanctorum, quando conventus jejunat, qui debent bis potare. Et similiter quando conventus debet esse revestitus ad missam, sive sit in albis sive in capis, ante missam debent fratres manus suas lavare. Et in nocte Paschæ et Pentecosten ante matutinas tenentur fratres lavare manus suas, quia tunc totus conventus erit revestitus. Istæ abluciones supradictæ de ordine sunt.

Famulus qui custodit hostium locutorii versus celarium, et famulus qui custodit hostium infirmariæ, una cum famulis de ecclesia, pro more antiquo omnes aditus claustri ita debent sollicite custodire, ut nullus unquam persona secularis, dum in capitulo existunt fratres, vel in claustro pedes sibi abluunt, ingrediatur, et maxime in magnatum absencia. Hoc providere illi famuli tenentur, ut nullus aliquo tempore ocreatus, vel calcaria habens in pedibus, seu absque caligis calciatus, pro qualibet causa claustrum introeat. Et si aliquis forte talis in refectorium veniat, a famulo de refectorio statim expelli debet. Et maxime dum conventus in refectorio fuerit, nullus ingredi permittetur, nisi honorabilis sit persona et pro causa manifesta. Nec debet permitti, ut inter prandendum aut potandum aliquis secularis ad hostium intro respiciat, nimirum cum non liceat alicui ex fratribus irreprehensibiliter tali hora ingredi, vel a conventu manifeste videri, nisi forte serviat aut ipso instante inibi sit pransurus, cenaturus, vel bibiturus. Sed neque permitti debet a famulis prelibatis, ut aliquis secularis persona ad claustri tersoria tergat manus suas, nisi illi solummodo qui in refectorio commedere debent.

Mulieribus vero ingressus in claustrum post prandium maxime interdici debet, salva consideracione habenda circa nobiles pro loco et tempore, prout custos/ qui ordini [fo. 98b. preest viderit expedire. In refectorium tamen, ut bibant sive se dejejunent, cum omni maturitate et modestia ante prandium duci possunt. Et similiter post prandium ante vesperas, et eciam post vesperas, priusquam conventus cenet aut bibat, non in refectorium aliquo modo, sed in locutorium forinsecum, loquendi et bibendi gracia, ex permissione duci solent; ut videlicet si mater vel soror alicujus fratris forte

supervenerit tali hora. Sed post cenam aut potum conventus nullatenus hoc fiet aliquo anni tempore. Sed neque per claustrum, nisi valde sit latenter et occulte, portabitur unquam potus in ipsum locutorium, vel in ecclesiam, pro alicujus matronæ aut mulieris adventu. Iste ordo non observatur modo; sed indifferenter ducunt mulieres in refectorium, sive ante cenam et ante potum, sive post cenam, sive post potum, non curant modo fratres.

Rastura conventus solebat antiquitus totaliter esse in claustro, et unusquisque alter alterum radere. Et, quia multi nesciebant illud officium facere, propter honestatem domus mutatum est in melius, scilicet ut camerarius providebit de suis expensis quatuor famulos seculares qui sciunt[1] illud officium perfecte facere. Subcamerarii quidem officium est de die qua radi debent a priore inquirere, et prioris est diem assignare. In yeme autem qualibet quindena semel radi debent ; in estate vero bis in tribus septimanis. Tamen ita provide et discrete agatur rastura, quod semper fiat contra quodlibet principale festum. Scito die rasturæ, faciet subcamerarius per servientes suos barbitonsoribus denunciare diem rasturæ. Interim vero providebit subcamerarius de aqua calida, bacinis, et panniculis ad rasturam pertinentibus. Cum autem venerint famuli ad illud officium deputati, denunciabit subcamerarius fratribus nunc hos nunc illos ut vadant ad rasturam, incipiendo[2] a senioribus, quia in principio cultelli sunt acuti et panniculi sicci. Si autem sunt de fratribus aliqui qui nolunt radi ad denunciacionem subcamerarii, sed pro voluntate sua expectare, potest et debet ipsum in crastino in capitulo proclamare./ Nec [fo. 99. debet ipse frater post illud capitulum intra conventum venire, donec in ipsum illud officium perfecte fuerit impletum.

Omni autem die Sabbati per annum abluent sibi fratres pedes in claustro, nisi cum principale festum in Sabbato aut Dominica celebratur; tunc enim hoc facient in quinta feria precedente. Facietque subcamerarius duas tinas cum aqua calida et quatuor bacinos in claustrum portari, et unam tinam cum tersoriis ad mandatum in capitulo faciendum,[3] prout

[1] *fiunt*, MS. [2] *incipiendum*, MS. [3] *faciendo*, MS.

superius propalatur. Illi quatuor bacini portandi sunt pro senibus et pro mandato conventus in capitulo. Alii vero fratres unusquisque suum portabit bacinum. Ostia vero claustri, dum pedes sibi abluunt fratres, claudi et ita a famulis custodiri debent, ne, si fieri possit, aliquis tali hora intret. Fratres vero omnes inmediate postquam sibi pedes abluerint, priusquam aliud quippiam agant, ad lavatorium incedent, et manus suas ibidem lavabunt, una cum suis knipulis, si necesse habeatur, quos nullo modo tali hora acuere aut eruginare debent, sed lavare et desiccare tantum. Ad mandatum vero in capitulo discalcietur solummodo presidens, priusquam ab eo incoetur antiphona, "Mandatum novum"; ad cujus inchoacionem discalciabit se prior continuo, abbate presente, et cum eo frater qui prior est in ordine ex parte altera; atque statim post eos fratres utriusque partis in ordine seniores; ac deinde ab aliis gradatim descendendo id idem fiet. Lotisque pedibus presidentis atque prioris, si abbas affuerit, exiet continuo servitor aut eciam servitores, abbate presente, ut aquam mutent, priusquam alicujus pedes lavent. Deinde vero duorum fratrum semper ac duorum fratrum per ordinem pedibus, et non trium, aquam ministrabit uterque servitor, priusquam aquam iterato mutet; atque uterque limphæ servitor dextram manum extensam et supinatam[1] super cujuslibet fratris pedem dextrum, per illius longitudinem, cum aqua primum suaviter tractet, ac deinde super sinistrum eodem modo, et postea extransversum utriusque pedis in modum crucis manum tenens, eam trajiciet modo quo prius. Si vero abbas affuerit, lotis pedibus prioris aut alterius custodis gerentis vicem prioris, exiet protinus servitor ad mutandum aquam; quod nullatenus fiet in abbatis absencia, nisi lotis/ tantum- [fo. 99b. modo pedibus [presidentis. Sed aquam semper duorum pedibus][2] ante illius mutacionem gradatim ministrabit. Quocienscumque abbas mandato [affuerit],[2] si pedes lavi debeant, statim, ut fuerit ingressus et sederit, surgent duo juvenes, qui ultimo ad mensam steterunt, et ad illum confestim procedent. Ad quem cum pervenerint, suppliciter inclinabunt, et, flexis

[1] *supinatu*, MS. [2] Supplied from O.

humiliter genibus, eum discalciabunt, pedesque illius, ab hora qua antiphonam inchoaverit donec loti et tersi fuerint, inter manus suas tenebunt reverenter; et, cum eum recalciaverint, priusquam recedant, iterum inclinabunt.

Servitor autem de parte presidentis, ad manuum ablucionem, cum manutergio displicato et ante se hinc inde extenso precedet, quem subsequetur alius aquam portans in pelvi; sed ex alia parte, nisi dompnus abbas affuerit, semper aquæ portitor precedere debet, ad cujus tergum veniet alius manutergium tenens inter manus, non ita extensum sed pendens ante illum, nisi dompnus abbas affuerit, ut prefertur. Preterea, ad manuum ablucionem, quicumque in capitulo presidens fuerit, preter dompnum abbatem, ministrabitur ei de togella a servitore qui eam portat quousque manus suas deterserit. Sed, abbate presente, duo seniores surgent, unus ex una parte et alius ex alia parte, una cum servitore qui togellam portat, [et], dum manus suas abluerit et terserit, ministrabunt ei flexis genibus reverenter.

Sanguinati vero si fuerint, quando fit mandatum, capitulum non ingredientur, die scilicet prima minucionis, donec cum aqua ad manuum ablucionem intrent servitores; sed secunda die suæ minucionis, si fiat mandatum, eorum proculdubio pedes, sicut et pedes fratrum et si qui tunc egritudinis causa fuerint extra chorum, tam in claustro quam in capitulo, ablui debent, nisi in pedibus suis aut tibiis aliquo morbo graventur. Debent enim acriter corripi, si qui se unquam a pedum ablucione subtrahant negligenter.

Monachi vero extranei, si affuerint in die quo fit mandatum, si voluerint interesse, intrabunt, sicut dictum est de sanguinatis, inmediate scilicet quando servitores ingrediuntur cum aqua ad manuum ablucionem. Et quociens fuerint ad collacionem monachi extranei, sive fiat mandatum sive non, nisi nostrum habeant capitulum, stabunt exterius ad hostium capituli, aut etiam[1] refectorii,/ ut quando conventus [fo. 100. potum caritatis habet, una cum hostillario suppliciter inclini; qui, si capitulum habeant, usque in ecclesiam cum conventu procedent, et cum hostillario ibidem extra chorum morabuntur.

[1] *in*, MS.

Elemosinarii et subelemosinarii incumbit officio claustrum et utrumque locutorium ab ingressu pecorum et qualibet inmundicia ac re inhonesta, per suos famulos et alios paulo ante enumeratos, cum omni diligencia custodire, atque ostia et seruras utriusque locutorii, et mensam, baccilia, manutergia honesta ad mandatum cotidianum invenire. Qui insuper claustrum et utrumque locutorium, quociens opus fuerit, similiter et refectorium, et maxime semel in anno, in quarta feria videlicet ante Cenam Domini, conventu, dicto completorio, dormitorium ingresso, scopari faciet. Et in die Sancti Sabbati subcelerarius summo mane, priusquam surgat conventus, faciet cum stramura, quæ dicitur "benet," per circuitum claustri sternere, et utrumque locutorium. Elemosinarius autem, a festo sancti Dunstani usque ad festum sancti Michaelis, sterni faciet claustrum et utrumque locutorium junccis viridi[bu]s, quandocumque per famulos suos necesse fuerit. Similiter et elemosinarius in necessaria domo dormitorii faciet fenum per famulos suos habundanter poni, scilicet omni die qua raduntur fratres, sedilibus, et alias similiter, quociens opus fuerit; ad quod in ipsa domo plenarie faciendum, molle fenum secundæ vesturæ de pratis camerarii est specialiter assignatum, ac insuper de molliori feno primæ vesturæ eorundem, si forte opus fuerit, proviso solerter quod nunquam loco supradicto, quod absit, feni defectus habeatur. Debent enim famuli de elemosinaria, quibus jusserit elemosinarius vel socius ejus, crebro visitare locum prelibatum in presencia elemosinarii vel subelemosinarii, atque fenum dirigere et apponere ubicumque viderint necessarium esse, provisa hora qua conventus in dormitorio non fuerit nec in claustro. Omnes quidem mattas super scanna in claustro, videlicet super scannum orientale et super scannum australe, inveniet sacrista, quociens opus fuerit. Mattas in refectorio atque in utroque locutorio celerarius annuatim, contra yemem,/ et mattas in capitulo super scannum aqui- [fo. 100b. lonale faciet renovare, una cum matta longa et larga super quam in locutorio sedebunt sanguinati. Et similiter omnes mattas ex altera parte capituli cum disco ibidem sacrista inveniet. Omnes quidem mundicias in dormitorio et in

domo necessaria subcamerarius per famulos de balniatorio, quociens fuerit necesse, facere tenetur.

Ad elemosinarium siquidem pertinet omnes advenientes pauperes, pro possibilitate sua, de elemosina recreare, atque quoslibet mortuos circa monasterium, quorum non invenitur tanta possessio ut ex propriis rebus sepeliri possint, pannos de subcamerario quibus involvantur procurare. Qui eciam virgas in capitulo, in vestiario, et in criptis, pro disciplinis sumendis, atque scoparla ad omnes mensas in refectorio, cum sportulis ad reliquias a mensis colligendas, et alia vasa pro elemosina recipienda, tenetur invenire. Qui insuper et brevicula defunctorum ad locutorium recipiet ac succentori tradet, et, ut brevicularii corredia consueta plenarie ac honorifice habeant, sagaciter providebit; necnon et victualia incarceratis, cum fuerint ad portam, de elemosina procurare solet. Qui insuper aut per se, si oportunum est, sibi perquirat, aut per veracem famulum cum multa sollicitudine perquiri faciat, ubi egri et debiles circa monasterium jacent, qui non habent unde sustentare se valeant. Si autem ipsemet ad perquirendum et visitandum perrexerit, duos famulos secum habeat, et, priusquam intret domum ad quam ire proponit, mulieres, si aliquæ in ea sunt, exire faciat. Ingressus domum, blande consoletur egrum, et offerat ei quod melius habet et sibi intelligit esse magis necessarium, si secum fecerit escas cum potu deferri, et, si non, prebeat ei signum per quod de re sibi ab ipso promissa et magis necessaria certificare queat. Et si forte eger aliquid ab ipso pecierit, quod penes ipsum non habetur, perquirat illud ei diligenter, si aliquo modo potuerit. In eas autem domos, in quibus mulieres egræ vel debiles jacent, nunquam introeat, sed per unum de famulis quod habere potest et eis necessarium est humanitus transmittat./ Prius tamen [fo. 101. quam aliquid de hiis agat, et maxime privatis diebus in yeme in quibus prima summo mane cantatur, ante cujus rei complecionem hujus rei causa egredi non debet, nisi prius illud priori claustri reverenter ostendat, et secundum illius disposicionem atque consilium elemosinam monasterii eis dispenset. Faciet elemosinarius, pro recta et antiqua con-

suetudine, bis in omni ebdomada per anni circulum, omnibus egenis ad domum elemosinariam advenientibus generalem elemosinæ erogacionem, de reliquiis videlicet fratrum in refectorio et in misericordiæ[1] domo reficientium,[2] prout competencius poterit; atque de reliquiis cameræ abbatis et aulæ et aliorum locorum, ubi fratres recreantur, vel saltem de pane, si reliquiæ deficiunt; quoniam, proculdubio, quocienscumque ad erogaciones complendas panis ei deficit, granarium quod ibidem est continuo ingredietur, et bladum sumet ad sufficienciam pro pane faciendo, hoc proviso quod nullus egenus talibus diebus, quod absit, elemosinæ inde expers recedat; quoniam domus prelibata, ob illas bonas elemosinæ erogaciones, quæ ibidem per singulas fieri solent anni ebdomadas, a plebeis patriæ ydiomate "dolhus" vel "longhus"[3] vocitatur. Idem autem elemosinarius vel subelemosinarius recipit cotidie per refectorarium unum gasconem servisiæ de collecta quæ post prandium, cenam, vel potum conventus in refectorio qualibet die de garla fieri solet.

Hoc autem ordine distribuuntur tria corredia de mandato cotidiano. Precentor qualibet septimana habebit unum ad opus scriptoris sui. Vicarius sancti Pauli similiter habebit unum in ebdomeda, quia omni die Dominico cum pane benedicto et aqua benedicta omnes officinas infra curiam visitabit, et memoriam de Domina cum evangelio, "In principio," in omnibus officinis devote dicet. Similiter, quolibet die Dominico, ad hospitale sancti Laurencii unum. Et similiter cotidie presbiter elemosinariæ habebit unum. Cetera duo corredia ad opus brevigerulorum casu superveniencium erunt, et, si non sint brevigeruli, distribuat eas elemosinarius sororibus vel pauperibus clericulis, prout viderit melius expedire.

/*De capitulo fratrum cotidiano.* [fo. 101b.

Ex veteri consuetudine habetur quod prior cotidie, festis diebus, priusquam agatur sonitus ad capitulum, et in diebus privatis inter missam capitalem, coadunare debet

[1] *misericorda*, MS. [2] *reficientibus*, MS.

[3] A blank left in the MS., and the word "longhus" written in the margin by another hand.

suos collegas, ordinis videlicet custodes, atque de senioribus et aliis fratribus discrecioribus, si necesse fuerit, ad tractandum cum eisdem de cultu religionis et correccionibus aliisque rebus, si quæ fuerint in capitulo preponendæ aut corrigendæ, ne aliquid unquam ibidem ex abrupto aut inconsulte agatur. In capitulo siquidem nunquam est tractandum aut aliquid loquendum, nisi de hiis solummodo quæ ad salutem pertinent animarum; sed de temporalibus quibuscumque negociis extra illud est salubriter colloquendum, et, si qua sunt quæ ad utilitatem ecclesiæ spectant, et absque conventus noticia vel assensu diffiniri nequeant, debent postea in eodem breviter recitari. Ceteri vero fratres, dum ordinis custodes et alii convocati ita ad invicem modo tractant prelibato, in choro interim morari debent, et sedere poterunt qui voluerint, atque, signi ad designandum capitulum incipiente sono, omnes illic sedentes confestim surgere et versi ad orientem interim stare debent. Necnon et fratres, qui alicubi in monasterio sunt, statim convenientes chorum intrabunt, ut omnes pariter processioni intersint, nec aliquis tunc in claustro pro qualicumque occasione sedeat vel moretur. Nullus eorum in choro librum tunc teneat, nec in libro aliquid legat vel inspiciat. Cessante sonitu, presidentem abbatem aut priorem sequantur alii, sicut est ordo conversionis eorum, a senioribus semper inchoantes. Quam ordinate autem capitulum, detectis capitibus, inclinando ingredi et inclinacionem ante suas sessiones singuli facere, aut quam humiliter sibi invicem mutuo inclinare debeant, priusquam iterum capuciis sua capita tegant, vel quam humiliter et composite, sicuti et in choro, ibidem sunt sessuri, aut quam ordinate ad exitum capituli, sicut ad ingressum, omnes pro more antiquo debeant inclinare, non est opus hoc loco plenius inserere, quoniam hæc omnia de humilitatis gestu a fratribus precipue magis spiritalibus cotidiano jugiter habentur/ in usu. Verumptamen hoc pro recta et [fo. 102. antiqua consuetudine quasi pro regula est observandum, quod, quandocumque fratres capitulum intrant, seu a capitulo egrediuntur, vel capitulum aut refectorium pro quacumque causa pertranseunt, detectis humiliter capitibus medio loco

ad majestatem in capitulo et refectorio obnixe inclinabunt, sicut mos est inclinare semper ab intrantibus et exeuntibus seu pertranseuntibus in oratorio. Et si unus vel plures ad eorum exitum steterint inclinati, singuli, ut egrediuntur et per eos transeunt, incedent pro more humiliter inclinati.

Juvenis autem qui martilogium leget inclinabit ante lectrum, priusquam incipiat "Jube, dompne"; positoque libro super lectrum, descendet et iterum inclinabit ad signum presidentis, dicendo "Jube, dompne"; et statim inclinando, dum a presidente profertur benediccio, atque tercio inclinabit priusquam inde recedat, et postea, ad stacionem suam veniens, priusquam sedeat, inclinacionem faciet. Eodemque modo per omnia se geret, si ad collacionem est lecturus. Qui si tarde venerit, ita quod ad stacionem suam priusquam legat non extiterit, posito libro super lectrum, inclinacionem ibidem faciet, priusquam incipiat "Jube, dompne." Atque id idem iterum in ordine suo, priusquam exeat, est facturus. Qui tamen, si potum caritatis habeant, tunc ibidem coram lectro inclinacionem faciet, et usque in refectorium conventum precedet; ubi, non per medium usque ad gradum est iturus, sed, postquam introierit ipsam domum, eam statim pertransibit, a latere se divertens atque incedens, et stabit ad pulpitum superius, donec sederit qui conventui preest. Frater vero si quis forte in capitulum supervenerit, sedentibus aliis, ipse, sicut mos est, hora collacionis priori suo in ordine inclinabit primum ac postea inferiori, qui eciam ambo consequenter eidem vicem mutuo hinc inde impendent. Cum autem ingreditur abbas capitulum, conventu prius ingresso, detecto capite, pro more antiquo, manus et manicas ordinate in crucis modum ante se tenens suo corpori astrictas, capite parumper inclino per medium incedere solet, fratribus eidem obnixe inclinantibus; qui nullatenus sedebunt, quousque/ sedeat ipse, [fo. 102b. juxta quod alibi prelibatum est. Quando vero in martilogio recitatur nomen alicujus sancti, cujus corpus in ecclesia ista requiescit, licet dies ipsius simpliciter est colendus, omnes ad finem clausulæ detectis capitibus inclinare debent; profundius vero inclinabunt, si festum in albis coli debeat, et sic gradatim profundius atque devocius inclinare tenentur, secundum quod

festivitates in cultu excellenciores habentur; ita videlicet quod in duplicibus omnibus et altis duplicibus, in quibus ibidem venia non sumitur, sic se inclinent, ut nec ex toto erigantur nec ex toto sedeant.

Nec pretermittendum est quod tam dompnus abbas, si domi fuerit, quam ceteri omnes ad veniam in principalibus vigiliis, et eciam in aliis in quibus venia capienda est, esse tenentur; a qua si quis se subtraxerit, nisi sit abbas aut prior pro aliqua necessitate, acriter inde corripi debet. Et si qui fortasse ex obedienciariis inmediate post veniam a capitulo exierint, nisi se sciant denuo reversuros, inclinacionem faciant, priusquam egrediantur. Singuli autem fratres in capitulo, quando et quociens audiunt sua nomina in tabula legi, detectis capitibus humiliter inclinabunt; et, quocienscumque dompnus abbas in tabula recitatur, ipso presente, omnes pariter hinc inde id idem sunt facturi. Lectisque et pronunciatis, quæ ibidem legi et pronunciari consuetudo est, factoque sermone, si fieri debeat, et dicto "Loquamur de ordine nostro," ad quam vocem omnes detectis humiliter capitibus inclinare debent, surgent novicii, si qui fuerint minime professi, et dicto "Benedicite," facta humiliter inclinacione, a capitulo egredientur.

Capitulum namque dicitur quandoque illa domus in qua conveniunt claustrales, ut suæ saluti consulant. Quandoque vero dicitur capitulum ipsa congregacio religiosa claustralium. Et potest convenienter dici capitulum, quasi capud litium, quoniam in eo terminantur lites, et si quæ fuerint inter fratres discordiæ aut dissensiones. Est igitur capitulum officina Spiritus Sancti, in qua filii Dei congregantur, ut ei reconcilientur. Atque precipue domus est confessionis, domus obedienciæ, misericordiæ, et indulgenciæ, domusque unitatis, pacis, et tranquillita/tis, in qua quicquid a fratribus [fo. 103. intus aut extra delinquitur, per confessionem et satisfaccionem misericorditer relaxatur. De eo autem quod a plerisque dicitur, quod tres et quinque similiter sunt voces in capitulo, sic est intelligendum: tres namque sunt voces, clamantis, videlicet, respondentis, et judicantis. Et quinque similiter dicuntur esse voces: illius videlicet qui capitulum tenet

dicitur esse vox prima; atque prioris, si abbas capitulum teneat, et aliorum trium ordinis custodum dicitur esse vox secunda, eo quod illorum clamores, si quos facere voluerint, inmediate post clamores presidentis, si aliquos fecerit, fieri debent; et ideo paulisper expectabunt postquam dixerit "Loquamur de ordine nostro," et post venias quæ pro defectibus et variis negligenciis consequenter sumi solent, priusquam loqui incipiant, donec perceperint utrum ipse corepcionem aliquam facere velit. Cantoris autem et succentoris ideo est vox tercia in capitulo, quia præ ceteris specialius de negligenciis ac defectibus quæ in divino fiunt obsequio suos clamores facere tenentur. Sicut enim sacerdotale ministerium precellere dinoscitur ministerium cantoriæ, ita ministerium ordinis custodum, qui obsequium et missam in conventu vice abbatis celebrare, capitulum, collacionem tenere, atque ad skillam sedere, ordinemque servare debent, cantoriæ officio preesse peribetur; nimirum cum plus sit in quibuscumque solempnitatibus missam in conventu cantare, quam ad formam chorum indutus regere. Preterea, si forte contingat omnes ordinis custodes absentes esse, licenciam a claustro egredi ab hiis qui exire necesse habent ab illo, qui tunc prior est in claustro de ordine seniorum, pro more peti debet. Et qui pro tempore prior est de ordine seniorum, ipsis fortasse custodibus egritudinis aut cujuscumque rei causa absentibus, temporibus antiquis capitulum tenuit, et quicquid officii est prioris utrobique supplebit, et non cantor, nisi prior extiterit de ordine seniorum. Fratres quidem quibus de silencio et aliis defectibus in ordine loqui specialiter est injunctum, suos, inmediate post cantorem et succentorem, facient clamores, eo quod silencium tocius ordinis clavis appellatur, et ideo quartam in capitulo dicuntur habere vocem. Atque continuo post illos elemosinarius et subelemosinarius ad loquendum/ de elemosina, si necesse fuerit, [fo. 103b. quintam habent in capitulo vocem. Hoc observato semper, qualicumque hora juniorum noviter professorum magister, sive custos ordinis fuerit sive non, super suos discipulos facit clamores, quod presidens ei diligenter intendat, et quod acrius eos corripiat et, si necesse videatur, asperius

in eos judicium excerceat, quociens[1] pro qualicumque re ab eo proclamentur, quam si ob tres causas prelibatas a quovis alio vocentur ad aream, quoniam proculdubio, si juvenes sub arta et jugi sint disciplina et sui magistri monitis suppliciter inclinati, ordo multo melius et vix aliter in congregacione vigebit.

Predicti vero fratres, [quibus][2] una cum custodibus injunctum est de silencio loqui, aut debent fratres proclamare, aut eis dissimulando parcere, quoniam nulli custodi extra capitulum debent inde mencionem facere, nisi magistro noviciorum, si voluerint, de suis noviciis. De hiis autem tribus predictis, de officio scilicet divino, et de silencio, atque de elemosina, omnibus et singulis qui de custodia absolvuntur, cum voluerint, loqui licitum est; sed non de rebus aliis, nisi quisquam forte pro aliqua justa et racionabili causa aliquid bono modo et breviter dicere velit, quod ad conventus honorem et ordinis observanciam videatur pertinere, ut in omnibus semper profectus spiritalis effectum debitum sorciatur.

Septem vero aut octo seniores, qui dicuntur senpectes,[3] de uno choro et totidem de altero, qui primi sunt in ordine post abbatem et priorem, et una cum priore et aliis custodibus ad abbatis consilium, quociens opus fuerit, præ ceteris familiarius accersiri solent, loqui solent et debent cum omni mansuetudine et modestia, quantumque necesse videbitur, pro ordinis observancia et sanctæ religionis augmento. Sed licet curam custodiæ ad invicem in caritate omnes pariter debeamus, nulli tamen inferiori sub eisdem in ordine pro aliquo intercedere seu aliquid loqui licitum est, nisi a presidente sit jussus, vel de divino servicio, aut de silencio, vel de elemosina loquatur modo preostenso, nisi aliquis obedienciarius seu frater discretus quippiam salubriter proferre decreverit. Quando autem aliquis ibidem pro statu religionis, aut/ ecclesiæ [fo. 104. negociis, seu communi utilitate loqui consueverit, tam a presidente quam [a] ceteris omnibus diligenter audiatur, nec aliquo modo a quoquam reprehendatur ejus sermo, nisi forte aliquid proterve pronunciet. Et si cui forte aliquid displicet

[1] *quo*, MS.
[2] Supplied from O.
[3] *qui dicuntur senpectes*, written over an erasure.

ex hiis quæ ibi recitantur, cum modestia et summa reverencia sine aliquo scrupulo contencionis in medium proferre non differat, ita ut nec discordans contencio ad subversionem ordinis locum inveniat; sed perturbatores capituli et inobedientes, atque cum suis superioribus alicubi proterve contendentes, ut ceteri timorem habeant, acriter corripiantur vel coherceantur verbis, verberibus, et jejuniis, ne, tanquam oves morbidæ, veneno suæ maliciæ et malo exemplo inficiant sanas oves. Et, si contumaces et incorrigibiles permanserint, a monasterio, ut regula precipit, expellantur.

Nullus autem, et maxime in capitulo, aliquod verbum asperum aut molestum pro qualicumque causa presidenti inferre debet, cum idem vicem Christi pro tempore gerat, quin aut per ipsum presidentem inde continuo, aut per alios ordinis custodes, corripiatur ibidem, vel eciam, si opus fuerit, ut si proterve loquatur, ab omnibus senioribus pariter una voce quasi a toto conventu acriter proclametur. Et, quia censura regularis nulli parcit delinquenti, non consuevit antiquitus aliquod delictum absque reprehensione aut vindicta meritoria inultum pertransire; sed tantus in capitulo extitit ordinis rigor, quod, si dompnus abbas contra ordinem aut consuetudines approbatas in aliquo offenderet, ad emendacionem faciendam in capitulo monebatur, vel, si culpa palam esset, in suis capellanis coram omnibus a priore proclamatis, juxta offensæ quantitatem, deprehendi consuevit; necnon et prior, presente abbate, competenter clamabatur. Sed, quia personis et dignitatibus leges et canones parcere solent, aliter sic postea micius est provisum, videlicet, ut, si dompnus abbas contra ordinem in aliquo offenderit, cum non sit supra regulam, sed observacioni astrictus regulari, cum omni reverencia extra capitulum ab uno aut duobus ordinis tutoribus leniter ammoneatur, vel, si culpa palam est et necesse videatur, ut vide/licet offendere sit assuetus, poterit ei de consilio [fo. 104b. seniorum coram omnibus in capitulo ejus leniter intimari offensa.

Accidit autem quod pro quadam offensa abbas in capitulo omnes habentes administracionem aliquam generaliter proclamabat; quibus surgentibus, prior ignoranter, vir simplex

et trepidus, cum eisdem ad aream processit, et veniam cum aliis sumpsit; quod abbas comperiens jussit ut recederent, ac unusquisque in ordine suæ conversionis resideret; cum quibus prior, jussioni suæ obtemperans, relicta sede prioratus, in ordine suæ conversionis incaute resedit. Unde in conventu dissensione vehementi et admiracione exorta, vix obtinuerunt ut ad sedem prioratus denuo redire posset. Qua de causa statutum est ab abbate, unanimi assensu et voluntate ac petitione tocius capituli, ut nunquam in posterum prior, vel qui vice prioris conventui in capitulo preest, pro aliquo reatu a loco surgat, ut longam sumat veniam, sive abbas affuerit sive non; sed, si tam enormiter offenderit presidens, in abbatis absencia, et quod eodem instanti suo supplicatu conventui pro illa offensa satisfacere non possit, si supprior vel alius custos inferior fuerit, in proximo capitulo coram abbate vel priore veniam sumendo culpam suam humiliter recognoscat; sed, [si], abbate presente, prior, vel alius qui una cum abbate conventui prefuerit, offenderit in aliquo, leniter ab abbate correptus in loco quo residet, quasi curtam veniam sumendo, versus abbatem suppliciter inclinabit, emendacionem, ut moris est, humiliter policendo, et hoc pro levibus et minoribus culpis. Pro majoribus vero offensis, si prior deliquerit, ipso suppliciter, in loco quo sedet, quasi curtam sumente[1] veniam, modo prelibato, surgent duo ex senioribus ad nutum et peticionem ejusdem prioris, et veniam pro eo ad aream coram abbate sument, quasi in persona illius, emendacionem de commisso una cum eodem humiliter pollicentes; quibus, ex seniorum et saniorum assensu, injunget abbas penitenciam juxta delicti quantitatem, quasi personæ prioris, proviso humanitus et misericorditer quod talis sit penitencia eidem injuncta, ut suæ preferenciæ nullatenus deroget; quam idem prior supliciter admittens devote adimplebit. Sed, si supprior fuerit, vel alius inferior eo, sicut et alii fratres, ad aream in crastino capitulo, si/ jusserit abbas, culpam cognoscendo veniam est[2] [fo. 105. sumpturus. Abbas vero in tanta veneracione habere debet priorem vel alium qui vice prioris una secum in capitulo presidet, ut, si forte ibidem residens aliquod verbum indiscrete

[1] *sumentem*, MS. [2] *esse*, MS.

aut inordinate in medium proferat, quod non eodem instanti illum inde increpet, set, terminato capitulo, qua voluerit hora, aut inter seipsos solos, aut eciam coram aliquibus fratribus, si ita decreverit, leniter eum reprehendat, vel eciam acriter, si ita delinquere fuerit consuetus. Omnes autem de congregacione fratres, cum in aliquo offenderint, eciam si in infirmitorio jaceant et incedendi habeant facultatem, corripi, et si opus fuerit eciam proclamari, debent, non tamen superflua aut exosa curiositate sed spirituali et pura dileccione.

Sicut autem omnium communis est professio, ita omnium communis esse debet correccio regularis, ut nichil unquam pertranseat inpunitum. Dicit enim beatus Anselmus quod in monasterio ubi minima, gestus scilicet et prolacionis diccionum atque cantus et quarumlibet observacionum disciplinæ regularis, instituta discrete custodiuntur, ibi rigor ordinis monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter fratres, et in capitulo proclamaciones conquiescunt. Qui ergo de virtute in virtutem et de profecto ad profectum voluerit ascendere, semper timere debet in singulis minimis ordini contrariis, quoniam paulatim defluit qui minima spernit. Et quanto gradu aut etate sunt provecciores et magis in ordine experti et excercitati qui delinqu[u]nt, tanto ampliore correccione sunt digni, quoniam major noticia legis plus facit hominem reum, et grave nimis est hominem instructum delinquere. Quando vero aliquis de obedienciariis pro qualicumque proclamatur offensa, non debet ex usu moderno cognomine suæ obedienciæ provocari, ut dicatur sic, "cantor," vel "sacrista," vel "celerarius," nisi fuerit pro aliquo defectu aut transgressu in sua facto obediencia, vel pro aliqua re ad suam specialiter obedienciam pertinente; sed puro nomine est provocandus, cum numero nominis sui deputato, sic, "nonnus A. quintus" vel "nonnus B. decimus." Verumptamen antiquitus non per aliquod cognomentum de seculo proclamabantur fratres, ut sic diceretur "A. de Thaneto" vel "de Dovoria," seu/ [fo. 105b. hic aut ille de tali loco; sed per ordinis aut spiritalis officii cognomentum, si fieri posset, hoc modo: "nonnus Johannes presbiter," "diaconus," "subdiaconus," "secretarius," aut

"infirmarius," vel aliquod hujusmodi. Et si is[1] qui clamabatur cum uno aut pluribus commune nomen habuisset, nisi clamans per aliquod spiritale cognomentum ita eum specialiter discerneret, ut nulla de tali persona fieret dubitacio, omnes qui eodem nomine appellabantur, cum festinacione surgentes ad sumendas venias, se humiliter presentabant, et tunc clamator reum presidenti determinate innotuit; quæ, ut prefertur, determinacio ab ordinibus fiebat sive officiis spiritalibus; sed illa consuetudo antiqua ab usu jam penitus recessit modernorum.

Interrogatus more solito qui clamatur, dum ad aream se prosternit, quid dicat, ad omnes venias humiliter respondeat "Mea culpa." Cum societatem postulat, aut obedienciæ absolucionem; aut cum aliquis frater petit absolucionem et misericordiam pro patre et matre, fratre aut sorore, vel pro aliquo propinquo noviter, et postquam venit ad ordinem defuncto; vel cum unus aut plures pro eo qui in gravis culpæ satisfaccione positus est cum prostracione misericordiam petunt; vel cum frater aliquis in sacris ordinibus ordinandus est; aut cum aliquid magnum et arduum suisque viribus impar fratri injungitur—in hiis et hujusmodi hoc modo respondetur: "Dei misericordiam et vestram requiro et obsecro," et cetera, sicut racio rei pro qua petitur expostulat. Omnes vero peticiones quæ ad aream in capitulo fiunt, petita prius cum prostracione misericordia, stando a petentibus fieri solent; nisi quando monachus alterius congregacionis societatem et beneficium monasterii requirit, vel quando aliquis sacerdos aut clericus habitum petit monachalem, seu quando novicius minime professus postulat ut sibi concedatur monastica benediccio, aut quando petit consequenter ut eam salubriter recipere possit: quia hujusmodi peticiones ab humo interim humiliter prostratis totaliter fieri debent, priusquam se erigant. Clamato super eum a quo clamatus est in ipso capitulo clamorem facere non licet, ne forte hoc ira fie/ri videatur. Clamatus semel aut [fo. 106. quocienscumque, postquam sederit, non reclamabitur, nisi pro tali sit culpa quæ induciones habere non debeat. In crastino

[1] *hiis*, MS.

minucionis clamatus aliquis minutorum surgat, et ad aream continuo procedens suppliciter ibidem stando se inclinet; quod cum fecerit, aliquis seniorum, cui minucio nota est, priori dicere debet quod frater ille minuitur, et tunc intimetur eidem ita stanti offensa pro qua est clamatus; et, maxime, si de vena brachii fuerit minutus, et si culpa levis sit, indulgeatur ei. Si autem talis fuerit quæ sine corporali disciplina dimitti non debeat, in alium diem differatur.

Si vero compertum fuerit, aliqua hora, quod ad invicem loquantur fratres in capitulo, quorum verba non dirigantur ad tenentem capitulum, ibidem ordinate protinus emendetur; vel si indiscrete aut inhoneste seu clamose aut proterve aliquis ibi loquatur, et ob hoc ab aliquo ordinis custode aut seniore dicatur presidenti quod talis frater male aut inordinate loquatur, vel eciam ipse presidens illud idem dicat, quod videlicet inordinate loquatur aut inordinate se gerat, continuo, ut vocem illam audierit, ille frater surgere et sicut pro aliquo clamore ad aream incedere debet. Nemo ibi cum uno aut pluribus loquatur, nec extransversum capituli signum aliquod faciat, seu irascendo aut superbiendo aut subridendo inordinate adversus aliquem respiciat, vel pro quavis re sermonem alicui extransverso vel a latere dirigere presumat; quod si fecerit aliquis, a percipiente continuo proclametur, atque a presidente inde corripiatur, quoniam quicquid ibidem profertur a rectore ordinis et a toto conventu audiri debet, atque ad ipsum presidentem humiliter dirigi et mansuete. Juvenes, preter illos quibus injunctum est de ordine loqui, omni voce in capitulo carere debent, nisi quando proclamantur, et nisi presidens fortasse ab aliquo eorum quippiam specialiter ibidem inquirat; tunc enim cum omni humilitate et reverencia ad rem inquisitam breviloquio est responsurus. Ubi nullus unquam simulatorie vel inhoneste aut aspere seu aliquod verbum/ duplicitatis aut contrarietatis [fo. 106b. proferre debet, et maxime ad aream; sed debet unusquisque, cum illic corripitur, humiliter de commisso aut emendacionem promittere, vel quod non recolit culpam sibi objectam suaviter respondere. Sermo tantum ibidem sit de utilibus et de hiis quæ ad ordinem pertinent, ut premissum

est. Loquente uno, taceant alii. Verba loquentis nemo interrumpat, preter illum qui rector est ordinis; cui licet loquenti precipere ut sileat, si forte sermo illius ei superfluus et inutilis videatur. Rectore ordinis incipiente loqui, eciam si aliquis tunc loquitur confestim sileat, et summum interim ab omnibus fiat silencium. Et, ut prefertur, reliqui ordinis custodes, post abbatem et priorem, reverenter præ ceteris audiantur.

Nullus in capitulo loquetur, prostrato aliquo. Frater vero judicium suscepturus aut sola grossiori virga, pro more antiquo, super staminam verberetur et prostratus jaceat, aut eciam, prout in usu moderno habetur, pluribus gracilioribus virgis et nudus sedeat, operto capite cum habitus sui extremitate, ita quod aliquid videatur de corona. Utroque modo consuevit antiquitus dari in capitulo disciplina, ad arbitrium ordini presidentis, considerata qualitate et quantitate culpæ. Dum autem hujusmodi corporalis disciplina infertur fratri, omnes inclinato et operto capite sedere, et pio ac fraterno affectu compassionem super eum habere debent. Interim nemo in capitulo loqui debet, nemo ad eum respicere, excepto presidente et judicium inferente, exceptisque gravioribus personis prelibatis, quibus licet pro eo intercedere. Disciplinam corporalem inferat unus aut eciam duo, quicumque illi sint, quibus a presidente injungitur, nec cessent in actu donec qui prefuerit satis esse dijudicaverit; hoc observato, ne juvenibus id facere injungatur, sed proveccioribus etate vel ordinis tutoribus. Precipue tamen illud officium pertinet ad illos qui deputati sunt ad confessiones audiendas. Clamator tamen ei, super quem clamorem fecit, in capitulo judicium non faciet. Qui vero humanitus ex casu peccat, castigetur verbis/ vel virga sola, aut, si [fo. 107. oporteat, levi culpa, pro personæ reverencia. Eodem modo quo majores, jacentes vel sedentes, suscipiant juniores judicium in capitulo et duplici flagello, si culpa exegerit. Quando vero aliquis pro violencia aut qualicumque transgressu ad aream in capitulo specialiter absolvitur, nisi sit pro magis enormi et graviore offensa, ab ore unius aut duorum solummodo, quibus a presidente est injunctum disciplinam ei

inferre, absolucio rite proferri debet, et ab aliis nequaquam, quoniam, si is[1] qui absolvere jubet absolvendi habeat facultatem, ipse aut ipsi qui illius jussione fratrem absolvunt eadem proculdubio utuntur potestate. Post ordinatam vero correccionem, de qualicumque transgressu fratris ibidem factam, nullus inde presumat ulterius intus aut foris aliquam facere mensionem; et, si quisquam hoc facere repertus fuerit, quod absit, severa coherceatur vindicta.

Nullus ibi aliquem clamorem faciat, nec quicquam sermonis ad presidentem dirigat, nec conventui aliquid exponat aut referat, pro qualicumque necessitate aut utili negocio, nisi cum humilitate, leniter, mansuete, atque, ut moris est, detecto interim capite reverenter. Si autem presidens alicui parcat delinquenti, et eum in capitulo absque clamore movendo castiget, frater ille, audita[2] correpcione, continuo, quasi regraciando, detecto capite versus eundem ita reverenter inclinabit, ut nec ex toto erigatur nec ex toto sedeat, quemadmodum inclinare solent novicii, quando inter loquendum in claustro a suo corripiuntur magistro; quod nulli alii in claustro facere licet, nisi solummodo presidenti. Ceterum non licet absolvi fratrem positum in abstinencia aut in aliqua gravi penitencia sine judicio, absente dompno abbate, si ipse abbas, antequam frater absolvatur, supervenerit, nisi ipse concedat. Sed, si forte ex communi institucione provideatur quod idem frater comedat, sicut et alii, pro reverencia adventus abbatis, antequam hoc sciat, referetur postera die culpa fratris a priore abbati, ut ex suo pendeat arbitrio quod inde misericorditer fieri velit.

Juvenis vero ad scillam in refectorio serviens, si pro aliqua culpa abstinere debet, removeatur ab/ ea quamdiu [fo. 107b. abstinebit; quod tamen sine jussu abbatis, si presens fuerit, fieri non debet. Si quis autem fratrum de cotidiano pauperum mandato faciendo fecerit defectum, injungendum est ei, pro more, ut aquam tantum bibat, et comedat sicut aliis solet diebus. Cui si tamen presidens potum de mensa misericorditer destinaverit, poterit ex tunc bibere, sicut et ceteri fratres. Sed cui sentencialiter est injunctum ut in pane

[1] *in hiis*, MS.
[2] *audito*, MS.

solo et aqua abstineat, aliud tunc commedere aut bibere non poterit, nisi ei aliquid commestibile a presidente destinetur, qui et tunc, sicut alii, comedere poterit; et, si potus ei similiter ab eodem destinetur, poterit eodem modo bibere, sed non aliter. Et ideo generalia illius elemosinæ nullatenus dabuntur, nisi ita in capitulo specialiter sit preceptum, quoniam, si hæc eidem jussu superioris subtrahantur, nichil omnino preter panem et aquam comedet aut bibet, nisi illud tantummodo, si quid ei a mensa fortasse fuerit destinatum.

Frater vero, qui pro suo transgressu ultimo loco ponitur, in perpetuo erit silencio. Si de carcere ad illum locum venit, ad aream cotidie veniam sumet, culpam suam cognoscens ac judicium sumens, quousque eidem culpa relaxetur. Qui dum in tali fuerit sentencia, quociens et quamdiu conventus in claustro sederit, ipse secus hostium capituli psalmos dicendo Daviticos humiliter residebit; nec alium librum quam psalterium respiciet quousque absolvatur. In choro interim nichil in auditu proferet, nec cum aliquo loquetur, nisi prior vel juniorum magister, si nondum a custodia fuerit absolutus, verba edificatoria eidem ordinate dicere voluerit. Non celebrabit missam, nec communicabitur, nec ad missam defunctorum oblacionem faciet, quousque absolvatur. In die quo fit mandatum, secus hostium capituli pedes sibi abluet; cujus proculdubio postea, sicut et aliorum, in capitulo abluentur, atque ad Sanctam Brigidam, si contingat, procurante priore claustri aut magistro juniorum, si nondum de custodia fuerit absolutus, sub silencio radetur.

Si autem in capitulo aliquis proterve aut tumultuose loquatur, poterit et debet qui presidens est ei silencium imponere, quousque capitulum terminetur; qui tunc post capitulum/ loqui poterit, sicut et alias consuevit. [fo. 108. Si fortasse nimis fuerit loquax atque protervus, et ob hanc causam injunctum fuerit ei silencium, tam in capitulo quam ad unum tantum colloquium, ut in diebus in quibus semel in claustro est loquendum, debet inter loquendum, psalmis devote intendens Daviticis, secus hostium capituli humiliter residere, atque eadem hora radi, si ipso die radantur; qui, finito colloquio, utrobique se geret sicut aliis solet diebus.

Sed quando alicui inponitur silencium ab uno usque ad aliud capitulum, vel eciam ulterius, juxta decretum presidentis, ita quod in capitulo, in choro, atque in refectorio in ordine suæ conversionis remaneat, in claustro similiter loco quo ejus ordo deposcit, sicut et alias, residebit,[1] proviso quod nullo loco aliquid quamvis parvum cum aliquo loqui videatur, nisi fuerit, ut prefertur, cum priore vel cum suo confessore. Qui eciam quem voluerit librum respiciet, et, si servicium suum nondum perreddiderit, poterit repetere voce suppressa; sed nullatenus reddere debet. Hoc observato, quod inter loquendum, diebus quibus in claustro loquetur, juxta hostium capituli humiliter sedeat, nec alium codicem quam psalterium tali hora respiciat; et eadem hora radi debet, si terminus sit radendi, quia tenetur esse totaliter in servicio sine aliqua diminucione. In choro autem, eo quod ordinem suum tenet, psalmodizare in conventu et cantare potest et debet; sed solus per se nullatenus cantabit aut leget. Et tamen a senioribus olim est recitatum, quod leccionem legere poterit et versum responsorii, tam in sua stacione quam cum alio fratre, ad gradum cantare, si in tabula fuerit, et non aliter; ita tamen quod indutus non legat aut cantet, nisi cum totus indutus fuerit conventus. Missam vero celebrare, aut communicare, vel circa altare ministrare, aut oblacionem ad missam defunctorum interim facere non debet.

Si quis autem pro qualicumque causa a claustro exierit, si loqui debeat, dicet prius "Benedicite," quia nulli licitum est unquam loqui, priusquam illud dixerit vel ab aliquo alio illud ordinate prolatum audierit. Incumbit autem post abbatem priori, et ceteris ordinis custodibus, ubi ad in/vicem conveniunt fratres ad loquendum, sive [fo. 108b. plures fuerint sive pauciores, "Benedicite" in auditu proferre. Et si nullus custodum affuerit, debet qui prior et senior est in ordine illud ordinatim pronunciare; quod, si extra capitulum utrobique debeat observari, multo districcius in capitulo, ubi totus est conventus, est rite observandum. Nam revera istud pro recta et antiqua consuetudine habetur, quod ingrediens frater capitulum fortasse, loquentibus aliis, postquam videlicet

[1] *aliquis residerit*, MS.

a presidente prolatum fuerit "Benedicite," ut loquatur de ordine, dicet et ipse in auditu "Benedicite" statim ut sederit ordinate, priusquam loquatur. Egrediens vero a capitulo non faciet inclinacionem, nec dicet "Benedicite," si est rediturus; sed, si non est reversurus, utrumque proculdubio faciet. Ideo autem superius dicitur "fortasse," quia corripi debet, pro more antiquo, si quis tam tarde, postquam videlicet loqui inceperit, in capitulum venerit, nisi pro justa sit et racionabili causa, vel de infirmitorio aliquis sit vocatus; quoniam stagiarii seu alii fratres in infirmitorio jacentes, nisi vocentur, in capitulo non venient, exceptis vigiliis principalibus in quibus ibidem a conventu venia est sumenda.

Nullus autem unquam obedienciariorum ex recta et antiqua consuetudine vocari debet ad aream, ut ibi constituatur, sed eodem loco quo sedet debet ei qualiscumque obediencia injungi atque commendari; nimirum cum nullus causa suæ creacionis ab ordine suæ conversionis ad alciorem gradum promoveri debeat, nisi solummodo prior. Supprior vero aut tercius prior, quando ei ordinis custodia commendatur, sicut et alii fratres, quando eis committitur aliqua obedienciæ cura, detecto capite supliciter inclinabit, et si suæ conversionis ordo, illius videlicet qui supprior constituitur, in choro prioris tunc fuerit, erigens se continuo inclinacionem humiliter faciet, et usque ad ordinem suum ex alia parte capitulum pertransibit, atque in transeundo medio loco ad majestatem obnixe inclinabit. Qui, si forte pro misericordia impetranda ad aream incedat et absolvi nequeat, ad stacionem suam, ut ibidem modo prelibato inclinacionem faciat, denuo revertetur. Eodem modo [fiet][1] de tercio/ priore, si [fo. 109. ordo ipsius in choro fuerit abbatis, quando ei committitur illius cura custodiæ. Similiter et de quarto priore, si ipsius ordo fuerit ex choro prioris, fiet. Talibus autem curæ exteriores committi debent, qui ordine sunt exercitati et Deum timent, atque temporalibus excercitiis[2] illius semper officium preponere volunt. Nullus autem fratrum pro alicujus causa officii exequendi ab uno choro ad alium ammoveri solet, preter solummodo ordinis custodes, cantorem et succentorem; de

[1] Supplied from O. [2] *excerciis*, MS.

quibus hoc ideo fit, quia supprior et quartus prior atque precentor in dextro choro semper esse debent, et tercius prior atque succentor in choro sinistro. Quando vero dompnus abbas aliquem fratrem in capitulo pro qualicumque causa ab uno choro in alium removet, cum audierit ille frater eum dicentem ut surgat et ex alia parte in ordine suo sedeat, detecto statim capite suppliciter inclinabit, ac erigens se continuo inclinacionem faciet, atque in transeundo ordinate medio loco ad majestatem obnixe inclinabit.

Quocienscumque autem alicui seu quibuscumque fratribus a presidente in capitulo aliquod preceptum, vel aliquis sermo pro qualicumque causa specialiter dirigitur, sicut quando pro egritudine alicujus, aut habitum monachalem suscipiente, seu monasticam facturo professionem, aut quavis alia re, peculiaris oracio conventui injungitur misericorditer facienda, singuli, ut erunt sedentes, detectis capitibus humiliter inclinabunt, et quod eis est injunctum devote ducent ad effectum.

Dum autem conventus in capitulo residet, nullus frater, sicut nec aliquis secularis, ante hostium capituli exterius pertransibit in illa parte claustri, nec in alia ex opposito juxta cameram abbatis, nisi fuerit jussus ; sed neque ad collacionem, post ingressum presidentis, poterit aliquis frater absque reprehensione locis pertransire memoratis.

Quod autem in capitulo unanimi omnium assensu et voluntate est provisum, a presidente approbatum, et jussum fieri aut teneri, quicumque ex custodibus presidens tunc fuerit, cum omni mansuetudine et concordia sanctæ pacis, absque omni contradiccione, est observandum,/ atque [fo. 109b. firmum erit et stabile ; nec ab aliquo unquam revocari aut infringi poterit aut debet extra capitulum, licet aliquid incommoditatis sive inhonestatis haberi videatur in eo quod sic est provisum et jussum ; et maxime usque ad crastinum capitulum stabilitatis robur semper optinebit. Quod autem a presidente inhibitum est, ne ulterius fiat aut exequatur, nullo modo a quoquam ex tunc, quod absit, producetur ad actum, nisi ex communi assensu capituli quod prohibitum est postea revocetur. Quod si prius aliqui agere attemptaverint, per legem monasticam et capituli censuram ita castigentur, quod

castigacio illa in casu consimili timorem prebeat aliis delinquendi. Non enim considerare debent monachi, ut ait beatus Anselmus, quam parva sit res quam contra prohibicionem faciunt, set quantum malum sit inobediencia quam pro parva re incurrunt. Sola enim obediencia potuit hominem in paradiso retinuisse, unde per inobedienciam flebiliter est ejectus.

Si autem dompno abbati placuerit aliquem fratrem, pro suis meritis et conversacione sancta ac discrecione, juxta tenorem regulæ capitulo 63,[1] honorare et, considerata personæ illius honestate, inter senpectas vel eciam inferius in superiorem aliquantulum a suo ordine constituere locum, cum audierit frater ille dictum sibi ab abbate in capitulo sedente ut surgat, et juxta illum vel illum fratrem nominatim superius sedeat, confestim se erigens ad pedes abbatis directe procedat, et eos, si permiserit, osculetur; ac postea ad locum ubi precipitur sessum pergat, ac fratribus hinc inde inter quos locatur suppliciter inclinet, atque ipsi illud idem mutuo rependent; qui ex illa die tam eodem loco quam in choro, in claustro, et in refectorio, quam ad processiones, ipsum locum teneat.

Prolatis in capitulo quæ proferenda sunt, et correctis quæ corrigi oportet, debent cotidiano more animæ fratrum et benefactorum nostrorum defunctorum a presidente specialiter absolvi; et hoc fieri potest et debet, licet mille correcciones ibidem agantur.

Postquam vero inceperit presidens capitulo finem inponere, nulli licitum est unquam ibidem aliquod verbum in medium proferre. Terminato autem capitulo, die quo in claustro loqui debent,/ sive in ecclesiam prius sunt ituri sive non, [fo. 110. ferietur tabula manualis a priore, et a dompno abbate, si affuerit, subjungetur[2] "Benedicite"; quia nunquam revera, nisi hora et tempore quo tenetur capitulum, loqui communiter possumus, nisi prius tabula feriatur. [Per] percussionem tabulæ nostra mortalitas designatur, quoniam ad hoc seculum pro mortuis reputamur, atque per tabulæ percussionem salubriter monemur ut, mortem nostram præ oculis semper habentes, in

[1] Altered by another hand into 61. [2] *subjunget*, MS.

locucione, gestu, et accione peccare dimittamus.[1] Hinc eciam est quod ipsa tabula post capitulum trino ictu tangitur, ut novissima nostra, juxta illud sapientis: "Memorare novissima tua," et cetera,[2] jugiter memoremur, ingressum videlicet flebilem in hunc mundum, et statum in hac peregrinacione difficilem, atque egressum ab hac luce tristem et horribilem. Et, sive inmediate post capitulum in ecclesiam pro qualicumque obitu sint ituri sive non, inclinacionem facient singuli ordinate, priusquam egrediantur, illo incipiente qui tabulam sonatilem priori gestabit; qui videlicet, cum surrexerit, priusquam a loco recedat, ut tabulam priori portet, illud esse facturus. Et quia nullus in claustro sive in locutorio, nisi sedeat, loqui debet, ibunt omnes in silencio, quousque sederint in locis ubi loqui solent. Sed, si ad ecclesiam perrexerint, statim ut ab ecclesia fuerint egressi ultimi juniorum, presidens ad hostium ecclesiæ in claustro percuciet tabulam, et pronunciabit continuo in auditu "Benedicite," ita ut a singulis possit audiri; et tunc sedentes cum timore Dei et sanctæ disciplinæ, prout moris est, de ordine loquentur.

De excommunicacione et satisfaccione reatus, qui in respectu gravis offensæ levis culpa nuncupatur.

Ad levis culpæ satisfaccionem aliquis fratrum adjudicatus a participacione communis mensæ separabitur, usurus tamen cibo et potu quibus alii fratres, nisi ei nominatim fuerit interdictum; refecturus hora nona, si fratres sexta, vel ad vesperam, si fratres hora nona. In choro et in capitulo erit in ordine ubi esse consuevit, aut eciam ultimus omnium, vel inter utrumque, secundum quod culpa fuerit et abbas preceperit. In ecclesia missam non celebrabit; epistolam, evangelium,/ vel leccionem non leget; gradale vel [fo. 110b. alleluya vel responsorium non cantabit; antiphonam super psalmum non inponet, nec aliquid hujusmodi, nisi convenienter cum ceteris. Ad candelabrum vel ad thuribulum non se revestiet; neque ad oblacionem, vel ad pacem, seu ad sanctam communionem accedet. Circa finem uniuscujusque

[1] *dimittemus*, MS.

[2] Ecclest. vij. 40.

horæ regularis, tam diei quam noctis, cum incipiunt Kyrieleyson, procedens in medium prosternet se ante gradum, ubi benedicciones accipiuntur; ibique tamdiu prostratus jacebit, donec, finita oracione, dicat sacerdos "Qui tecum vivit," et cetera; et tunc surgens inclinabit se, atque ad stallum suum revertetur. Et similiter post secundum nocturnum ad matutinas, sicut in laudibus et aliis horis, ad gradum se prosternet, ita quod inter preces ad primam, cum dicitur a sacerdote versiculum "Qui redimit de interitu," erigat se et confiteatur modo quo subsequitur. Dominicis vero diebus, ac solummodo in festis duodecim leccionum supervenientibus, ab hac satisfaccione quiescet in tantum, quod ad gradum non accedet circa finem horarum; sed humiliabit se in loco suo, sicut et ceteri, atque post festum, nisi ante sit absolutus, iterum se prosternet ut prius. Dum autem fratres in refectorio comedunt, ipse sit in ecclesia psalmis et oracionibus devote intentus. Cum vero placuerit abbati ab hac satisfaccione eum absolvere, et abbas tunc in capitulo fuerit, veniet frater ad aream cum prostracione, petens misericordiam, et, rogantibus fratribus, dicet ei abbas: "Indulta sit tibi hæc culpæ levis satisfaccio," vel aliquod hujusmodi. Quod cum dixerit, accedet statim frater ad pedes illius, et postea, ipso jubente, in locum suum libere revertetur. Si vero abbas infirmus vel aliquo modo absens fuerit, licitum est priori, vel ei qui ordinem tenet, absente priore, hoc totum facere; sed non extra capitulum, quoniam prior nullam sentenciam indicere potest aut relaxare debet, nisi tantummodo hora debita in capitulo, ex assensu conventus. Nec eciam abbas, cum domi fuerit, aliquod tale est facturus, nisi tantum in congregacione fratrum.

Sequitur modus alius acrior aliquantulum de excommunicacione et satisfaccione culparum.

Quando aliquis fratrum sentencialiter ponitur ultimus ad laternam, in perpetuo silencio semper esse debet, et simi/liter ad panem et aquam in quartis et sextis [fo. 111. feriis, si abbas vel qui presidens est in capitulo ita decreverit.

In ultimo loco erit in choro; atque post completorium versus dormitorium incedendo, sicuti et ad omnem processionem, ultimo loco incedet. Nulla vox ab eo, quamdiu sic penitet, audiatur; nec in choro psalterium inspiciat, nisi solummodo inter missas; nec ad sanctam accedet communionem; nec offeretur ei incensum, dum tali loco assistat, quando conventui in xij. leccionibus ad vesperas incensum ministratur. Sedere enim non debet, nisi cum innuerit ei magister suus, nisi quando sedet uterque chorus, ut cum dicuntur quindecim psalmi vel leguntur lecciones ad matutinas seu ad vigilias mortuorum.

De generali confessione ab eodem agenda. Inter preces vero ad primam et ante completorium, si de choro prioris sit et prior in choro fuerit, eidem ante stallum suum humiliter incedens generalem faciet confessionem. Si vero prior non affuerit, tunc seniori qui prior in ordine fuerit de choro illo faciet quod predictum est, nisi tercius prior conventui prefuerit, quia tunc ei proculdubio confitebitur, vel, si forte coram eodem tercio steterit priore, quia tunc a loco non recedens, in prioris absencia, confitebitur cum eodem. Si autem ex parte abbatis ultimus collocetur, tunc in absencia abbatis et prioris confessionem faciet suppriori, aut eciam quarto priori, si conventui prefuerit. Sed si prior sit in choro, absente abbate, nec suppriori, ex usu moderno, nec quarto priori confitebitur, nisi forte coram altero eorum frater ille per capitulum collocetur, sed cum suo cui assistit magistro a loco non recedens, quicumque fuerit ille cui assistit. Et ideo per priorem assignabitur ei magister, unus videlicet ex illis qui locuntur de ordine de choro illo, in quo frater ille ultimus ponitur. Sed si in abbatis et prioris absencia coram quarto priore sit, et supprior pro tempore conventui prefuerit, tunc proculdubio confitendi gracia suppriorem adibit, atque eodem modo semper in abbatis absencia ad suppriorem pro recta consuetudine, quamvis prior presens esset, debet incedere penitens ille frater, ex parte abbatis assistens, licet aliquociens voluntarie non nunc ita fiat. Sed ab uno/ quidem [fo. 111b. choro usque ad alium nunquam debet aliquis hujus rei causa transitum facere, nisi cum dompnus abbas ad completorium

in choro fuerit, quia tunc, ex quacumque parte sit frater, ad confitendum abbati accedet. Nota quod dompnus abbas potest, si voluerit, die ac nocte in choro omnibus horis interesse, et in spaciis in claustro similiter, quod non habetur in usu. Qui frater in penitencia, dum proferuntur colectæ ad suffragia solempniora, non supra formam se incurvabit, sed inter formam et stallum curtam veniam sumet. Post completorium vero atque ad omnem processionem ultimus semper incedet. Et ad tres oraciones ante matutinas et post completorium et ante primam cum noviciis, si fuerint, vel juvenibus ultimo loco faciet; atque inter missam post primum "Agnus Dei," et dum dicitur psalmus "Deus, venerunt," pro pace Terræ Sanctæ, et si in Quadragesima sit, dum psalmi dicuntur, prostrati post horas, cum eisdem juvenibus vel noviciis, si sint, ultimo loco super formas incurvet. Et si interim aliquis frater obierit, ipse in tabulam cum juvenibus vel noviciis, si fuerint, ad extremam ponetur vigiliam. Cum nullo fratre colloquium habebit, nec signum alicui faciet, preterquam magistro suo, et hoc non absque justa necessitate est facturus, nisi cum prior vel alius, ad peticionem prioris, una cum magistro suo eum mansuete instruat aut spiritualiter consoletur. Quoniam revera nullus unquam preter dompnum abbatem, vel alium custodem qui loco prioris extiterit, vel cui aut quibus jusserit abbas vel prior, cum fratre loquetur qui in perpetuo pro qualicumque causa ponitur in silencio, absque licencia speciali illius qui pro tempore conventui preest, sive ultimus sit sentencialiter addictus sive non, preter magistrum solummodo juvenum, si penitens ille frater in sua sit custodia. Quocienscumque vero conventus in claustro sederit, ipse cum psalterio suo psalmis et oracionibus vacans in loco talibus deputato ad hostium capituli residebit. Et cum conventus radi debet, magister suus ducet eum ad Sanctam Brigidam, et ibi sub silencio radetur. Et quando fratres sibi pedes lavant in claustro, ipse in loco predicto, scilicet juxta hostium capituli, per se, presente suo magistro, pedes sibi ordinate abluet. Qui si de custodia fuerit absolutus et ultimus non fuerit adjudicatus,/ eodem loco sibi pedes [fo. 112.

abluet, atque per subcamerarium pelvis cum aqua eidem apponetur.

De laterna. Et quia in hujusmodi exordio capituli de laterna fit mencio, sciendum quod frater, qui ad laternam sentencialiter ponitur, portabit eam secum ante matutinas et post usque ad domum necessariam; quam non in medio juxta crassetum, sed coram se locabit, quocumque loco sedeat; atque post matutinas usque ad lectum suum eam inde secum reportabit, ibidemque candelam extinguet, ac deinde, frocco exuto, in domum necessariam, si forte indigeat, absque reprehensione reverti potest. Laternam vero prelibatam portabit ei quaqua nocte subcamerarius, cum candela intus accensa, hora videlicet qua surgunt fratres ante matutinas; quam ipse accipiens secum in latrinam portabit modo preostenso, eciam si forte prius ibidem extiterit; non tamen[1] illic sedebit aut morabitur, nisi necesse habeat, sed continuo exibit et una cum aliis fratribus versus ecclesiam directe procedet, laternam seorsum ante faciem suam super manum suam dexteram gerens in aperto, et detecto capite extra dormitorium scilicet humiliter incedendo, et ad introitum chori subcamerario laternam dimittendo. Atque iterum, circa finem obsequii matutinarum, ad locum in quo tunc stat idem subcamerarius laternam cum candela intus accensa ponet coram illo, quam proculdubio candelam de liberacione subsacristæ est rite accepturus.

Item, alius modus excommunicacionis, qui, ut regula jubet, pro rebellio sive contumacia et incorrigibilitate specialiter est adhibendus.

Si frater peccans peccatum suum defendere pocius quam cognoscere et emendare voluerit, proclamatus eciam abbati vel priori contumaciter respondere presumpserit, positus in judicio ibidem secundum culpam corripiatur, atque admonitus ut resipiscat, si in sua pertinacia permanere decreverit, et contumax atque rebellis inveniatur, hunc talem surgentes fratres,

[1] *tunc*, MS.

quot et quibus jussum fuerit, violenter arripient, et in carcerem hujusmodi arrogantibus deputatum, ablatis suis cultellis cum/ vaginis et zona cum aliis appendiciis, sine [fo. 112b. mora portabunt aut trahent. Hæc enim sola culpa in carcerem ducit dominum suum, vel pocius miserum servum, macerandum ibi et affligendum multa abstinencia et longis jejuniis. Positus vero in carcere, tamdiu secundum reatus sui meritum, servata tamen discrecione, affligetur, quousque superbiam deponat et culpam cognoscat atque emendacionem promittat. Frater vero aliquis spiritalis et consilio pollens debet ei, ex precepto abbatis, dum sic erit in carcere, admonicionem emendacionis diligenti predicacione[1] facere; et, cum gracia inspirante divina animadvertetur revera penitere, res prius in capitulo ostendetur. Dehinc, cum decreverit abbas, a fratre cui hujusmodi cura injuncta est in capitulum deducetur. Quo modo, vel nudus sicut fugitivus monachus, vel indutus prout res deposcerit, ingredietur, considerata qualitate et quantitate vel precedentis vel subsequentis arroganciæ; et veniens ad aream, cum tercio prostratus clamaverit culpam suam, jussus surgere, sponte sua sedebit, ad suscipiendum penitenciale judicium pro voluntate abbatis. Quo suscepto, ut abbati placuerit, absolvet eum misericorditer jam sepe et diucius competenter castigatum; et absolutus accedet continuo ad pedes ipsius. Dehinc revertens ad aream, et stans ante abbatem, jubebitur esse[2] in illo ordine qualem ipse abbas elegerit. Sed si talis inventa est offensa fratris, unde hujusmodi contumacia sive rebellium exortum est, ut ex ea gravem culpam subire promeruisset, eciamsi rebellis seu contumax non fuisset, sic debet castigari, antequam absolutus de carcere egrediatur, ut, postquam inde absolvetur, non sit opus ut iterum judicio gravis culpæ subjiciatur; nisi forte, cum in capitulum venerit, culpam suam in aliquo adhuc defendere presumpserit, quia tunc vel graviter tractabitur, si gravi, vel leviter, si levi culpæ ex suis meritis fuerit adjudicatus. Et, si adhuc spiritu diabolico plenus superbire magis quam emendacionem promittere elegerit, adhibeantur ei de toto conventu oracio-

[1] *preaicione*, MS. [2] *ei*, MS.

num suffragia. Si vero abbas nec [sic][1] suam industriam pre/valere conspexerit, prudenter tractet cum consilio [fo. 113. omnium fratrum, utrum expediat eum vel diucius detineri vel de monasterio expelli. Et sciendum quod pro contumacia sive rebellio prescriptam disciplinam absque ulla mora faciet, quicumque, absente abbate, loco ipsius capitulum tenet.

De sentencia gravis culpæ.

Si aliquis frater tam enormiter offenderit, quod manifesta ejus culpa secreto competenter emendari non possit, ita quod ex judicio abbatis et capituli debeat gravis culpæ subire vindictam, primum in capitulo coram abbate clamatus veniam postulet, et dum culpa ipsius coram omnibus ab abbate vel ab alio eam cognoscente propalatur, tanquam culpabilis, jugiter se prosternet. Et, cum tota culpa enarrata fuerit, jussus [sedere][1] ab abbate, corporalis ei disciplina ab uno aut duobus fratribus quibus abbas jusserit acriter impendetur. Quo facto, juxta sentenciam abbatis, post dignam interposicionem,[2] manifestabit ipsum sibi dignum pena apostolicæ excommunicacionis, scilicet ut separatus sit a consorcio aliorum, tradatur Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die judicii. Quo ostenso, in gravis culpæ satisfaccione esse jubebitur; quæ eciam culpa, ob magnitudinis suæ causam, crimen ex consuetudine nuncupatur. Et cum vestitus fuerit atque cinctus, cingulum suum cum appendiciis ibi deponet, dicente ei abbate ut recedat et in hac sentencia sit. Quæ ideo gravis culpa nominatur, quia nulla[3] magis ex omnibus exhorrenda invenitur nec habetur. Qui ei humiliter inclinans capud suum capucio cooperiet, et capitulum directe cum summo silencio absque mora egredietur. Quem sequetur unus vel duo fratres, quibus preceperit abbas, ut eum deducant in cellam taliter delinquentibus deputatam, precedente fratre illo qui claves illius loci servat. Atque providebit abbas unum de senioribus, cui eum custodiendum secure possit committere, et qui eum ad satisfaccionem ducere, et post satisfaccionem

[1] Supplied from O. [2] O. has *increpacionem*. [3] *nullo*, MS.

ad locum suum reducere debeat. Nullus ei loquetur, neque in aliquo associetur, nisi ille senior et cui abbas permiserit. De consolacione autem atque de cibo et potu fiet ei secundum/ disposicionem et voluntatem abbatis, prout [fo. 113b. beatus Benedictus precepit, ubi de hac sentencia in regula sua scribit, capitulo 15; ita tamen quod de cibo et potu competens ei misericordia impendatur, ne forte, nimis angustiis oppressus, immoderata tristicia absorbeatur. Ad singulas horas diei et noctis, cum pulsatur signum ad horam, egredietur statim a loco suo, in quo semper et ejulans, et consolacionem aliquando suscipiens a sapiente fratre qui sibi deputatus fuerit, esse debet; atque, capite cooperto, ducente eum custode suo, ante hostium monasterii veniet, et contra ingredientem conventum humiliter ex transverso ad terram se prosternet; ita ut, ab hora qua inceperit signum sonari vel ab hora qua ibidem pervenerit, prostratus jaceat donec audiat retactum, sub quo signum[1] cessat et hora inchoatur, videlicet quousque totus ingrediatur conventus. Dehinc surgens sedebit extra chorum, psalterium in manu tenens, donec ad finem horæ prosternat se iterum dum ingredientur. Dum autem hora cantatur, si aliqui fratres juxta se transierint, humiliter eis inclinabit, et, si forte abbas tali hora supervenerit, et frater ille intra se eum transire cognoverit, prostratus veniam sumet. Finitis siquidem horis regularibus, exeuncium ab ecclesia pedibus, cooperto capite, humiliter se prosternet, in loco quo prius, ex transverso, ut prius, quousque omnes pertransierint. Ingredientes vero prius, atque nunc egredientes, dicent[2] ei sub silencio, "Misereatur tui Deus," atque, egressis omnibus, operto capite, custode suo eum precedente, ad locum unde venit humiliter revertetur; ita quod post capitulum, quando inde ad ecclesiam inmediate pergunt, sicut et prius in exitu eorum ab ecclesia versus capitulum, atque post vesperas [versus][3] dormitorium, et sicut ante completorium et post, ibi se prosternet; sed hoc ad ecclesiæ egressum post prandium aut post cenam nullatenus faciet, sicut nec ad eorum exitum post missam majorem. Post completorium autem in yeme, et quociens

[1] *signo*, MS. [2] *dicentes*, MS. [3] Supplied from O.

opus fuerit, laterna, candela intus accensa, juxta illum locum ubi prostratus jacet per sacristam poni debet. In capitulum vero, statutis ab abbate diebus, predicto custode eum ducente, veniet, et usque ad aream direc/te procedet, cooperto [fo. 114. capite, et, ut moris est, parumper inclinando, judiciumque corporale ab eodem custode seu ab aliquo alio jussu presidentis humiliter ac pacienter sustinebit; atque hoc modo tractabitur, quousque humilitate et paciencia et emendacionis promissione, adjunctis fratrum precibus, misericordiam consequatur. Qua vero die, precantibus fratribus, decreverit abbas misericordiam ei impendere, eodem modo quo predictum est in capitulum veniet, atque prostratus tercio culpam suam fatebitur, et, misericordiam querens, emendacionem promittet.[1] Jussus surgere, frequenter se prosternet, et eadem verba atque similia dicet, donec dijudicet abbas satis esse; et tunc, jussu abbatis, absolvetur ab eo videlicet qui eum introduxit, vel eciam ab alio cui abbas innuerit. Qui, cum absolutus fuerit, provolvatur ad pedes abbatis atque ad pedes prioris et omnium seniorum utriusque partis, ita ut inter duorum pedes prosternatur, suscipiendus misericorditer ab utrisque. Quo facto, dicet ei abbas: "Motus fratrum " nostrorum precibus et humilitate tua et promissione emen- " dacionis tuæ, hanc tibi misericordiam impendo, ut dehinc " cum fratribus sis in oratorio atque in refectorio in ordine et " loco quem tibi assignabimus. Disciplinam corporalem pro " hac culpa ulterius non suscipies[2]; sed de cetero, ad com- " probandam humilitatem et pacienciam tuam, ita in " omnibus te habebis, sicut frater qui in levis culpæ peni- " tencia esse jubetur, excepto tamen quod ad gradum non te " prosternes, incepto 'Kyrieleyson,' ante preces ad horas, sed " expleta regulari hora, dum dicitur 'Benedicamus Domino,' " in loco in quo stabis, sicut beatus Benedictus precepit, " flexis[3] ad terram genibus, sicut qui in psalmo fallitur " humiliter satisfaciens." Hoc audito,[4] frater ille ad pedes abbatis osculandos incedet, et, rediens in locum in quo stabat, tres genuum flecciones, ante scilicet et ad dexteram atque sinistram, cum omni devocione faciet, gracias referens fratri-

[1] *promittens*, MS. [2] *suscipiens*, MS. [3] *flectis*, MS. [4] *addito*, MS.

bus qui pro se rogaverunt, et humiliter supplicans quatinus adhuc rogare dignentur. Quod cum fecerit, designet ei abbas locum ubi esse debet, et, eo precipiente, ibit sessum,[1] atque in oratorio et in refectorio erit in loco et in ordine quo preceptum est ei ab abbate; non tamen/ imponens [fo. 114b. antiphonam aut responsorium vel leccionem vel aliquod tale, donec iterum abbas precipiat; sed hoc modo et ordine se habeat, donec dicat abbas "Sufficit," et tunc, ad devotam conventus peticionem, reddetur ab abbate ordini suo. Nondum tamen ab hac culpa penitus absolutus, sed legens et cantans in oratorio, sicut et alii, aliquam satisfaccionem quæ pro leviore culpa debetur instanter faciet, donec ab abbate, exigentibus emendacionis suæ meritis, ex toto absolvatur. Hæc quidem culpa ad abbatem proprie pertinet corrigenda; qui si forte desit a patria nec ad presens ut veniat expectatur, tunc debet talis frater a priore corripi, et ex tocius congregacionis assensu modo quo predictum est ordinate puniri.

De sentencia et satisfaccione fugitivorum.

Fugitivus de monasterio monachus, si post aliquod tempus revertitur, primam sui erroris offensam cum penitudine recognoscens, cum dijudicatum fuerit ab abbate et fratribus ut ei misericordia secundum regulam impendatur, quæ eciam post multas afflicciones ex communi assensu sequi debet, primum in elemosin[ari]æ hospicio suscipietur, victurus a celerarii rebus et ibidem moraturus quamdiu communiter omnibus placebit. Qui, si ex merito sui sceleris et enormis[2] gestus in suo reditu repulsam paciatur, et, ob hoc publica ductus penitudine et eterni judicii perculsus timore, aliquo die solempni nudus virgam deferens processioni se ingerat, pedibus abbatis se provolvat; et, si abbas pietate motus graciam ei misericorditer decreverit impendere, tunc humanitus virgam assumens ter eum ea vel quociens voluerit mansuete tanget, dicendo: "Misereatur tui Deus," atque precipiet ut ex tunc in elemosi-

[1] *cessum*, MS. [2] *celeris et enormi*, MS.

nariæ domo recipiatur. Sed proculdubio nec abbas nec alius qui in capitulo presidet manu unquam propria, quod absit, virgam tanget. Sed, licet aliquis fratrum, diabolo instigante, pungno impie aut cultello clericum secularem aut laicum vel confratrem suum monachum altercando percusserit, vel aliam quamcumque excommunicacionis incurrerit sentenciam, abbas vel alius inferior custos, cui ipse vices suas commisit, in capitulo presidens,/ uni aut duobus fratribus precipere [fo. 115. potest et debet ut eum ordinate ad aream absolvant, nullo preter ipsos absolucionis verba proferente, sicut nec virgas tangente. Sed revera, quando aliquis frater laborat in extremis, ab omnibus sacerdotibus aliisque fratribus, cum injungitur, generaliter absolvetur; quod quidem in capitulo nullo tempore fiet, quoniam, si ipse qui absolvere jubet plenariam absolvendi optinet facultatem, is cui id jubetur eadem proculdubio fungitur potestate.

Cum autem penitens, ut prefertur, in elemosinaria domo fuerit admissus, ad claustrum vel ad officinas claustri aut celerarii vel ad monasterium, nisi jussus, nullatenus accedet. Nullus frater secum conversabitur, nullus ei in aliquo consorcio vel colloquio conjungetur, nisi ab abbate vel priore vel ab eo qui servat ordinem jubeatur, usque ad diem qua judicatum fuerit, post multas promissiones perfectæ correccionis, ut omnino recipiatur, ut interim penitudinis suæ et humilitatis ac pacienciæ aliquod documentum ostendat. Ea vero die qua in capitulum intraturus est, in locutorio forinseco vestimentis suis se exuet, stamina, si habitum non reliquerit,[1] circumposito cingulo se circumcinget, atque in sinistro brachio cucullam plicatam et in dextera manu virgas portabit; et sic, nudis pedibus et nudo desuper corpore, ducente eum fratre cui injunctum fuerit, in capitulum veniet. Quo ingresso, prosternet se, ut nudus erit, ad aream, positis interim virgis et cuculla juxta se a latere dextro; et interrogatus more solito culpam dicet. Dehinc, ibidem sedens, corporalem disciplinam ad imperium et liberum abbatis arbitrium suscipiet. Qua suscepta, jussus surgere, induet mox ad imperium abbatis ibidem cucullam[2] tantum; ut erit precinctus, sed non ferens

[1] *relinquerit*, MS. [2] *incullam*, MS.

virgas, in locutorium reducetur. Ibique se calciet et vestimentis monachicis ordinate induetur, atque iterum in capitulum ductus prosternet se multociens ad aream, dum ab abbate increpabitur; nec cessabit hoc facere, donec jusserit abbas. Et tunc injungetur ei satisfaccio gravis culpæ; in qua satisfaccione/ habebit se, sicut superius dictum est cum [fo. 115b. de gravi culpa ageretur.

Si vero, abjectis monachicis indumentis, in seculari habitu ad monasterium redit, servatis circa eum ceteris quæ superius dicta sunt, seculari veste in qua reversus est circumcinctus, sicut supra de stamina dictum est, et non portans cucullam sed virgas tantum, capitulum ingredietur, ita quod a camerario seu ab alio fratre deferatur cuculla in capitulum et ad aream preponatur, et non juxta eum cum virgis, ut prius. Et, cum susceperit judicium modo preostenso, ad imperium abbatis, ut prius, debet cucullam cum genufleccione ultro arripere et eam, ut fuerit nudus et precinctus, induere. Dehinc ductus extra et regulariter indutus ac deinde in capitulum reductus tractabitur more supradicto, juxta sentenciam gravis culpæ vel carceris.

Si autem adjudicatur carceri, ordinet abbas et capitulum qualiter ibi debet tractari vel custodiri; similiter et de dieta ipsius abbas disponet et ordinet. Si autem ordinet quod sit ad panem ordeicium et ad aquam, tunc elemosinarius inveniet illum panem, et ipse elemosinarius totum servicium suum conventuale interim percipiet. Si enim talis fugitivus interdum compunctus gratis venerit ad monasterium, et se totum dat ad suscipiendam debitam penitenciam pro delictis suis, pro voluntate abbatis et conventus ordinandam, cum tali micius et graciosius agatur quam cum altero qui vi queritur, capitur, et introducitur; quia quod sponte venit et sponte se humiliat signum perfeccionis et Spiritus Sancti donum est; nec talis artari debet tantis vinculis sicut alius qui vi introducitur et capitur. Et, si frater ille qui est in penitencia permaneat in compunccione et humilitate sua, potest et debet abbas ex rogatu conventus misericorditer cum eo dispensare, et suam penitenciam mitigare et relaxare. Nam Dominus Jesus, cum coram eo mulier comprehensa in adulterio fuerit

accusata et secundum legem deberet lapidari, nichil aliud ei dixit, in nobis exemplum, [nisi][1]: "Vade et jam noli amplius peccare." In contrarium agatur de illo qui permanet in sua /malicia et pertinacia, quod semper sua penitencia [fo. 116. aggregetur. Sed tamen, ad exemplum aliorum, semper de gradu in gradum secundum ordinem transeat frater ille cum quo misericorditer agatur, tamen nunquam stallum suum primum recuperabit, sed ultimus in ingressu suo in conventum inter professos et novicios, si fuerint, stabit, et omnes cursus fratrum juniorum, cum abbas jusserit, faciet. Nec aliquid ei relaxabitur, ut humilitas et paciencia ejus in melius comprobetur.

Multi sunt qui ignorant quæ sunt culpæ graviores et quæ leviores; ideo bonum est quod hic incerantur, ne ignorancia illorum, qui nesciunt inter eas discernere, accuset eos coram Summo Judice.

De culpis gravioribus primo dicatur.

De hoc beatus Ysidorus ait: Gravioris autem culpæ obnoxius est, si temulentus quisquis sit, si discors, si turpilocus, si feminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altæ et erectæ cervicis, si mente tumidus vel jactanti incessu inmoderatus, si detractor, si susurro vel invidus, si presumptor rei peculiaris, si pecuniæ contagio implicatus, si aliquid preter regularem dispensacionem superfluum possidens, si fraudator rei acceptæ aut commissæ sibi aut minus commissæ, inter hæc si de rebus secum allatis extulerit, vel de hiis per inobedenciam murmuraverit, si rei majoris dampnum intulerit, si furatus fuerit, si perjuraverit, si falsum dixerit, si contenciones vel rixas amaverit, si manifestum convicium fratri intulerit, si personam innocentis falso crimine maculaverit, si contumaci animo seniorem despexerit, si rancorem adversus fratrem tenuerit, si peccanti in se et postea supplicanti veniam non concesserit, si cum parvulis jocaverit vel eos osculatus fuerit, si cum altero in uno lecto jacuerit, si extra communem mensam privatim aut furtim

[1] An erasure.

quippiam sumpserit, si alicubi extra consultum prepositi vel abbatis discedens medio die vel amplius commoratus fuerit, si ut ociosus sit falsam infirmitatem pretenderit. Hæc et hiis similia, juxta arbitrium prioris, diuturna excommunicacione purganda sunt, ut, qui graviter peccare noscuntur,/ [fo. 116b. acriore severitate coherceantur. Nam et hæc vicia gravia Paulus apostolus in epistola ad Galathas enumerat dicens[1]: "Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicacio, "inmundicia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimiciciæ, "contenciones, emulaciones, iræ, rixæ, dissenciones, sectæ, "invidiæ, homicidia, ebrietates, commessaciones, et hiis similia; "quæ predico vobis sicut predixi, quoniam qui talia agunt "regnum Dei non consequentur." Item, apostolus ad Romanos[2]: "Repletos omni iniquitate, malicia, fornicacione, "avaricia, nequicia; plenos invidia, homicidiis, contencione, "dolo, malignitate; susurrones, detractores, Deo odibiles; "contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parenti-"bus non obedientes, insipientes,[3] incompositos, sine affec-"cione, absque federe, sine misericordia: qui, cum justiciam "Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt "digni sunt morte, non solum qui faciunt ea sed et qui con-"senciunt facientibus." Hæc secundum apostolum dicta sufficiant.

Quæ sunt culpæ leviores.

Levioris culpæ reus est, ut ait Ysidorus, qui ociosus[4] esse dilexerit, qui ad officium vel ad consolacionem vel ad mensam tardius venerit, qui in choro riserit fabulisve vacaverit, qui relicto officio vel opere extra necessitatis causam foras discesserit, qui torporem et sompnum amaverit, qui sepius juraverit vel qui multilocus fuerit, qui ministerium cujuslibet operis sibi injunctum sine benediccione susceperit aut peracto opere benediccionem postulaverit, qui injunctum opus neglegenter aut tardius expleverit, qui casu vas aliquod fregerit, qui dampnum rei parvæ intulerit, qui cotidie neglegenter usus fuerit, qui alicubi ad momentum secesserit, qui occulte ab

[1] Galat. v. 19. [2] Rom. i. 29. [3] *incipientes*, MS. [4] *occisus*, MS.

aliquo litteras vel quodlibet munus acceperit, vel epistolam suscipiens occultaverit, aut sine abbatis concensu rescripserit, vel quemlibet parentum seu secularium sine jussu senioris aut viderit aut cum eo locutus fuerit, qui seniori inobediens fuerit, qui contumaciter seniori responderit, qui erga seniorem linguam non represserit, qui lascivus in lingua/ fuerit, [fo. 117. qui inhoneste incesserit, qui jocaverit, qui satis riserit, qui cum excommunicato locutus fuerit, oraverit vel comederit, qui illusionem nocturnam patri spirituali non patefecerit. Hæc et hiis similia triduana excommunicacione emendanda sunt.

Nam et alibi inter leves culpas has invenimus numeratas; id est, si decantans quis psalmum vel modicum titubaverit, si vel leviter murmuraverit, si dimissa sinaxi non concitus ad cellam recurrere festinaverit, si leccionem operi vel obedienciæ preferens officia statuta segnius fuerit executus, si cum aliquo vel ad modicum substiterit, si alterius manum tenuerit, si joculare aliquid vel risui aptum in conventu fratrum proferre presumpserit, vel qui cum junioribus verba ociosa narrare voluerit, aut habere amicicias etatis infirmæ, increpacioni ut dignus est subjacebit; si quis quamlibet rem invenerit, inventam celet, et cognoscendam occultet; quam si repertam[1] unius diei spacio convincitur retentasse, furti contagio se maculatum esse cognoscat. Sique eum, qui districcionem monasterii non fert, fugam meditari agnoverit, si non statim prodiderit, perdicionis illius participem se esse non dubitet; et tamdiu est a conventu fratrum sequestrandus, quamdiu ille valeat revocari. Sed qui[2] hæc supradicta omnia non omni virtute studuerit Domino placitura servare, et semel ac secundo correptus non emendaverit, reprehensus juxta etatis formam, convenit vindicari.

Hucusque et ejusmodi ac similibus ammissis, id est peccatis, procedit animadversio spiritalis. Residua vero quæ apud nos indifferenter ammissa a nobis quoque reprehensibilibus sustinentur, id est aperta convicia manifesti conceptus, contradicciones tumidæ, libera et effrenata processio, famili-

[1] *repertus*, MS. [2] *quia*, MS.

aritas apud feminas, iræ, rixæ, simulaciones et jurgia, operis peculiaris presumpcio, philargiriæ contagia, affectus atque possessio rerum superfluarum quæ a ceteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiva cibi refeccio: hæc et hiis similia non increpacione qua diximus spiritali, sed vel plagis emendantur vel expulsione purgantur.

|Qualiter sit agendum quando aliquis [fo. 177b. *sacerdos seu clericus secularis postulat ut in hoc monasterio recipiatur.*

Veniens aliquis de seculo ad nostri ordinis conversionem, in primis sicut alii hospites in hospicio suscipiatur. Cujus voluntate cognita, frater, qui cellæ hospitum procurator est, abbati rem nunciet. Cum quo abbas, vel eciam prior, cum aliis fratribus spiritualibus quibus abbas injunxerit, secrecius et affectuose loquantur de conversacione ejus in seculo et de sciencia ac voluntate illius aliisque hujuscemodi rebus, juxta quod specificabitur inferius, circa hujus finem capituli, diligenter inquirentes. Quod si desiderium petentis ex Deo esse cognoverint, ostendatur abbati; et, si in peticione sua perseveraverit, referat abbas rem in capitulo in audiencia omnium. Quorum audito consilio, si suscipiendum eum abbas ex assensu fratrum decreverit, accersito illo, inquiret abbas quid petat. Ac ille, si in proposito suo firmiter adhuc perstiterit, omni qua potest humilitate in hiis vel similibus verbis suam faciat peticionem, sic: "Dei misericordiam et "vestram et societatem ac fraternitatem hujus loci requiro, "et in hoc monasterio monachus fieri et Deo servire cupio." Respondeat ei abbas: "Societatem et consorcium electorum "suorum concedat tibi omnipotens Deus, et nos pro ejus "amore libenter te suscipimus." Quo audito, conversus procedat humiliter ad osculandum pedes abbatis; atque ab illa hora usque ad diem quem statuerit ei abbas ad habitum suscipiendum curæ magistri noviciorum commendetur, atque in hospicio sive hostilaria honorifice suscipiatur. Provideatque magister ut cuncta quæ ad habitum spectant[1] monachalem

[1] *spectat*, MS.

ante diem prefixum penes se habeat plene et ordinate parata; nisi forte indigens sit is qui admittitur, et propter hoc per camerarium de rebus monasterii debeat partim vel omnino vestiri.

Statuto autem die, ducente eum magistro suo, doctus ab eodem qualiter peticionem facere debeat, veniat in capitulum secundum antiquum modum. Ad cujus ingressum, magister, illius cucullam secum portans plicatam, non consuevit pronunciare "Benedicite," sicut alias mos est quandocumque aliquis de capitulo exit et denuo redit, eo quod ipse frater neophitorum magister nichil hac vice/ ibidem est [fo. 118. locuturus, sed, ducto ad aream converso, cum se ibidem prostraverit, ponat cucullam magister illius super scannum, ex illa videlicet parte qua recipi debet, atque ex eadem parte interim sedeat idem magister. Novicius vero, inquirente abbate quid velit, respondeat Gallice, ut moris est, juxta tenorem istorum verborum, prout consequenter luculencius exprimitur.

Ita prostratus dicat: "Requiro misericordiam Dei, nostræ "dominæ sanctæ Mariæ, sancti Petri et sancti Pauli, sancti "Augustini sociorumque ejus, sancti Benedicti, et vestram "et conventus hujus cenobii" (vel eciam magis usualiter sic, "et conventus de hic intus") "ut concedatis michi habitum "monachalem." Gallice vero sic: "Je requer la misericorde "Deu, nostre dame saynte Marie, saint Pere, saynt Pol, saynt "Austyn ove sa chyere compaynie, seynt Benayt, et la "vostre e le covent de ciens, ke vus me grantet le habit de "moinage." Quo dicto, jussus surgere,[1] dicat ei abbas: "Rem quidem difficilem et arduam petis, sed perseverantibus "et hominibus bonæ voluntatis propter spem retribucionis "facilem." Dehinc ab eodem predicentur ei dura et aspera quæ in hoc ordine perferunt, quique et regulariter vivere volunt; item, duriora et asperiora quæ, si indisciplinate se habeant, sibi poterunt evenire, et quomodo oporteat eum subjici omnibus suis prioribus et voluntates proprias relinquere. Et, cum post multos rigores et asperitates prolatas subjunxerit, dicens: "Et si hæc gravia et adhuc graviora,

[1] *surge*, MS.

" si forte contingat ut ad Deum perveniatis, parere velitis, ad " laudem et gloriam Dei omnipotentis et nostræ dominæ " sanctæ Mariæ atque illorum sanctorum ad quorum nomina " vestram facitis peticionem, vobis concedimus quod tam " humiliter et constanter requiritis"; respondeat novicius: " Per graciam Dei et vestra insensamenta sequar obedi- " enciam." Vel, ut moris est, Gallice hoc modo respondeat: " Par la grace de Deu et vos ensensemens je suweray " obedience." Et, hoc dicto, cum inclinaverit se, vadat et humiliter osculetur pedes abbatis; ac interim, si voluerit, dicat abbas: "Dominus Jesus Christus sic perficiat in " vobis quod pro ejus amore promittitis, ut ejus graciam et vitam eternam habere possitis."/ Et, responso ab [fo. 118b. omnibus "Amen," atque novicio ad aream reverso, faciat abbas de habitu mensionem, dicens: "Fili,[1] videtis habitum " quem, si sponte suscipere volueritis, in Jesu Christi " nomine suscipiatis." Hoc audito, novicius inclinet se et pergens directe ad cucullam suppliciter genuflectet et osculetur eam ore et oculis. Quo facto, eam continuo assumens, dextra manu superius extenta et sinistra inferius, pectori suo astringat, sicque eam secum ad aream deferat. Et, si plures fuerint, omnes simul et semel ad suas [cucullas] directe procedant, atque eas eodem instanti singuli, modo prelibato, devote assumentes, abbati, in redeundo versus locum quo prius ad aream steterant, suppliciter singuli[2] inclinent.

Postea imperet abbas ut orent pro eo fratres, prout decreverit, peculiarem injungens oracionem; ipso interim stante toto corpore inclinato. Dehinc erigat se, dicente ei abbate ut ad sanctorum corpora loci hujus incedat, obnixe implorando ut ipsi eidem confirment quod ibidem ab illo in conventu misericorditer est concessum. Hiis auditis, novicius humiliter se inclinet; surgatque confestim magister illius, inclinacionem faciens, ducat eum in ecclesiam ad magnum altare et ad feretrum, ubi non prolixe sed breviter et pure orans, ducatur in cellam hospitum vel alibi ubi id quod agendum est oportunius fieri possit.

At in primis tondeatur et radatur more monachorum.

[1] *Filii*, MS. [2] *singulis*, MS.

Dehinc vestibus secularibus exuatur, et novis regularibus induatur, sicut et alii fratres, et non capucio assuto tunicæ aut frocco, nec tunica cucullæ indecenter assuta, prout olim consueverant hujusmodi conversi, sed ordinate per omnia vestiantur. Atque hora qua tonderi debet, a magistro et fratribus quos secum adduxerit vij. penitenciales psalmi in directum incipiantur; ad quorum finem subjungant versiculum, "Ne reminiscaris, Domine"; "Kyrieleyson"; "Christe"; "Kyrieleyson"; "Pater noster"; magister illius dicat, "Et ne nos"; versiculum, "Salvum fac servum tuum"; versiculum, "Mitte ei, Domine, auxilium de sancto"; versiculum, "Nichil proficiat inimicus in eo"; versiculum, "Esto ei, Domine, turris fortitudinis"; versiculum, "Domine, exaudi oracionem meam"; "Dominus vobiscum." Oracio: "Omnipotens sem- "piterne Deus, respice propi/cius super hunc famu- [fo. 119. "lum tuum, quem ad novam tondendi et conversandi graciam "pervenire fecisti; tribue ei perseveranciam, et ad fidelium "tuorum fac pervenire consorcium, per Dominum." Oracio: "Suscipe, quesumus, Domine, hunc famulum tuum ad te de "procella seculi laqueisque diaboli fugientem, ut a te susceptus "et [in] instanti seculo salvatum et in futuro se gaudeat a te "fideliter muneratum, per Dominum." Oracio: "Presta, que- "sumus, omnipotens Deus, ut, sicut hic famulus tuus comam "amittit capitis, vicia cordis similiter amittat et corporis, ut "pariter corpore innovatus et mente tecum feliciter valeat in "eternum gaudere, per Dominum."

Si autem is qui admittitur primam nondum habet clericatus coronam, barba illius moderno tempore benedici non solet, sicut mos antiquitus inolevit. Sed, priusquam radatur, benedicatur ei prima corona cum antiphonis, psalmis, et collectis, eidem ministerio attitulatis, a dompno videlicet abbate revestito vel non revestito in ecclesia aut in capella sua, quemadmodum et quando et ubi voluerit, stola collo ejus prius imposita; sicque paratus novicius, ut ante fertur, ducatur ordinate a suo magistro in conventum fratrum, et ultimus omnium sit in choro, in capitulo, et in refectorio.

Magister suus, usque post capitulum octavæ diei ad minus, qua in conventu receptus fuerit, vel eciam per dies plurimos,

si forte necesse fuerit, donec bene sit instructus, tam in choro quam in refectorio jugiter cum eo existat, et ducat eum utrobique in locis oportunis atque reducat. Ad completorium tamen et ad matutinas, si sit custos ordinis magister illius et conventui prefuerit, in ordine suæ conversionis in choro moram faciat, atque ad primam similiter in xij. leccionibus, si capitulum tenere debeat, ita sane, quod alius ab eo specialiter ad novicii custodiam interim deputetur. In dormitorio dormiat novicius, et in claustrum, chorum et refectorium cum maturitate festinet et alios preveniet, atque sollicite in suo gestu exemplum bonæ conversacionis, in quantum potest cum Dei auxilio, prout fuerit edoctus, fratribus studeat demonstrare. In conventu non legat, solus non canat, ad missam non offerat, pacem non recipiat, sed communicetur de consilio abbatis omni die Dominico/ et precipuis festis; sicut et juvenes [fo. 119b. professi. In claustro separatim ab aliis sedeat, cum magistro suo, in loco talibus noviciis deputato. Nullus ei loquatur aut signum aliquod faciat absque magistri sui licencia, nec de loco in quo sedet sine precepto aut licencia surgat, maxime in novitate sua, sed neque ulterius suæ videlicet probacionis tempore, nisi forte ob aeris oporteat intemperiem, quod in capitulum sedeat, sive ad lavatorium aut in dormitorium,[1] causa necessitatis, incedat, vel ad confessionem ire debeat, ut instructus a suo fuerit magistro. In dormitorium autem, quando aliqua ductus necessitate incedit, ad cicius quam poterit redire debet. Magister suus talis sit, qui in signis, in moribus, et in ceteris aptacionibus exemplo vitæ et verbo doctrinæ sciat et possit eum de anima sua salubriter monere et ordinem docere. Sub jugi sit disciplina et in arta custodia; nec cum parentibus aut aliis quibuscumque personis loqui permittatur, nisi pro majore et urgentissima necessitate, aut morbo ingruente, hoc fieri oporteat. Tunc, docente ac ducente eum magistro suo, utatur breviloquio, et sedeat magister inter ipsum novicium et eum qui novicio loquitur, ita ut audire et intelligere possit quid utrimque dicatur. Si vero per infirmitatem aliquam necesse habeat in infirmaria jacere, talis ei frater aut famulus deputetur, qui circa eum die noctuque sit

[1] *dormitorio*, MS.

sollicitus, de cujus honesto gestu et probata maturitate magister illius securus existat; ubi nec cum aliquo loqui, nec quicquam aliter quam si in conventu esset facere debet, nisi quod magister suus dixerit ei faciendum.

In capitulo non clametur, sed, cum post tabulam lectam aut sermonem de regula statim recesserit, precipiatur magistro suo, si in aliquo offenderit, ut eum privatim castiget. Et, si culpa tanta fuerit ut debeat verberari, accipiat eum custos suus cum alio fratre, atque in capella sanctæ Brigidæ, serato interim ostio, juxta quantitatem delicti, quod promeruit paciatur; vel, si culpa palam est, postquam pronunciatum fuerit "Benedicite," more solito dicente magistro suo ut moram faciat, vapulet in capitulo, indicato peccato sibi pro quo dignus est verberari./ Flagellabitur autem acrius pro quali- [fo. 120. cumque culpa quam si professus esset, ut fiat quod apostolus precipit: "Probate si ex Deo est spiritus." Melius enim est ut ante professionem, experta paciencia, recedat verberatus, quam post professionem, per inpacienciam, affugiat dampnatus. Suscepto autem corporali judicio, et audito presidentis imperio ut recedat, inclinans se ordinate, ut moris est, revertatur continuo ad dormitorium.

Loquentibus in claustro fratribus, si quis, amore Dei et zelo correccionis et sanctæ disciplinæ, ad eum venire eumque arguere vel monere voluerit, petita prius atque optenta a magistro suo licencia, bene licet ut veniat, et quod dicere voluerit cum omni mansuetudine dicat; set nullus unquam ibidem seu alio aliquo loco tempore probacionis, nisi in presencia aut de licencia sui magistri, cum eo loquatur; nec solus hora loquendi in claustro sedeat; sed cum ab aliquo, ut prefertur, leniter fuerit correptus, facto clamore, confestim surgens coram magistro suo, sicut fratres in capitulo, veniam petat, non sessurus donec, emendacione promissa, idem magister precipiat. Et talis correccio pro levibus agatur offensis. Verumptamen in claustro, quia per illud frequens secularium fit discursus, nulla moderno tempore venia sumi consuevit; sed alibi sumatur loco secreciore, quociens opus fuerit. Pro majoribus autem culpis, aut in capitulo pro quantitate culpæ corripiatur aut alibi, ut premissum est, quemadmodum in capitulo increpetur

S 2

et verberetur; et, quocienscumque a magistro suo pro qualicumque offensa fuerit[1] reprehensus, absque ulla mora, sicut fratres in capitulo, veniam suppliciter petat, et emendacionem humiliter spondens de commisso.

Si autem sederit ubi loquendum est, sine magistro suo, cum tutore ab eodem sibi interim deputato, magistro, si illic advenerit, reverenter assurgat. Abbati autem, si advenerit, suppliciter inclinando assurgere debet, et, si ibidem forte sedere voluerit, ad pedes illius, nisi sit sacerdos, deorsum residebit. Et quandocumque oritur aliquid questionis, vel magister suus exhortando aut castigando aliquid ei specialiter dicit, detecto capite obtemperanter audiat quicquid ille proferre decreverit. In capitulo sit cotidie, ubi, facto sermone,/ cum indictum fuerit de ordine loqui, sicut et [fo. 120b. ceteri fratres, sedendo inclinet, et, continuo surgens et inclinacionem faciens atque egressus inde, usque ad dormitorium directe incedat, ubi, psalmis et oracionibus vacans, sedendo ad lectum suum magistrum suum ordinate expectet; nisi pro majori culpa, ut dictum est, castigandus remaneat. Dum conventus fuerit in capitulo, potest et debet, si indiget, ordinate lectum suum parare et alias mundicias facere; summum et continuum, tam in choro quam alibi, servans silencium, nisi quando ei a suo magistro facultas est loquendi concessa. De hiis culpis sive peccatis quæ in seculo gessit, et quæ in hoc ordine sibi evenerint, frequentes confessiones faciat abbati vel priori, ac specialiter magistro suo, ceterisque fratribus spiritualibus, quibus hæc cura est injuncta, prout a magistro suo fuerit edoctus; ita tamen quod, habitu admisso, abbati primo, vel cui ipse jusserit, de omnibus peccatis suis quæ memoriæ suæ occurrere possint veram et humilem confessionem faciat, priusquam ad sanctam communionem accedere permittatur. Quociens autem dormitum vadit, quousque in suo gestu ad plenum sit excercitatus, tamdiu stet ante ipsum magister suus, donec in lecto suo jaceat coopertus; et, si necesse habeat ante conventum surgere et non ausus sit forte solus incedere, magistrum prius excitet, et, ad necessitatem suam explendam, cum magistro ambulet. Sine cujus ducatu de nocte aut inter

[1] *fuerit offensa*, MS.

meridianam in estate a dormitorio, tempore probacionis, nisi certis et debitis horis, exire nullatenus debet, videlicet, nisi pro fratris inunccione aut obitu, nec pro quovis alio casu qui illis temporibus ingruere consuevit.

Ceterum, licet regula per parentum oblacionem pueros admittat, nullus tamen recipiatur nisi xx. vel ad minus xviij. sit annorum, et nisi qui per seipsum instanter se recipi pecierit; nisi forte commendabilis ecclesiæ utilitas aut justa necessitas aliud induxerit. Sed, priusquam aliquis admittatur, solerter et assidue moneri debet quatinus ipse devotus conscienciam suam scrutetur, utrum videlicet bona intencione aut mala sanctitatem appetat, si Deo placere sive laudem hu/manam [fo. 121. adquirere affectet, utrum[1] penitus renunciaverit rebus mundialibus an non, aut cum aliqua contraxerit muliere, vel ere sit honeratus alieno, aut aliquem in se morbum senserit quominus in concione fratrum suo possit stare perpetuo, aut si forte bigamus sit, vel homicidium seu aliud scelus commiserit, aut excommunicacionem incurrerit majorem, seu aliquam habeat corporis lesionem aut debilitatem quominus sit ydoneus ad sacros ordines promoveri: quæ quidem omnia apud plerosque per juramentum, tactis sacrosanctis, diligentissime solent inquiri. A quo insuper est inquirendum an vires ei an constancia mentis suppetant contra maligni spiritus versucias et contra hujus mundi innumerabiles molestias decertandi, atque carnalibus resistendi[2] illecebris; et utrum humilitatem pacienciam, sobrietatem, et castitatem in semetipso, cum Dei auxilio, velit custodire, atque mores suos ab omni malo temperare; et quantumcumque poterit, Domino annuente, ad omne bonum commutare; necnon et omnia dura et aspera, quæ ei in hoc ordine poterunt evenire, velit pro amore divino et animæ suæ salvacione libenter perferre. Quæ cum se pro regno Dei toleraturum et in Deo solo spem positurum spoponderit, annuatur ei habitus monachalis ordine premonstrato; et probetur usque ad finem anni, atque examinetur quasi aurum quod in fornacis fervore preciosius efficitur. Et crebro intimetur ei quod nulli unquam annuenda est benediccio monachalis, nisi in collegio fratrum, tempore probacionis, honeste et

[1] *ut utrum*, MS. [2] *resistendis*, MS.

laudabiliter fuerit conversatus ; et ideo cum omni diligencia frequenter erudiatur, qualiter eum in monasterio oporteat conversari. Qui discat non superbe sapere, qui meruit a frequencia hominum separari ; sed infirmitati pocius credat esse provisum atque divinitus consultum, quod a populari est elongatus contubernio, ne, crebrius peccando ac se perdicioni mansipando, cohabitantes eciam suis viciis contaminaret et dampnacionem eis inferret. Deputet ergo se quasi seculo mortuum et peccatis dampnatum, ac vitæ cenobialis clausuræ velut carceri traditum, et propter infirmitatem propriam plebis consorcio indignum. Oret insuper assidue quatinus Deus/ omnipotens, [fo. 121b. pro cujus amore mundum penitus reliquit et se voluntati alienæ subjecit atque potestati, ita eum in suo famulatu confirmet, ut post mortem cum eo in eternum vivere valeat.

Cum autem versus finem anni probacionis suæ in omni paciencia et humilitate fuerit legittime examinatus, postquam sepius, juxta tenorem regulæ, predicta sunt ei omnia dura et aspera per quæ itur ad Deum, et, habita secum deliberacione, talia quæque et adhuc duriora et asperiora se paratum perferre et cuncta sibi inperata servare promiserit, videns magister vitam illius fratribus fratrumque conversacionem sibi complacere, monendus est ab eo novicius, si viderit necesse, quatinus roget priorem et alios majores fratres, ut ipsi pro eo intercedant apud abbatem pro benediccione tribuenda et professione suscipienda. Quo facto, si ex communi assensu fratrum placuerit abbati eum benedicere, statuta die eandem faciat novicius pro benediccione peticionem, quam ante fecerat pro habitu concedendo, fiantque cetera seriatim prout in capitulo de professione expressius continetur ; hoc observato quod, si converso non sufficienter literato concedatur forte habitus et benediccio monachalis, quod præ aliis diligencius instruatur et informetur, atque suo perpetuo ultimus omnium in choro permaneat.

Si vero contingat quod aliquis frater minime professus,[1] per abbatis absenciam aut invalitudinem seu forte ob aliam qualemcumque causam, post annum suæ probacionis expletum per multum temporis expectet ad suam agendam professionem,

[1] *confessus*, MS.

eo quod nondum capitulo intererit, nullum in conventu officium per idem tempus facere debet, nisi forte in magnis solempnitatibus cereum aut aliquod tale ad processionem portet, vel ad missam gradale cantet, aut in refectorio ad fragmenta surgat colligenda. Nam proculdubio cereum aut turribulum ad missam portare non debet, nec ad skillam servire, vel ad potum surgere caritatis, nisi pro majore fuerit necessitate, et hoc tunc ad nutum sui magistri aut de illius licencia speciali facere debet; et aliter nequaquam, sicut nec talia agit, nisi ex illius sit consilio, usque ad finem anni suæ probacionis. Nec consuevit eidem[1] usque ad complecionem illius anni, suæ videlicet probacionis, de/ infirmaria [fo. 122. aliquid exhiberi, licet egrotaverit, nisi sit humanitus de gracia speciali; sed illa tamen gracia talibus professis, cum indiguerint, ab infirmario, a tempore videlicet quo fructus ecclesiæ de Chistelet optinuerit, ex decreto abbatis et conventus habundancius est impensa.

Quod novicius minime professus de infirmaria et de camera nichil est rite habiturus.

De camera quidem hujusmodi frater minime professus, usque ad finem anni suæ probacionis, preter botas yemales et estivales et preter pedules, nichil est habiturus, nisi forte pro aliquo casu ingruente femoralibus indigeat, aut stamina, quæ eidem tunc de gracia speciali a camerario exhiberi debent; sed pannos nigros per eundem camerarium non est admissurus, usque ad complecionem anni probacionis suæ, nisi casualiter fortasse contingat. Si tamen illius magister de sua conversacione sit contentus, atque de illius melioracione et perseverancia fiduciam habeat certaque indicia, habitus liberacionem, sicuti et fratres professi, proculdubio est habiturus. Omnes liberaciones primæ[2] ordinate de camera provenientes transeant[3] per eum, preter illas supradictas, exceptis pelliciis quarum liberacio fit annuatim in die sanctæ Fidis virginis, sine ulteriori dilacione.

[1] *idem*, MS. [2] *primas*, MS. [3] *transient*, MS.

Quo ordine est agenda professio monachorum.

Die quo aliquis novicius, vel plures, si fuerint, suam sunt facturi professionem, postquam tabula consueta in capitulo lecta fuerit et abbas, dicto "Benedicite," "Loquamur de ordine nostro" solito more pronunciaverit, et se omnes, ut moris est, pariter inclinaverint, et omnes correcciones regulares consummatæ fuerint, novicii vocentur sufficienter instructi et, ordine quo primo die fecerunt peticionem suam pro habitu recipiendo, eodem modo facient petendo professionem, excepto quod magister eorum non precedet ipsos in aream capituli; atque ad aream coram abbate et conventu in terram se prosternant et, inquirente abbate quid petant, qui prior eorum est prostratus in medio faciat suppliciter peticionem, ut a magistro eorum indictum sibi fuerit. Hoc observato, quando alicui religioso, de quocumque sit ordine, habitus conceditur monachalis, eciamsi infra sacros non fuerit, quod ipse ob reverencia[m] habi/tus peticionem faciat, nisi tunc fortasse [fo. 122b. aliquis sacerdos cum eo aut diaconus in seculari habitu admittatur, et idem religiosus sacerdos non fuerit nec diaconus, quia tunc proculdubio a sacerdote semper aut diacono est agenda peticio hoc modo: "Nus requerums la misericorde "Deu, nostre dame sainte Marie, saint Pere, saint Pol, saint "Augustin, ove sa chere compeynie, seint Beneit, et la vostre "et le covent de ciens, ke vus nus grantez la professiun de "moinage."

Quo dicto, jubeat abbas ut erigant se et inquirat diligenter a priore et senioribus quid inde senciant, et utrum precibus eorum annuendum esse concedant. Quibus respondentibus se libenter concedere, cum dura et gravia quæ in ordine nostro a sanctis patribus sunt instituta eisdem predicaverit, et questiones affirmativas et negativas, ut supra notantur, interrogaverit, adjungat in fine sermonis: "Si tamen ita sitis "divinitus inspirati, quod hæc omnia et adhuc graviora, si "necesse habeatur, humiliter ac pacienter, pro Deo et salute "animarum vestrarum possitis ac velitis sustinere, in nomine "Domini nostri Jesu Christi, et piissimæ genitricis suæ Mariæ, "et beatorum Petri et Pauli, apostolorum, aliorumque sanc-

"torum, ad quorum nomina vestram facitis peticionem, "concedimus vobis quod digne postulatis." Quo dicto, respondeat qui peticionem fecit: "Par la grace de Deu et "vos ensensemens, nus siwerum obedience." Et, hoc dicto, majestati pariter devote se inclinent, ac deinde confestim ad pedes abbatis deosculandos, secundum ordinem suæ conversionis, singillatim procedant, ipso inchoante qui peticionem fecit; atque ad locum quo prius steterant ordinate revertantur, ita videlicet quod in redeundo, prout moderno tempore in usu habetur, abbati suppliciter inclinent. Benediccione itaque impetrata pedibusque abbatis deosculatis, iterum suppliciter se prosternant, et, inquirente abbate quid petant, respondeat qui peticionem fecit ita, solo prostratus: "Sire, nus priums que vus priez pur nus, que nus "puissoms si resceivre la professiun de moinage, ke Deus en "seit paie e ke soit a salvaciun de nos almes." Vel, si forte solus existat, tunc dicet sic: "Sire, je vus pri ke vus priez "pur mei, ke je pusc en teu manere la professiun de/ [fo. 123. "moinage receivre, ke Deus en seit paye et ke seit a "sauvaciun de ma alme." Tunc abbas mansuete dicat ut surgant, et specialem pro eis oracionem singulis fratribus injungat agendam, ipsis interim majestati devote inclinantibus. Postea ad sedes suas de area redeant; ad quas cum pervenerint, non sedeant, sed inclinent se protinus atque confestim in medium procedant, ac deinceps ad dormitorium more solito pergant.

Quod si forte remanserint aliqui, secundum quod regula jubet, nondum experti, qui hac vice cum aliis profiteri non debent, ipsi tunc in medium procedentes atque a capitulo egrediantur, priusquam alii facturi quod predictum est ad aream incedant.

Terminato capitulo, si novicii professionem suam non prescriperint, eam tunc unusquisque eorum manu propria scribat, si scribendi scienciam habeat, aut, si scribere nesciat, aliqui fratres ad eorum peticionem procurante eorum magistro hoc faciant; et cantor de inca[u]sto atque membrana eisdem provideat. Postquam vero prescripserint, et dicta sibi omnia fuerint quomodo sint agenda, cum inchoata fuerit missa

magna ad quam debent benedici, inter evangelium a cantore in vestibulum continuo ducantur; et sibi cucullas exuant, quæ statim honeste complicentur et calce vel aliunde signentur, ut alternari nequaquam possint, et induat unusquisque froccum absque capucio super pelliciam sive tunicam. Lectoque evangelio, antequam pronuncietur "Credo in unum," vel "Dominus vobiscum" si "Credo" non dicatur, introducantur a suo magistro, cucullas eorum deferente, usque ad magnum altare, froccis induti absque cucullis, suas deferentes in manibus scriptas professiones, ita ut prior antecedat, et prosternant se ante gradus altaris super tapetum quod ibidem preponi debet; cantore, cum venire inceperint, psalmum, "Miserere mei, Deus," submissa voce inchoante, qui ab utroque choro prosequatur atque a choro abbatis inchoetur; versosque interim vultus habeat chorus ad chorum. Quo finito, cum "Gloria Patri" erigant se atque ad altare per ordinem accedant, et suam unusquisque professionem aperta voce solempniter legat, manu propria, ut prefertur, vel alterius sua prece sic scriptam: "Ego frater N., presbiter "(aut diaconus, aut subdiaconus, aut accolitus, vel conversus, si "infra sacros/ ordines non fuerit), promitto stabili- [fo. 123b. "tatem meam et conversionem morum meorum et obedienciam, "secundum regulam sancti Benedicti, coram Deo et sanctis "ejus in hoc monasterio, quod est constructum in honore "apostolorum Petri et Pauli, sanctique Augustini, et in "presencia dompni abbatis N." Si quisquam illorum fortasse ob aliquam inbescillitatem celebri voce legere non valeat, legat voce depressa, vel saltem proferat meliori modo quo possit. Et unusquisque, facta sua professione, offerat eam super altare, atque super sedulam professionis signum sanctæ crucis cum incausto faciat, et eam postea abbati cum genufleccione commendet, dexteram ejus[1] manum interim osculando.

Quo facto, revertantur singuli ordinate ubi prius prosternebantur; et, cum omnes ad pristinum locum reversi fuerint, flectentes suppliciter genua versus altare cum curta venia, dicant devotissime medietatem hujus versus, "Suscipe me,

[1] *enim*, MS.

" Domine, secundum eloquium tuum, et vivam," atque in surgendo alteram medietatem, "et non confundas me ab " expectacione mea." Quo dicto, repetatur a conventu idem versus, stentque interim omnes in choro ad orientem intenti quousque inclinent ad "Gloria Patri," et sic fiat usque tercio; atque tunc a conventu subjungatur "Gloria Patri," quæ dum dicitur, novicii se ab invicem aliquantulum separantes et spacium in[ter] se hinc inde peragentes faciant inclinacionem. Quo facto, prosternant[1] se, atque ab omnibus devote pro eis oretur, choro post "Gloria Patri" protinus subjungente "Kyrieeleyson," "Christeeleyson," "Kyrie-eleyson," "Pater noster." Sedeant omnes in choro proni in suis scannis, aut stando supp[l]iciter inclinent, si induti fuerint, vel, si diei conveniat, formis incumbant; atque abbas, postquam pronunciaverit "Et ne nos inducas," continuo subinferat psalmum, "Domine quis habitabit"; psalmum, "Dominus regit me"; psalmum, "De profundis"; versiculum, "Salvos fac servos tuos"; versiculum, "Mitte " eis, Domine, auxilium"; versiculum, "Nichil proficiet[2] " inimicus in eis"; versiculum, "Esto eis, Domine, turris " fortitudinis"; versiculum, "Domine, exaudi oracionem " meam"; "Dominus vobiscum."

Oraciones subsequentes per modum leccionis plane dicantur. Quæ dum proferuntur, novicii horis debitis singillatim ac secrecius intra se pronunciando specificent, magistro suo hoc tunc eis suggerente, nisi prius eisdem illud innotuerit. Oracio: " Domine Jesu Christe, qui es via."/ Dictis hiis [fo. 124. tribus collectis singulis cum integro "Per Dominum nostrum," erigant se fratres in choro et stent ex tunc, versas facies ad orientem jugiter habentes, quousque benedicantur atque professionis obsequium penitus compleatur, nisi quod dum canitur ymnus, "Veni Creator," et antiphona, "Beati eritis," stabunt versas habentes facies, chorus ad chorum. Atque dictis tribus collectis pretitulatis, abbas conversus ad altare ymnum, "Veni creator Spiritus," moderata voce incipiat; quem cum inchoaverit, tam ipse quam ceteri omnes continuo genuflectent, et ymnus usque ad finem ab utroque

[1] *prosternat*, MS. [2] *proficiam*, MS.

choro simul devote ac solempniter prosequatur. Ad cujus finem subjungat abbas "Oremus," absque "Dominus vobiscum"; atque legendo, ut prius, illosque benedicendo dicat oracionem, "Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum." Finita hac oracione, erigant se primum, et, stantibus illis, detur benediccio super cucullas sic: oracio, "Domine Jesu "Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis." Post hanc benediccionem, aspergantur aqua benedicta cucullæ et incensentur. Quo facto, accedant novicii ad abbatem singillatim, ut sunt in ordine, ad exuendum habitum secularem, genua flectentes ante eum, unusquisque froccum suum ante se usque collum manibus suis honeste sullevando; et, dum deponitur froccus, dicat abbas: "Exuat te Dominus veterem hominem cum "actibus suis"; atque, dum induitur cuculla, subjungat: "Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum "creatus est in justicia et sanctitate veritatis." Ad utrumque respondeant audientes fratres "Amen." Atque confestim abbas, capud novicii capucio cooperiens, osculetur eum. Et, cum omnes ad locum pristinum ordinate reversi fuerint, prosternant se continuo, tecta sic habentes capita. Et incipiat abbas alciori voce antiphonam, "Beati eritis," quæ usque ad finem a choro prosequatur; atque, expleta antiphona, ut eos in monachatu plenius confirmet, subinferat abbas "Dominus vobiscum"; oracio, "Deus misericors." Finita hac oracione, aspergantur aqua benedicta novicii atque incencentur, et postea surgentes a singulis altaris ministris et a capellano abbatis atque a suo osculentur magistro.

Deinde per chorum ducantur ad osculandum omnes fratres per ordinem, nisi forte aliqui supermanserint minime professi; quia hos procul/dubio osculari non debent. Sed, [fo. 124b. post abbatem, ad altaris ministros et eorum magistrum incipiatur, et postea ad tenentem capam vel capas, si in chori medio fuerint, confestim ducantur. Qui, quamvis plures fuerint, utriusque partis profitentes omnes simul, deosculato ipso cantore, sive cantoribus, ducantur ad osculandum fratres seriatim, de choro abbatis primo, et postea ad priorem et alios de choro ipsius. Sacerdos vero, si diei conveniat, "Credo in "unum Deum" protinus subjungat, et conversus cum thuri-

bulo in chorum atque subdiaconus cum textu evangeliorum novicios antecedant. Et, sive "Credo" dicatur sive non, conversus semper cum thuribulo et subdiaconus cum texto novicios in choro antecedant, nisi forte in tribus leccionibus hoc fieri contingat, et capa in choro non fuerit. Si autem dies talis [est][1] quod "Credo in unum" dici non debeat, pronuncietur a sacerdote solempniter "Dominus vobiscum" atque "Oremus." Et faciant tunc novicii panis et vini oblacionem, priusquam ducantur ad osculandum fratres in choro. Sicque, suscepto pacis osculo prius ab abbate et altaris[2] ministris, deinde a ceteris fratribus, exceptis minime professis, si superfuerint, ut premissum est, et facta oblacione, ad quam faciendum sacerdos expectare debet, si "Credo" ad missam dicatur, donec conventum osculati fuerint, ultimi in choro collocentur, et usque ad tercium diem cum summo silencio quasi seculo mortui in albis permaneant.

Verumptamen, si aliqui superfuerint ad professionem regulariter agenda[m] nondum experti, tunc isti jam professi, non in ultimo loco, sed in ordine suæ conversionis in choro existant, atque in refectorio recumbant, nisi cum conventus ad missam in cappis fuerit aut in albis. Tum, eo quod non induuntur, ultimi omnium in choro collocentur, proviso solerter ab eorum magistro, ut premuniatur levita altaris minister, ut tot oblatas sacrificio apponat consecrandas quot sunt novicii tunc professi et communicaturi.[3] Si vero contingat, per abbatis invalitudinem sive ob aliam causam quæ vitari non possit, quod novicii alibi quam coram conventu ad magnum altare suam faciant professionem, debent a suo magistro, dum legitur evangelium majoris missæ, si "Credo" ad eandem dici debeat,/ ad magnum altare duci, ut, texto a sacerdote [fo. 125. deosculato, ipsum osculentur sacerdotem et altaris ministros, ac deinde cantorem, si fuerit in chori medio, et postea conventum per ordinem, licet tunc in albis aut in cappis existant. Quo facto, ultimi in choro collocentur, quoniam iterum ipso die oblacionem nullatenus facient, neque pacem recipient, aut communicentur. Si vero "Credo" ad missam dici non debeat, tunc, lecto evangelio, ad altare ducentur, et,[4] texto a sacerdote

[1] Om. MS. [2] *altare*, MS. [3] *communicari*, MS. [4] *ut*, MS.

deosculato, si per chorum sit portandus, vel si non, priusquam sacerdos manus suas abluat, ipsum osculabuntur ac ceteros consequenter, ut premissum est. Per duos dies, dum canitur offerenda ad magnam missam, et tercia die ad missam prioris, panis et vini oblacionem in corpus et sanguinem Dominicum consecrandam faciant, generali confessioni intersint, pacem recipiant, quamvis prima die abbatem, benediccione[1] recepta, prius fuerint osculati, atque communionem corporis et sanguinis Christi sincera devocione sumant. Sed ante communionem sanctam cotidie generalem quilibet socio suo et econverso agant confessionem, necnon et privatim, si eos fortasse consciencia in aliquo deprehenderit, confessori suo. Et, postquam communicaverint, ad pristinum locum reducantur.

Quando autem oblacio fit predicta, nullus eorum, antequam dealbetur, licet sacerdos fuerit, vinum in calicem fundere consuevit. Ideo autem supra in albis dicitur, quia cucullam in qua novicius benediccionem suscepit monachalem usque ad tercium diem, quasi seculo mortuus, devote ac humiliter portat, sicut quilibet catholice renatus vestem baptismatis, quæ significat stolam primam, per totam septimanam habeat indutam ; vel ideo dicitur in albis, quia significat eternam vitam, in qua utraque stola vestimur, id est, una cum animæ sive mentis beatitudine eciam carnis gloriam possidebimus. Et licet aliqui fratres inclinacionem non nisi detectis capitibus aliqua vice debeant, isti tamen velata facie hiis solummodo tribus diebus inclinacionem facient, atque ad "Gloria Patri" aliisque horis debitis et consuetis se ordinate, ut poterunt, inclinare debent. Quibus revera, sicuti et aliis fratribus, incensum ministrabitur, atque secunda die textum osculabuntur, si per chorum deferatur, sive "Credo" ad missam cantatur sive non./ Set, licet per chorum medium [fo. 125b. ad altare ducantur ad oblacionem panis et vini secunda die faciendam, pacemque admittendam, non tamen, si forte Dominicus sit dies, ad aquam benedictam una cum conventu a sacerdote recipiendam pro more ducentur ; sed, sive in froccis sive in albis aut capis processio sit itura, ipsi interim in

[1] *benediccionem*, MS.

capite chori ad occidentem humiliter assistent; atque, finita missa, quando in dormitorium ducuntur, aqua illos benedicta eorum magister secrecius asperget.

Novicii siquidem, facta professione sua, nulla vice ab ecclesia usque ad tercium diem cum conventu exibunt. Capitulo non intererunt nec collacioni; sed, quociens et quamdiu conventus in claustro fuerit aut in capitulo, ipsi psalmis et oracionibus vacantes in choro residebunt. Cum autem fit processio usque in dormitorium, ipsi, facto prius in ecclesia modico intervallo, illuc deducentur, atque inde ad ecclesiam mox sunt reducendi, nisi nocturnis horis tantum et meridianis estivo tempore. Tunc enim moram facient in dormitorio, atque una cum habitu suo cucullatis capitibus, sed discalciati et absque froccis, cingulis tantummodo nocturnalibus super staminam cincti, in lectis suis pausabunt. Nam sic vestiti per duas noctes dormient; atque interim magister eorum maximam circa illos adhibiturus est sollicitudinem, ut, tanquam seculo sepulti, cum nullo ante exalbacionem suam signent vel loquantur, nec aliquis cum eis; sed nec ipse magister eorum, nisi pro maxima et urgentissima necessitate. Capuciis suis furratis atque aliis indumentis et calciamentis uti possunt, secundum quod opus habent. Hoc observate, quando froccos exuunt, quod cucullarum capucia ultra frontes suas indecenter et inordinate nullatenus transvertant, sicuti a plerisque, non ex magistrali erudicione, sed ex presumptuosa animi voluntate aliquociens fieri mos est. Nec debent aliqua vice ante tercium diem capucia, ut respiciant ante vultus suos, erigi, nisi certis ex causis, ut quando recipiunt pacem, communicantur, vel potum sumunt. Conventum namque ad matutinas et ad nonam estivo tempore debent prevenire, et, tam ante primam et eciam ante matutinas quam post completorium, tres oraciones solitas cum conventu in ordine suo facere. Factisque tribus oracionibus post completorium, moram facient in choro, et/ ibidem in ordine suo [fo. 126. sedebunt per moram aliquantulam, oracionibus intenti, magistro eorum cum ipsis remanente donec ceteri fratres dormitorium ingressi fuerint. Et ideo dicitur paulo ante, per morulam aliquantulum prolixam, ut videlicet nec in latrina

nec versus ipsam incedendo, per fratrum inibi presenciam seu ab ea exeuncium obviacionem, aliquod eis obsistat offendiculum.

Ad prandium et ad cenam, si fieri potest, conventum preveniant, et ad gracias post refeccionem usque in chorum et non ulterius in suo ordine processionaliter incedant, et post recessum conventus in chorum remanebunt. Si autem conventus non cenaverit, post vesperas ipsi ad potandum cum conventu in refectorium per se ducantur. Si vero a presidente aliquid eis hora refeccionis fortasse destinatur, ordinate, ut possunt, assurgere debent, accepto prius signo a custodibus eorum. Et si duo simul fuerint ex una parte, magister eorum medio loco inter eos in mensa recumbet, atque ad processionem post prandium et post cenam usque ad ecclesiam eos antecedet ; sicque cum eis ibidem morari debet, donec graciæ persolvantur et nona cantetur, si tunc inmediate cantari debeat ; ita videlicet quod ipse non ultimo loco stet nec medius inter eos, sed ipsi omnium ultimi in choro collocentur, preter minime professos, si qui supermanserint, ut premissum est. Atque idem magister et ejus socius vel socii, si ad eorum tutelam habeat secum, stent ibidem hinc inde ante illos ad tergum eorundem noviciorum ; hoc observato, quod solus cum eis remaneat magister eorum, exeunte conventu, quousque eos, si tempus exigerit, in dormitorium eos ducat. Sed revera omnibus aliis horis atque temporibus in ordine conversionis suæ in choro assistet eorum magister, sicut aliis solet diebus, nisi tantummodo post completorium. Tunc enim, ut predictum est, tres oraciones cum ipsis faciet. Et tam ad exitum eorum a choro post completorium, facto prius ibidem modico intervallo, ut premissum est, quam ad ingressum eorum in ecclesia[m] hora matutinali, aqua benedicta eos asperget, capucia eorum interim aliquantulum sublevando. Si autem conventus non cenaverit, tunc inter potandum sedebit superius magister eorum in ordine suæ conversionis. Non enim hora re/feccionis ultimus omnium sedebit magister [fo. 126b. noviciorum tempore professionis, sicut consuevit primos octo dies quando cuiquam conceditur habitus monachalis ; sed, sive unus per se professionem [faciat] sive plures, unus

semper ad minus sub eo in mensa sedebit. In Quadragesima vero sicut et in aliis temporibus, dum cantatur "Dirige," in ordine suæ conversionis in choro sedebit eorum magister et, eo finito, ad ipsos est iturus, priusquam conventus a choro egrediatur.

Preterea, si forte contigerit aliquem fratrem ab hac luce migrare, dum sic in albis fuerint, ad extremam vigiliam proculdubio erunt, et psalterium atque alia agenda, sicut et ceteri fratres, dicent, nisi egritudo aut inbecillitas manifestior in causa existat. Tercio namque die, ad pacem missæ, auferet eis prior capucia a capitibus summo mane, ut moris est, ubicumque missam celebraverit, nisi magnam missam vel missam de anniversario principali ipso die sit celebraturus, vel cantare non possit aut noluerit; tunc a suppriore fiet vel ab alio ordinis custode. Hoc observato, si conventus die qua profitentur sive sequenti die ad missam in cappis fuerit aut in albis, quod ipsi dum canitur missa ultimo loco collocentur, ut specificatum est supra. Qui tunc proculdubio non per chori medium ad altare ducentur nec reducentur, nisi tantummodo hora illa post evangelium, ut prefertur; quia conventum osculari debent. Sed, quocienscumque ad altare sunt ituri, toto ad missam conventu induto, ab occidentali parte chori pro more educentur, et per eandem viam in choro revertentur. Et, si forte radatur conventus dum sic novicii in albis existunt, radi debent post dealbacionem, priusquam alicubi in conventu appareant. Ceterum in tercio aut in quarto capitulo quo eis loqui licet, seu die quo decreverit eorum magister, debet de eis memoriam habere coram abbate vel coram eo qui ordini preest, dicens: "Domine, si placeret vobis precipere, "possent et isti fratres ab hac die in antea legere et cantare in "conventu, sicut et alii fratres, et alia minuta officia facere." Respondente abbate vel alio presidente: "Fiat, cum benediccione Dei," inclinent ipsi novicii ad eum de loco in quo/ sedent. Ex illa enim die licenciam habent [fo. 127. lecciones, epistolas, et ad servitores in refectorio legere, responsoria cum versibus et gradalia ad gradum in choro cantare, lecciones mortuorum cum versibus recitare, minorem cantariam facere, turibula et candelabra portare, de coquina, cum cursus

ad eos venerit, in prandio fratribus servire, ad discum in refectorio stare, martilogium in capitulo, tabulas servicii et tabulas mortuorum cum brevibus, si fuerint, legere, tabulas feriales scribere, et eciam de licencia priorum ordinis, si necesse fuerit, post sex septimanas vel octo a professione eorum collacionem in capitulo legere pro senioribus, et eciam magnam cantariam facere, et inter missas xij. leccionum capam pro senioribus portare, et "Alleluya" ad gradum in choro cantare. Et similiter, si fuerint aliqui presbiteri inter novicios, omnino faciant minora servicia, sicut et ceteri fratres inferioris ordinis, per unum videlicet aut duos annos, seu per quantum temporis fuerit necesse, donec de rebus singulis quæ ad ordinem spectant usu et experimento plenius sint instructi. Ipsis enim nondum licebit missas celebrare, nisi in seculo probatæ castitatis extiterint et abbas pro hac re specialem tunc eis aut prius fortasse, magistro eorum id petente, licenciam dederit celebrandi. Sed in supradicti magistri sui commendacione de ordinis institucionibus instruendi omnes pariter intenti existant, quousque persolverint ea quæ pro more hujus cenobii memoriter sunt reddenda, et donec processu temporis decreverit abbas ut ordinentur qui in inferioribus ordinibus[1] sunt, et missas celebrent qui presbiteri sunt.

Inter hæc sciendum est quod, quando novicii ad sacros ordines debent promoveri, venient in capitulum ad aream coram abbate vel alio presidente, si abbas non fuerit in capitulo, et humiliter capient longam veniam jacendo, sic dicendo: "Nus requerums la misericorde Deu, nostre dame "saynte Marie, e la vostre, ky vus nus grantez lez seyns "ordrez." Et, si solus unus fuerit, dicatur sic: "ke vus me "grantez le ordre de sacerdoch, ou de dyakne, ou de su- "dyakne, ou de accolit." Surgant ad jussum presidentis, et dicat sic: "En nun de Deu et nostre dame saynte/ [fo. 127b. "Marie, en ki nun vus lez priez, nus lez vus grantumz." Et ipsi humiliter inclinabunt. Iterum capient longam veniam jacendo, sic dicendo: "Nus requerumz la misericord Deu," et cetera, "ke vus priez pur nus, ke nus puisoms si les seyns "ordres receyvre, ke Deus en soyt paye, e ke soit a salvacion

[1] *ordinis*, MS.

"de nos almes," vel singulariter, "ke je puisse en teu manere "reseyver le ordre de sacerdoch," et cetera, "ke Deus en "seyt paye, e ke soyt a salvacion de nostre alme." Surgant ad jussum presidentis, et injungitur a presidente fratribus oracio specialis pro eis vel pro eo facienda, et ipse vel ipsi inclinabunt. Ac deinde aliam sument veniam misericordiam petendo, et surgens vel surgentes dicent: "Syre, si je ay," vel "si nus aiums, a nul frere trespasse, je pri," vel "nus "priums, pur Deu, ke il nus," vel "moy, soyt pardone." Quo dicto, respondeatur a presidente: "Karissimi fratres," vel, "karissime frater, indulgeat tibi Deus omnia mala quæ "gessisti, et una cum amore fraterno tribuat tibi graciam et "misericordiam, quam humiliter ab eo deposcis." Quo audito, inclinet suppliciter et sessum redeat vel redeant. In die quo quis missam primam est celebraturus, petita ad aream in capitulo misericordia cum prostracione, eriget se et dicet: "Sire je vus pri ke vus priez pur moy, ke je puisse en tele "manere le service fere, ke Deus en seyt payez, et ke je "pusse profiter a moy et a vifs et a mors, pur queus je dey "prier." Et, hoc dicto, suppliciter stabit inclinus, donec pro eo a presidente quæ voluerit oracio fratribus sit injuncta, et tunc erigens se recedat.

Quo ordine suscipiuntur laici conversi, juxta consuetudinem istius monasterii.

Quando petit aliquis secularis nostri ordinis habitum laycalem, [et a] dompno abbate vel, jussu ipsius, a noviciorum magistro predicta sint ei, juxta tenorem regulæ, omnia dura et aspera per quæ itur ad Deum, et ipse ea libenter pro regno Dei se perpessurum atque a se omnem obedienciam promiserit adimplendam, abbas in capitulo, vel ad imperium ejus alius qui preest conventui, denunciabit quod talis intimo affectu desiderat in habitu fratris Deo famulari in domo ista; atque conventus, si viderint expedire, suum continuo prestabunt assensum; ac deinde a noviciorum introducetur/ magistro. Qui, flexis ad aream geni- [fo. 128.

bus, suam confestim peticionem faciet Gallica, si noverit, vel eciam patria lingua, sic dicendo: "Requiro misericordiam "Dei et vestram, quatinus mihi concedatis habitum fratris." Quo concesso, incontinenter[1] se eriget et, humiliter procedens, osculabitur pedes presidentis; quod cum fecerit, revertetur ad aream, et prefigetur ei dies quo[2] habitum admittet, diceturque ei ut exeat in nomine Domini, atque de hiis quæ ad habitum religionis pertinent citra illum diem sagaciter sibi provideat. Qui si[3] fortasse jussu dompni abbatis hujusmodi necessariis plenarie sibi providerit, eodem quo stat loco, priusquam egrediatur, jussu presidentis predicata prius eidem paupertate, et quod ei caritatis intuitu habitus ei conceditur, atque specificato sibi ordinis rigore et voto quod vovebit, suam hoc modo faciat professionem, videlicet, quod obediens erit et castus, et nichil ab illa hora proprium habebit. Verumptamen, si fuerit, quamvis paulisper, litteratus, poterit multum conveniencius et rite debet sua manu propria, vel eciam manu alterius ex peticione sua, prescriptam habere professionem; quam tunc ibidem stando obnixe ac voce suppressa legendo pronunciabit sic: "Ego frater N. "promitto stabilitatem coram Deo et omnibus sanctis ejus, "castamque et honestam conversacionem amodo tenendam, "et vivere sub obediencia sine aliquo proprio quamdiu vixero." Vel eciam Gallice sic dicat: "Je frere N. prometh establete "et chastete et honeste conversacion devont Deu et tuz ces "seyns, et ke je serray obedient et viveray saunz proprete "tant cume je averay a vivre." Aut saltem patria lingua dicat hoc modo: "Ich frere N. byhote stedevestnesse and "chaste lif tofore God and alle hiis halewen, and þat ich "schel ben buȝsam a[n]d leven withoute proprete al mi lif "time."

Et, hoc dicto, offeret sedulam presidenti cum genuflexione, ejus dexteram osculando. Qui eciam, si absque scripto profiteatur, illius nichilominus dexteram osculabitur; atque confestim a suo educetur magistro usque in cellam hospitum, vel ad alium locum secretum hujusmodi conversis deputatum,

[1] *incontinenti*, MS. [2] *qui*, MS. [3] *nisi*, MS.

ubi eum faciet, ut moris est, tonsari et circumtonderi. Quo facto, exuet omnino vestimen/ta secularia, et nova [fo. 128b. induet, habens tamen desuper aliquod indumentum seculare, quod videlicet magister suus vel alius rogatus ab eo deponet; qui scapulare eidem est daturus, priusquam illud ei inponat. Quod quidem scapulare, cui videlicet capucium inheret, signum et habitus est suæ religionis, per quam videlicet et per fidem et operacionem et obedienciam salvari fiducialiter sperare debet. Et iccirco, nisi illo habitu quod dicitur scapulare induatur seu alio consimili, ab hora videlicet qua sibi inponetur, nulla vice comedet aut bibet, nec quaquaversum incedet suo perpetuo, nisi egritudo sit in causa. Qui, cum ductus fuerit ante altare aliquod, flectet genua sua novicius coram altari et oracioni humiliter procumbet, dicatque magister illius, qui tradendus (*sic*) est ei habitum, cum fratribus quos secum adduxerit, vij. psalmos penitenciales; vel eos pocius dicant prius, dum tonsoretur conversus; et postea ab eo qui habitum ei est tradendus (*sic*), ante illud altare subjungat[ur] versiculus, "Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra," et cetera; "Kyrieleyson"; "Christeleyson"; "Kyrieleyson"; "Pater noster." Sacerdos, stola collo ejus prius inposita, subinferet, "Et ne nos"; versiculum, "Salvum fac servum tuum"; versiculum, "Mitte ei, Domine, auxilium de sancto"; versiculum, "Esto ei, Domine, turris fortitudinis"; versiculum, "Nichil proficiet inimicus in eo"; versiculum, "Domine, exaudi oracionem meam"; "Dominus vobiscum." Oracio: "Suscipe, quesumus, Domine, hunc famulum tuum "ad te de procella seculi hujus laqueisque diaboli fugientem, "ut a te susceptus et instanti seculo salvatum et in futuro se "gaudeat a te feliciter numeratum; per Dominum." Alia oracio: "Presta, quesumus, Domine, huic famulo tuo, renun-"cianti secularibus pompis, graciæ tuæ januas aperiri, qui, "despecto diabolo, confugit sub tutela Christi; jube venien-"tem ad te sereno vultu suscipi, ut non de eo valeat inimicus "triumphare. Tribue ei, quesumus, infatigabile brachium "auxilii tui; mentem ejus fidei lorica circumda, ut felici "muro vallatus mundi se gaudeat evasisse naufragium; per "Christum." Oracio: "Tu famulum tuum, quesumus,

"Domine, bonis moribus placatus institue, et[1] in eo quod "placitum est tibi dignanter infunde, et presta semper ad te "toto corde concurrere, et tibi/ subdita mente [fo. 129. "servire, tuamque misericordiam suppliciter exorare, ut "dignus sit et tua valeat beneficia promereri, per Dominum." Oracio: "Deus, qui famulum tuum a seculi vanitate con- "versum ad supernæ vacacionis accendis amorem, pectori "illius purificando illabere, et graciam qua in te perseveret "infunde, ut, proteccionis tuæ munitus presidio, quod, te "donante, promisit impleat, et suæ promissionis executor "effectus ad ea, quæ perseverantibus in te dignatus es pro- "mittere, pertingat; per Dominum."

Hic eriget se conversus, et suppliciter incurvatus, quousque scapulare, quod dicitur ejus habitus, benedicatur, habebit vestem clausam de blanketo denigrato prius indutam, et postea, data benediccione, scapulare desuper eidem imponetur, ejusdem scilicet coloris. Sacerdos dicet, "Dominus vobiscum." Oracio: "Deus, bonarum virtutum donator et omnium "benediccionum largus infusor, exaudi preces nostras, et hoc "vestimentum, quod famulus tuus pro conservandæ regulæ "signo se ad induendum exposcit, benedicere et sanctificare "digneris, quatinus, eo humiliter utens, tuæ proteccionis "munitus auxilio, celestem benediccionem accipiat, et pre- "sentis vitæ prosperitate gaudeat et eternæ; per Christum." Oracio: "Deus, qui vestimentum salutare ad indumentum "jocunditatis eternæ tuis fidelibus promisisti, clemenciam "tuam suppliciter exoramus, ut hoc indumentum, morti- "ficacionem carnis, humilitatem cordis, et compunccionem "contemptumque mundi significans, quo famulus tuus sancto "visibiliter est informandus proposito, propicius benedicas, ut "sacræ religionis habitum quem, te [inspirante,][2] suscipiet, te "protegente, custodiat; per Christum." Hic humiliter genuflectet conversus, sacerdote dicente, "Dominus vobiscum." Oracio: "Adesto, Domine, supplicacionibus nostris, et hunc "famulum benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum "sacræ religionis posituri sumus, ut, te largiente, et devotus in "oracione persistere et vitam percipere mereatur eternam;

[1] *ut*, MS.

[2] Supplied from O.

"per Christum." Oracio: "Deus, qui renunciantibus seculo "mansionem paras in celo, dilata hujus famuli tui habita-"culum mentis, et reple celesti desiderio, ut fraterna teneatur "compagine caritatis, precepta Domini custodiat, sobrius, "simplex, et quietus, gratis sibi datam[1] graciam fuisse "agnoscat, concordet ejus vita cum nomine, et/ [fo. 129b. "professio senciatur in opere; per Dominum."

Tunc, aspersa aqua benedicta super habitum et super conversum, exuet eum vestimento superiori quo vestitus est, et induet eum habitu sanctificato, dicens: "Accipe hanc "vestem, indue sanctitatis decorem, ornare habitu regulari, "cum timore et reverencia, quem, interveniente beata Dei "genitrice semperque virgine Maria, et beatis apostolorum "principibus, Petro et Paulo, et ecclesiæ presentis advocatis, "et beato Augustino, Anglorum apostolo, patrono nostro, "necnon et beato magistro nostro Benedicto, cum bonorum "observancia operum, ignita castitatis lampade suffultus, "inmaculatum ante tribunal Christi proferas; per Christum." Oracio: "Clementissime dominator, Domine, tuam invocamus "pietatem super hunc famulum tuum N., quem a seculo "conversum in numero sanctorum tuorum accersire dignatus "es; quesumus ut conversionis suæ fidem digne custodiat, "quicquid pro salute animæ suæ fuerit deprecatus optineat, "sit vita probabilis, sit sapiens et humilis, sit sciencia verus, "in regulari disciplina tractabilis, in increpacionibus inmobilis, "in gravitate decorus, in passione piissimus, in operacione "cautus, in disposicione sollicitus, in temptacionibus fortis, "in injuriis paciens, in pace fixus, in elemosinis promptus, in "oracionibus frequens, in misericordia efficax, et in subditis, "si quos pro tempore habeat, mansuetus et pius. Nec sit "inmemor quod a te de suis erit factis tuo judicio judicandus. "Hujus quoque, Domine, deprecamur, ut munera placatus "suscipias, et quicquid juste a te pecierit clementer impartiri "digneris; per Dominum." Subjungetur ab omnibus hæc antiphona: "Confirma hoc, Deus, quod operatus [es][2] in nobis "a templo tuo quod est in Jerusalem." "Alleluya." "Dominus vobiscum." Oracio: "Suscipe quesumus, Domine, sancte

[1] *datum*, MS. [2] Supplied from O.

" pater omnipotens, hunc famulum tuum, quem de hujus " seculi naufragio et periculis eruisti, et ad sacræ religionis " cultum per tuam graciam vocare dignatus es; et concede " propicius, ut artam et angustam quam professus est vitam " jugiter teneat, diligat, atque sectetur, quatinus ad eternam " vitam, quam perseverantibus in tuis mandatis pollicitus es, " te auxiliante, pervenire mereatur; per Dominum."

/*De disciplina fratrum laicorum, et qualiter instrui debeant.* [fo. 130.

Hiis ita peractis, in regressu ab altari suum osculabitur magistrum ceterosque fratres ibidem presentes. Postea de regulari disciplina et qualiter eum in monasterio oporteat conversari diligenter est informandus; atque ad alios ducetur fratres conversos, et, cujuscumque fuerit etatis sive condicionis, ultimus eorum in ordine erit. Qui, si aliquam habuerit vel habere possit litteraturæ noticiam, eciam si provectæ sit etatis, debet ad minus litteratorie discere atque memoriter scire generalem confessionem benediccionesque ante prandium et gracias, una cum psalmo quinquagesimo, post benediccionem dicendas, ac precipue cum quanta diligencia et devocione sacerdoti ad missæ consecracionem, si forte sit necesse, debeat ministrare. Qui eciam, si rudis sit ingenii et ad litteraturæ noticiam capessendam penitus insufficiens, debent ei cum majori diligencia et sollicitudine ea quæ predicta sunt, licet cum difficultate, pro more laycali, oretenus ad plenum edoceri; necnon et septem penitenciales psalmos cum letania, aliosque Daviticos psalmos fructuosiores, atque oraciones peculiares, si forte ad hæc ydoneus habeatur scienda, dicere debet cum effectu, eo quod, si suæ fuerit possibilitatis,[1] ea memoriter scire tenetur. Debet insuper moneri ut de peccatis, quæ in seculo gessit et suæ tunc occurrunt memoriæ, domino abbati primum, vel eciam suo, si jusserit ipse, magistro, veram et humilem atque integram

[1] *possibilitas*, MS.

faciat confessionem; necnon die Dominico proximo subsequente ducet eum custos suus, una cum ceteris fratribus conversis et aliis quos voluerit de conventu secum adducere, usque ad locum eisdem fratribus specialiter deputatum; ibique, tactis sacrosanctis, jurabit conversus quod fidelis erit ecclesiæ et res sibi processu temporis commendandas fideliter custodiet; atque in ipso loco, si deliquerit, humiliter solo prostratus correcciones faciet cotidianas, juxta suorum quantitatem excessuum, penitenciam devote admissurus, de qua expresse inferius specificabitur. Et maxime quolibet die Dominico, post processionem cui interesse debet cum aliis fratribus conversis, ultimo post abbatem/ circa [fo. 130b. claustrum incedentibus, usque ad locum eundem confestim pro more est iturus, vel eciam alibi, si a suo prejussus fuerit magistro, ut de omnibus precedentis ebdomadæ excessibus ibidem Deo plenarie satisfaciat.

Debet autem illius custos suam audire confessionem, quociens opus fuerit, et precipue diebus quibus communicari debet; quod videlicet fiet ex consuetudine in omni festo principali, atque frequencius per annum, si decreverit abbas; observato tamen quod primum in sua novitate, ut prefertur, atque deinceps annis singulis abbati semel confiteatur. Est autem a suo custode eidem injungendum, die prima qua habitum admiserit, ut ex tunc cotidie horas, si noverit, dicat regulares et horas similiter de Dei genitrice, vel, si non, quod pro singulis eisdem horis, exceptis vesperis et matutinis, dicet cotidie sepcies "Pater noster" et tociens salutacionem angelicam, cum devota genufleccione, si dies privata fuerit; pro vesperis vero ter septem, atque pro matutinis sepcies septem, cum genufleccione similiter, si diei conveniat. Et, si aliquo die contigerit quod missam non audierit, unam dicet psalmorum quinquagenam vel, si psalmos nesciat, quinquagesies dicat oracionem Dominicam, cum salutacione memorata. Tantundem vero dicet pro missa de anniversario principali et secundario, atque pro missa diebus quibus sepeliuntur fratres nostri, et similiter audito obitu eorum qui nostrum capitulum habent, necnon et pro recompensacione psalterii de vigilia in fratrum decessu de ecclesiæ gremio, et

illorum similiter qui capitulum habent, cencies et quinquagesies Dominicam dicet oracionem, sed absque "Gloria Patri," subjuncta tociens salutacione prelibata. Quæ si forte ob aliquam causam dicere omiserit, Dominica proxima subsequente petet inde veniam, suppliciter prostratus loco supradicto. Ideo autem superius de "Gloria Patri" fit mencio, quia ab omnibus fere conversis monastici ordinis, quociens dicitur ab eisdem oracio Dominica pro horis regularibus, subjungitur inmediate "Gloria Patri" cum "Sicut erat"; quod nullatenus fit, quando specialiter pro defunctis orant. Cum autem per aliquod tempus visus fuerit ordina[1]

* * * * *

" /timum largiaris placatus effectum quatinus, ab [fo. 131. " instanti periculo et omni adversitate liberati, eternis gaudiis " perfrui mereamur; per Dominum." Vel alias, si voluerit, dicat presidens collectas pro peccatis; hoc observato, si ipsa die brevicula pro defunctis in capitulo lecta fuerint, quod prius dicant "Verba mea," versus ecclesiam incedentes, et postea vij. psalmos ordine prelibato. Si vero alio aliquo modo de hoc sacramento leviori negligencia et non sic aperta evenerit, ut si de vino quod primo post assumptum sanguinem funditur in calicem, aut de illo quod super digitos est infusum, aut de minutis eukaristiæ partibus in patena aut corporalibus aliqua acciderit negligencia, ex judicio abbatis vel prioris vel eciam sui confessoris, leviori[2] vindicta frater, cujus culpa hoc contigerit, puniatur. Si autem providerit aliquis bonus, circa tantam rem merito sollicitus, ut quolibet alio quam supra descripto modo, actenus videlicet usitato, vel magistra racione vel doctorum auctoritate commodius et sanccius corrigi possit, sive in delinquencium augendo penitenciam, sive in remittendo, aut rei agendæ in casibus hujuscemodi seriem permutando, qualis vel quantacumque videatur offensio circa tam sublime altaris sacramentum, illum melius corrigentem et ordinantem nullus dedignetur, quod absit, imitari. Sed interim, qui melius nescit, secure in hiis teneat modum et ordinem preostensum.

[1] Six leaves are here missing from the MS.

[2] *levior*, MS.

Instruccio salubris ac necessaria de casibus et negligenciis quæ fortuitu ad missæ consecracionem contingere possunt.

Quod si, negligencia sacerdotis, quod absit, evenerit [ut], missam cantans, panem usque ad "Qui pridie" oblitus fuerit, hostiam tunc occulte sumat et super corporalia ingemiscendo ponat, subjungendo "Qui pridie." Ubicumque vero hoc prius cognoverit, assumpta hostia, incipiat ubi dimisit, et pro negligencia Deum in posterum satisfaciat penitendo. Si per negligenciam, quod absit, ad missam evenerit ut, perlecto canone et peracta consecracione usque "Per omnia secula seculorum; /Oremus; Preceptis salutaribus," ut vinum nec aqua [fo. 131b. recipiatur in calice, utrumque statim occulte debet infundi, et sacerdos reiterabit consecracionem, ab illo scilicet canonis, "Simili modo," usque ad finem; ita tamen quod illas duas cruces omittat quæ singulariter super panem fiunt. Aliter autem, juxta quorundam opinionem, fieri potest, ne scandalum emergatur in moram faciendo prolixam, maxime si plebei missæ interfuerint, videlicet quod, si hora percepcionis cognoverit sacerdos vinum cum aqua non esse appositum, utrumque continuo apponere debet, et formam verbi sive oracionis de consecracione[1] sanguinis tantummodo dicere, videlicet "Simili "modo," et cetera, usque "In remissionem peccatorum," ut plenum sit sacramentum. Tamen huic consulendum prius conteri et dolere de tam enormi negligencia. Si autem, quod absit, cum aqua solummodo fiat consecracio, cum hoc expertum fuerit, sacerdos continuo vinum in calicem secrecius ponat, et a "Simili modo" incipiat, ut premissum est. Si vero cantaverit aliquis cum vino sine aqua, statim ut hoc cognoverit, mittat continuo aquam in vinum, et, si hoc post Dominicam oracionem primo perceperit, incipiat hic, "Oremus: Preceptis salutaribus moniti"; dicatque iterum in silencio oracionem Dominicam, et postea sacramentum, ubi dimisit, ingemiscendo prosequatur; et [si] de simplici vino vel aqua sine

[1] *consecracionis*, MS.

vino consecracio peragatur, vinum reputatur pro sacramento, sed aqua non. Idcirco ista negligencia de aqua[1] major est quam de vino, et majori penitencia emendanda. Curandum est ergo diligenter circa talia, et ut parum ponatur de aqua in calicem. Est enim in significacione tantum, et est de congruitate hujus sacramenti, non de necessitate; et tamen, qui illam ex heresi aut contemptu omittit, peccat mortaliter. Si vero ex negligencia, ex eo quod nullam diligenciam adhibuit, adhuc peccat mortaliter. Sed ex hoc quod semiplenam habet diligenciam, peccat venialiter; sed tamen graviter, quia hoc sacramentum cum omni diligencia est consecrandum. Si autem contigerit pro vino poni vinum corruptum, ita quod plene conversum sit in acetum; aut si tantum de aqua ponatur /quod alteretur vinum a suis naturalibus saporibus et [fo. 132. tollitur potencia conficiendi; et similiter tot grana alterius bladi in frumento misceri possent cum frumento molendo, et insuper tanta posset esse corrupcio[2] panis ut simpliciter desineret formam habere panis, quod non posset confici ——[3]

De negligencia circa prolacionem verborum intelligendum quod, si in verbis consecracionis, sive panis sive vini, quæ fiunt de essencia sacramenti, fiat notabilis corrupcio sincopando vel aliter, ita quod vox ipsa significacionis suæ formam amittat omnino, aut transponentur verba, aut per saltum aliquod verbum omittatur, peccatur gravissime, et totum reincipiendum est, scilicet: "Hoc est corpus meum," et cetera; vel "Hic est calix," et cetera. Dubitatur tamen de hoc[4] "enim," si omitteretur, utrum reincipiendum esset.

De negligenciis vero in verbis ante consecracionem et post, si perpendat se sacerdos omisisse aliquid, redeat et dicat et peniteat, quia graviter peccavit. Si autem post consecracionem recolat se transisse de verbis ordinatis ante, non debet redire, sed conteri[5] et penitenciam agere de negligencia. Negligencia enim ibi est gravissima, ubi omnis diligencia

[1] *qua*, MS. [2] *corrupcio abesse*, MS. [3] The end of the sentence omitted.

[4] *ly*, MS. A curious blunder in copying the abbreviated form of *hoc* (*h*, with an oblique stroke).

[5] *converti*, MS.

adhibenda est. Si fortasse per negligenciam contingat, ad signaculum ubi dicitur "In ipso," quod corpus Dominicum sanguinem tangat, posita patena ante calicem, debet hostiam super ipsam patenam, in parte videlicet patenæ calici propinquiore, ita caute locare, ut pars madida hostiæ nec corporalia tangat neque patenam. Qui videlicet, dum dicturus est "Da propicius pacem," et, ut moris est, patenam interim osculaturus, tenebit hostiam reverenter ante calicem manu sinistra, quam denuo super patenam cum magna cautela reponet.

Si vero contingat [quod] integra hostia consecrata, ubi dicitur "Per ipsum et cum ipso," vel in hora qua fraccio fieri debet, in sanguinem ceciderit, non est extrahenda ut frangatur aut digitis tangenda, quod absit, cum sanguine Dominico sit intincta; sed, excussis digitis reverenter ultra calicem, de quibus ceciderat, faciat signacula debita et consueta cum digitis dextræ manus, tanquam si hostiam in eisdem rite teneret, ac postea,/ ubi fraccio fieri solet, hostiam ingemiscendo [fo. 132b. respiciat, atque mentaliter eam pro more frangendo dicat, "Per eundem Dominum nostrum," et cetera. Dehinc calicem, ut moris est, inter manus tenens, signaculum ultra sanguinem digitis faciat, pronunciando "Pax Domini," et cetera. Ac inde, ubi dicit "Hæc sacrosancta commixtio," signaculum similiter faciat, corpus et sanguinem suppliciter intuendo. Et postea ubi dicit "Adoramus sanctum corpus tuum," utrumque adorando obnixe contempletur, et ante percepcionem, non sicut alias divisim, sed hoc modo conjunctim dicat: "Corpus "et sanguis Domini nostri, Jesu Christi, prosit mihi ad "salutem corporis et ad remedium animæ meæ, in vitam "eternam, amen." Negligens vero conteri debet ac dolere, dignamque pro commisso penitenciam agere.

Ceterum, si contingat, fraccione facta, quod una seu duæ porciones hostiæ, quas digitis manus sinistræ tenet sacerdos, in sanguinem ceciderit, non, quod absit, extrahi debent, sed in calice[1] remanebunt; et nichilominus, hora qua dicetur "Hæc sacrosancta commixtio," residua pars hostiæ sicca existens, quæ videlicet pro hiis qui in peccatis volvuntur specialiter

[1] *calicem*, MS.

sumi solet, satis congrue, ut alias, in sanguinem dimittetur; atque ex tunc a celebrante explebitur sacrificium ordine quo paulo ante exprimitur, ubi specificatur de hostia integra, cum fortuitu in calicem sit lapsa. Memorata siquidem pars hostiæ tercia, si hora fraccionis in sanguinem ceciderit, ibidem proculdubio dimittetur, sacerdosque continuo, assumpta reverenter residua hostiæ particula minore inter digitos dexteræ manus, faciet inde crucis signum, ut alias fieri solet, pronunciando "Pax Domini"; atque iterum, cum dicit "Hæc sacrosancta commixtio," signaculum inde faciens, ipsam porcionem in sanguinem nullatenus ponet, sed reliquam devote recipiendo porcionem, quæ prius in calicem decidit, commixtionem sacram mentaliter faciat, fiducialiter et catholice credendo quod unum et idem est Christi corpus, licet per partes fuerit divisum; quoniam proculdubio corpus Dominicum, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo quantum esse constat/ in toto. Postea vero, signaculo [fo. 133. ultra sanguinem hora commixtionis peracto, sacerdos illam particulam inter digitos sinistræ manus ordine quo prius continuo reponat.

Si ceciderit aliquid in calicem ante consecracionem, cum digito vel panno honeste extrahatur. Si vero sit venenosum vel abhominacionem faciat, totum deponatur in piscinam; et, loto atque terso calice, iterum paretur et procedat. Si vero post transubstanciacionem aranea vel musca in calicem ceciderit, vel aliquod tale quod vix sine vomitu aliquando aut periculo sumi potest, provocanda est musca vel aranea ut a sanguine se subtrahat, aliquo modo decenti, ita quod non evadat, sed tenenda est contra labium calicis leniter, usquequo sanguinem sumpserit. Deinde fiat suprainfusio vini in calicem, ut moris est, et sumatur. Postea vero illud quod intus ceciderit debet in calice vino sepius perfundi et, quanto caucius et diligencius fieri potest, ablui. Sed et illam ablucionem sumet sacerdos vel aliquis alius, ac deinde, more solito, fiat aquæ infusio et purificetur calix; atque illud demum, quod intus cecidit, super piscinam sive sacrarium comburatur, et cinis intra altare vel sub altari recondatur. Sed, si illud quod in calicem cecidit sit venenosum, et timeat

sacerdos quod species vini sit infecta, consulunt quidam, quia non est bonum temptare Deum, quod ipsa species vini sive ablucio rei supra sacrarium comburatur, vel prunis reverenter apponatur calix, aut, si aliter fieri non possit, debet solidum transglutiri. Si vero in sanguinem lacrima ceciderit, non est multum curandum. Cavendum est tamen sollicite ne contingat. Si contigerit aliquem pannum altaris aut ex aqua aut ex vino medefactum fieri, non cantetur missa super illud, donec pannus ille ablatus fuerit, si alius habeatur qui superponi possit. Si contingat quod illud quod in calice est ante consecracionem corporis super corporalia ceciderit, si alia habeat corporalia, mutet ea et preparet iterum calicem et procedat. Si non habet alia corporalia et possit sine scandalo, non procedat, sed totum ammoveat; quod si non potest, ponat vinum et aquam in calicem et procedat. Nec est periculum de vino quod est in corporalibus/ quod [fo. 133b. consecretur, quia non intendit illud consecrare. Si vero ceciderit post consecracionem corporis et ante consecracionem sanguinis, accepto corpore reverenter inter digitos sinistræ manus, mutet corporalia et paret calicem et procedat; vel ponat interim corpus Dominicum, si necesse videatur, super patenam, hoc observato quod pars illa patenæ, ubi jacuit eukaristia, ultra aliquem calicem sive sacrarium vino aut latice abluatur, priusquam denuo inde ministretur.

Si super altare, post consecracionem sanguinis, calix stillaverit, sacerdos continuo stillam sorbere, lambere, suggere et extrahere debet, quantum potest, et cum residuo, si quid in calice fuerit, in missa procedere. Et, si solum super corporale stillaverit, ab ipso sacerdote cum omni cautela modo sorbebitur prelibato; atque post missam recindendum est ipsum corporale, et in loco reliquiarum cum veneracione servandum. Si vero palla altaris inde tincta fuerit, recidenda est illa particula et penitus abscidenda, quantum videlicet aspersio sanguinis comprehenderit. Et, si super casulam vel albam deguttet, similiter fiat. Si vero super aliud quodcumque vestimentum, consimilis fiat abscisio, quales et quotcumque fuerint panni super quos deguttet. Dehinc abluentur vino et

aqua in aliquo calice usque tercio; et prima ablucione utatur unus sacerdos aut clericus, vel eciam plures, et panni reponantur cum reliquiis, ut serventur perhenniter cum eis.

Hæc [est] approbata magistralis instruccio. Si, quod absit, pallæ altaris et corporalia seu vestimenta sanguine Dominico fuerint intincta, quod laventur tribus vicibus, semel videlicet vino et postea bis aqua, et ab aliquo sacerdote, calice subterposito, et vini ablucio a ministro sumatur, aquæ vero ablucio in calice simpliciter recipiatur. Si voluerit sacerdos, in sacrario fundi potest. Et, si remanet aliquod vestigium sanguinis post locionem in pallis vel vestimentis, pars illa scindatur; sed non debet cum illis amplius ministrari. Potest tamen, pro quorundam arbitrio, cum eis postea celebrare, licet fuerint tincta, nisi fuerit notabile vestigium tinccionis.

Si vero sanguis in terram ceciderit,/ lingua rever- [fo. 134. enter lingendus, extergendus et radendus est locus ille, sive lapis, sive lignum, sive terra sit, et pulvis sive pars terræ colligetur quam melius poterit fieri; et eodem modo, sicut sanctissima res, servabitur cum aliis reliquiis. Si vero non poterit locus manifeste deprehendi ubi ceciderit vel effusus fuerit, abluent tamen vel radent aut colligent de terra pulverem ab illo loco in quo vel circa quem maxime crediderint effusum sanguinem fuisse, aut corpus cecidisse, condentque in sacrario; et, si opus fuerit, locus scopis mundetur. Et matta sive fenum aut stramen, cui fortasse infunditur, igni concremetur, et cinis in sacrario recondatur. Si autem de corpore super pallam altaris aliquid ceciderit, vel super quodlibet aliut vestimentum, non incidetur sed vino abluetur, et a ministro sumetur ipsum vinum. Si autem super lignum vel lapidem ceciderit eukaristia, modus suprascriptus de sanguine Domini teneatur. Si sacerdos, post elevacionem hostiæ, invenerit eam per medium seu quovis alio modo casualiter fractam, ponat partes reverenter ante calicem super corporalia, vel eciam loco eodem super patenam propter minucias fragmentorum, ac debito tempore cum ipsis partibus faciat signacula super calicem, quam caucius poterit, ubi dicit "Per ipsum" et "Cum ipso"; ac denuo reponat eas pristino loco. Quas si

super patenam locaverit, dicturus, "Da propicius pacem," ponat eas interim super corporalia; vel eciam eas ante pedem calicis manu sinistra teneat, et super patenam iterato collocet, atque fraccionis hora, prout salubrius consueverit, magis proporcionaliter hostiam frangat, atque cum una porcione, ut moris est, debito tempore commixtionem faciat. Si vero inconsiderate per mentis alienacionem ante "Pater noster" hostiam proporcionaliter fregerit, ubi dicere debet, "Per "ipsum et cum ipso," et hoc perpendat antequam dicat, "Per omnia secula seculorum," "Pax Domini," et cetera, cum ipsis porcionibus faciat signacula omissa et oblita, et ipsas porciones modo preostenso super corporalia aut patenam ante calicem/ ponat, subjungatque, "Per omnia secula [fo. 134b. "seculorum," "Oremus: Preceptis salutaribus," et cetera; atque tempore debito ipsas elevet porciones, scilicet ante ultimum "Per omnia." Si vero hoc non percipiat, nisi usque post "Pax Domini," vel postquam miserit unam partem in calicem, dicunt quidam quod debet procedere et de negligencia penitere, vel, si potest sine scandalo, saltem privatim dicere quod transivit. Alicui videtur quod, si sit sollempnitas vel populus astans, debet reincipere ante "Pater noster," "Oremus: Preceptis," et cetera. Et minus scandalum erit in populo, si reincipiat, quam si non. Et cum utrobique sit scandalum, minus scandalum est eligendum et minus periculum.

Si de naso sacerdotis in missa sanguis effluxerit, vel na[u]seam passus fuerit, afferantur vasa a ministro et reincipiatur, ne contaminentur sancta; et postea, terso naso vel abluto ore, quantum caucius potest, incipiat ubi dimisit. Si quis statim post sumpcionem Dominici corporis et sanguinis passus fuerit nauseam, recolligatur reverenter quod ejectum est et in piscina comburatur, et pulvis cum reliquiis recondatur vel in piscinam mittatur; nisi aliqua pars eukaristiæ integra reperiatur, et tunc illa cum magna reverencia sumatur a sacerdote, si potest. Si vero non potest præ abhominacione, lavetur in calice et mundetur et ponatur inter duas hostias non consecratas, et sic sumatur ab ipso vel ab alio, et vomitus alius comburatur, ut dictum est. Quod si corpus Christi

fratri infirmo datum rejicitur, prout diligencius poterit, suscipiatur, et contritum in calice cum vino sumatur, si integrum sumi non potest, eo quod ore alterius projectum est. Reus autem hujus negligenciæ, et qui cum eo particeps fuerit culpæ, competenti subjacebit disciplinæ. Si quis patitur continuum vomitum, tucius est quod non detur ei eukaristia, quia sufficit ei fides et bona voluntas. Si sacerdos, postquam inceperit canonem, infirmitatem incurrerit, innitatur super altaris crepidine, vel, si opus est, sedeat donec convaluerit, et postea incipiat ubi dimisit. Sed, si egritudinis accidit alicujus eventus, quo inceptum[1] nequeat aliquo modo consummare ministerium, induatur alius sa/cerdos et incipiat ubi [fo. 135. ille dimisit, si ille egrotans sacerdos possit ei indicare ubi dimisit. Si autem non potest ei indicare, incipiat ibi, ubi per certa signa credit sacerdotem priorem dimisisse, eciam si prius celebraverit. Si autem non sit presens alius sacerdos, suo ministro evidenciori modo quo possit locum ubi dimiserit insinuat, et usque in crastinum expectetur, atque tunc minister, secundum quod verius poterit, alii sacerdoti ubi debet incipere innotescat. Quod si penitus ignoratur utrum dimisit sacerdos egrotans ante consecracionem vel post, quia periculum esset iterare verba sacramenti vel pretermittere, consulunt quidam quod alius sacerdos hostiam illam cum calice ponat in sequestris altaris cum magna reverencia, atque, finita missa, sumatur a ministro vel ab alio ad hoc parato, et panis, vinum et aqua denuo ministrentur, reincipiatque sacerdos ab illo loco, "Hanc "igitur oblacionem," et cetera.

Propter consimiles casus debent ministri altaris esse valde diligentes, nec jacere prostrati, sed stare et diligenter considerare processum sacerdotis in consecracione, ut, si forte aliquid omiserit, possint ei per aliquod signum intimare, et, si egrotare contigerit, possint alii indicare ubi dimisit. Diaconus vero in casu prelibato nichil est facturus, maxime si consecraverit[2] sacerdos, nisi forte calicem cooperiat et altare reverenter custodire faciat.

[1] *que ceptum*, MS.

[2] *consecraverat*, MS.

Quomodo fieri debeat quando monacho alterius congregacionis conceditur societas et beneficium monasterii.

Monachus qui petit sibi concedi societatem et beneficium monasterii, cum introducetur in capitulum, correctis prius quæ corrigenda sunt, ingrediens dicet "Benedicite," et ad aream directe, suppliciter inclinando, procedens prosternet se, et, interrogatus quid dicat, humiliter et devoto corde ita humo prostratus in hiis verbis respondeat: "Peto, per misericordiam "Dei et vestram atque conventus, societatem et beneficium "hujus monasterii." Quod cum dixerit, respondeat abbas: "Omnipotens Deus concedat vobis quod requiritis, et ipse "prestet vobis consorcium electorum suorum." Postea, jussus ut surgat, accedat ad pedes abbatis, suppliciter se inclinans, et eos, si permiserit, devote osculetur. Dehinc confestim [per] /librum regulæ, et non per textum, sumat monasterii [fo. 135b. societatem, dicente abbate, "In nomine Patris," et cetera, per ordinem usque ad finem illius oracionis, scilicet "Suscipiat te Deus." (Require in proximo subsequenti capitulo.) Atque ad finem illius oracionis jussus surgere, sedeat conventus et revertatur ipse ad aream; ibique tres genuum flecciones, quasi curtam sumendo veniam, humiliter faciat, primam versus majestatem capituli, deinde ad dexteram partem, et ad sinistram. Fratres vero invicem inclinent ei obnixe, ita ut non sedeant; non tamen simul omnes, sed primum de uno choro et postea de altero, juxta quod se coram eis genuflectendo prosternit. Dehinc, precipiente abbate, sessum vadat, designato ei prius loco ubi sedere debeat. Postea, ut moris est, osculabitur eos, ut egredientur capitulum, si festum ipso die xij. leccionum habeant; sed, si in claustro sint locuturi, tunc eos ad colloquium in claustrum osculabitur, petita prius ab abbate licencia.

Porro, si abbas fuerit qui hujusmodi sibi concedi postulat, ingrediente eo in capitulum, dictoque ab abbate "Benedicite," totus conventus eidem assurgat, respondendo "Dominus," et tamdiu stent donec juxta abbatem honorifice collocetur. Non enim prosternetur ad aream, sed, ipso sedente, monachi

sui prosternant se, atque pro illo et pro semetipsis peticionem faciant, modo quo predictum est. Acceptoque responso, jussi surgere procedant, et inclinent se ad pedes abbatis, et una cum abbate suo per librum regulæ sumant monasterii societatem, sicut premissum est. Qua suscepta, reversi ad locum ubi se prostraverunt, tres genuum flecciones predicto modo faciant, eantque sessum[1] ubi jusserit abbas. Postea, terminato capitulo, abbas et monachi ejus ad exitum capituli omnes egredientes fratres osculabuntur, sive festivitas xij. leccionum ipso die fuerit sive non; et hoc quidem pro reverencia ipsius abbatis, sicut antiqua monet consuetudo. Verumptamen, si placuerit, ab osculo convenienter cessari potest, quemadmodum in multis jam cenobiis fieri consuevit, et maxime ubi fuerit major fratrum congregacio.

/*Qualiter sit agendum quando fraternitas et* [fo. 136. *commune monasterii beneficium personis secularibus in capitulo conceditur; et quid*[2] *specialitatis pro eis fiet, audito eorum obitu, vel audito obitu patris aut matris alicujus fratris de congregacione ista.*

Cum rectus ordo de concedendo personis secularibus ecclesiæ beneficio cum fraternitate capituli per negligenciam forte aut incuriam in usu moderno, quod quidem indecens, minime teneatur, sciendum quod, quando aliquis secularis persona ad fraternitatem et commune beneficium in capitulo admittetur, postquam a capitulum[3] tenente supplicantis devocio pro beneficio concedendo conventui fuerit intimata, et ingressus fuerit sacrista cum texto evangeliorum, cereis hinc inde accensis, cui omnes assurgere debent, obnixe inclinando, frater destinatus a capitulo, in quo simul totus debet esse conventus, cum introduxerit ipsum petentem infra hostium capituli, ut moris est, semper quocienscumque aliquis a capitulo exit et loquitur atque illuc iterum redit, dicet "Benedicite," responsoque a conventu "Dominus," producetur

[1] *cessum*, MS. [2] *qui*, MS. [3] *capitulo*, MS.

ipsa persona usque ad sedem dompni abbatis, et inferius a latere, vel juxta abbatem si honorabilis persona sit, collocabitur. Et continuo exponet abbas, vel qui in ejus absencia capitulum tenet, supplicantis affectum ac devocionem. Et, annuente conventu, proferet sacrista textum ad abbatem, atque tunc, surgentibus omnibus, ponet manum super textum persona admittenda, dicente ei abbate, vel qui capitulum tenet, si litterata sit persona: " In nomine Patris et Filii et " Spiritus Sancti, recipimus vos in fraternitatem ac spiritalem " societatem nostram, rogantes Deum et Dominum nostrum " Jesum Christum, ut per merita et preces gloriosissimæ " genitricis suæ semper virginis Mariæ et beatorum aposto- " lorum Petri et Pauli, ecclesiæ presentis advocatorum, et " gloriosi Augustini archipresulis Anglorum apostoli, patroni " nostri, atque sanctissimi nostri ordinis institutoris Benedicti, " et aliorum sanctorum quorum reliquiæ in hac ecclesia " continentur, ac tocius curiæ celestis, vobis annuat et " concedat, ut sitis amodo, tam in vita quam in morte, " omnium bonorum participes, quæ in hoc monasterio [et] in " ecclesiis capitulo nostro confederatis in perpetuum fient, " videlicet in missis, in/ psalmis et oracionibus, in [fo. 136b. " vigiliis et disciplinis, in afflicciontibus, in jejuniis et elemosinis, " atque in omnibus aliis beneficiis a nobis [vel] per nos ad Dei " placitum faciendis. Et nos a vobis eadem misericorditer " nobis concedi deprecamur, quæ ad sui nominis gloriam " et honorem nobis mutuo annuere dignetur idem Deus " et Dominus noster Jesus Christus; et perducat nos " et vos ad vitam eternam." Responsio a conventu: " Amen."

Deponat a textu manum suam admissus, et super gradum ad orientem flexis genibus humiliter procumbat, atque ab eo qui preest continuo subjungatur psalmus " Deus misereatur," item psalmus " Letatus sum," item psalmus " Ecce quem bonum." Et subsequatur antiphona: " Caritas est summum " bonum, amplum donum, in qua pendet totus ordo precep- " torum, per quam vetus atque nova lex impletur, per quam " Deus ac proximus diligitur, per quam regnum celorum " adipiscitur." " Kyrieleyson." " Christeleyson." " Kyrie-

"leyson." "Pater noster." Presidens dicat: "Et ne nos." Versiculum: "Salvum fac servum tuum." "Convertere, "Domine, usquequo." "Mitte ei, Domine, auxilium de "sancto." "Esto ei, Domine, turris fortitudinis." "Nichil "proficiet inimicus in eo." "Domine, exaudi oracionem "meam." "Dominus vobiscum." "Oremus: Suscipiat te "Deus Pater in numero suorum fidelium, concedatque tibi "per unigenitum suum, mediatorem Dei et hominum, Jesum "Christum, locum bene agendi et instanciam bene persever-"andi, et ad vitæ eternæ hereditatem feliciter perveniendi; "et, sicut nos hodie caritas fraternitatis specialiter conjungit "in terris, ita divina pietas, quæ fraternæ dileccionis est "auctrix et amatrix, cum fidelibus suis nos conjungere "dignetur in celis, prestante eodem Domino nostro Jesu "Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat "Deus per omnia secula seculorum, amen." Item, alia oracio: "Deus, qui omne bonum in caritatis vinculo contineri "voluisti, tuam humiliter clemenciam deprecamur, ut quem "hodierna die spiritualis federe fraternitatis nobis conjungis, "tua ineffabili pietate ab omni malo custodias, et per hujus "vitæ cursum ad societatem civium supernorum perducas, "per Dominum." Item, alia oracio: "Infunde, Domine, "famulo tuo caritatem fraternitatis et pacis, ut, rore spiritualis "unguenti conspersus, benediccionis tuæ gracia/ [fo. 137. "jocundetur, per Dominum."

Hiis ita completis, a persona suscepta textus osculetur, ac postea conventus per ordinem, prout sexui convenit, a parte abbatis incipiendo. Quo facto, ad gradum reducatur, et, cum sederit, dicatur ei a capitulum tenente, si litterata sit persona, sic: "Hactenus, karissime domine, ex mera gracia "et liberalitate vestra istam dilexisti ecclesiam. Sed de "cetero, quoad vixeritis, tenemini ex debito eam diligere, "atque bona illius procurare et negocia promovere, et "quantum in vobis est mala impedire, nosque fratres vestros "pro possibilitate vestra modis omnibus honorare; scientes "quod, audito obitu vestro, anima vestra in proximo capitulo "nostro specialiter absolvetur, et, terminato capitulo, dicentur "tres psalmi specialiter pro defunctis, cum pulsacione

"signorum, et fiet pro vobis postmodum unum officium "in conventu, hoc est 'Placebo' et 'Dirige,' et una missa "solempniter; et quilibet sacerdos de congregacione ista "unam missam specialiter pro anima vestra celebrabit, et "alii inferioris ordinis psalmos dicent singuli quinquagenos; "atque in breviculo fratris nostri qui primus ex tunc ab hac "luce migraverit scribetur nomen vestrum; et anima vestra "in singulis capitulis religiosorum per Angliam absolvetur; "nomenque vestrum in nostro scribetur martilogio inter "familiares, una cum nominibus monachorum et fratrum "istius ecclesiæ defunctorum, annis singulis in capitulo "recitandum, ut pro vobis et pro illis anniversarium in "conventu celebretur obsequium. Et nunc, karissime frater, "ad corpora sanctorum loci istius devote incedatis, expostu-"lando suppliciter ut vobis ipsi confirment quod hic a "nobis misericorditer est concessum." Quo educto et terminato capitulo, secretarius [et] ceroferarii cum textu ante conventum exeant ordinate.

Si autem qui admittetur illiterata sit persona, cum introductus fuerit et manum posuerit super textum, modo prelibato, sic est ei Gallice proferendum: "En le nun del "Pere et del Fiz et del Seint Espiriz, nus vus receyvums "en nostre fraternete et en nostre espiritele compaynie; et "si priums nostre Seignur Jesu Crist ke, par les merites "et le preeres la beneyte pucele, sa gloriuse mere seinte "Marie, et seint Pere et seint Pol, ke sunt/ avoez [fo. 137b. "de ceste eglise, et le glorius erceveske seint Augustin, "nostre cher patrun, et seynt Beneyt le glorius confessur, "ke nostre ordre establist, et tus les autre seyns de quels "les relikes ciens reposent, et tut la seinte curt celeste, "ke il vus grante et conferme, ke vus seyez desoremes "en vie et en mort parceners de tuz les benfez ke a remenont "en cest muster serrunt fet, et en tute les autres eglises ke "sunt especialement a nostre chapitre, ce est a saver, en "messes, en psalmes, en oreisons, en veiles, en disciplines, en "afflicciuns, en junes, et en amones, et en tuz les autres "ben fez ke de nus ou par nus al pleisir Deu serrunt fez. "E si requerums ententivement ke meimes ceo de la vostre

" part nus voylez granter; les quels choses nus deygne granter " de ambe pars nostre Seynur Jesu Crist, a louange et a " glorie de sun beneit nun, et nus et vus amene a la vie " perdurable." Responsoque a conventu "Amen," dictisque psalmis et oracionibus, ut supra, cum osculatus fuerit conventum is qui admittitur et ad gradum reducatur, dicetur ei sic: "Tres cher frere, avont ces hures vus avez ame e ceste " eglise honure de vostre bone volunte; mes desoremes a " tote vostre vie estes tenu de dette ceste eglise amer, et les " bosoynes de ciens solum vostre poer avoncer, et les mals " desturber, e nos freres de ciens amer et honurer. E sachez " ke, kaunt nus averum oy ke vus serez de vie, vostre alme " sera especialment asouz en nostre preceyn chapitre, et apres " chapitre dirrum nus treys psalmes especialment pur defuncz, " e sera vostre glas sone, e en apres un office serra pur vus fet " en covent, ce est a saver 'Placebo' e 'Dirige'; et une messe " especiale pur vostre alme et les autres L. psalmes del sauter " dirrunt; e vostre noun serra escrit en le brevet de nostre " preceyn frere ke apres cel oure murra, et enveie par totes " les meysons de religion en Engletere, et en lur chapitres " serra vostre alme asout; et si serra vostre noun en nostre " martiloge escrit, e checun an reherce en nostre chapitre ou " le/ nouns no freres ke de vie sunt, et le service del [fo. 138. " anniversarie ensement serra celebre. Ore, cher frere, alez " a les cors seyns de ceste eglise, et priez devoutement ke il " comferment ce ke nus vus avums grante." Qui cum eductus fuerit, reportabitur textus terminato capitulo, ut premissum est.

Quid specialitatis fiet, audito obitu alicujus patris vel matris: Quod autem supradictum est fieri debere communiter a conventu et singillatim a fratribus, audito obitu illius cui conceditur fraternitas et commune capituli beneficium, plenarie per omnia fieri solet, modo et ordine prelibato, in obitu patris vel matris alicujus fratris de congregacione ista; si tamen obierit postquam susceperit habitum monachalem, et non aliter; hoc eciam audito, quod frater ille pro patris aut matris absolucione veniam prius in capitulo humiliter petat. Pro fratre quidem carnali alicujus nostrum

de medio sublato,[1] aut sorore, nichil specialitatis in conventu ex debito fieri consuevit; sed pro patre et matre tantummodo, ut premissum est.

De fratribus qui causa egritudinis extra chorum aut in [in]firmaria existunt, atque de illis qui cursorie aut privatim sanguinem sibi minuunt, qualiter se habebunt diversis horis et temporibus.

Fratres claustrales, qui per infirmitatem extra chorum existunt, missas suas cantare non debent, quamvis de missis consuetis interim in tabula extiterint; sicut nec aliquis secundo die suæ minucionis, sed alios qui eas cantent rogare tenentur. Nec debent aliqua hora a claustro egredi, nec cum minutis aut aliis quibuslibet fratribus locutorium intrare, nisi specialem habeant exeundi licenciam et loquendi. Sed, quamdiu conventus in claustro fuerit, ipsi cum suis psalteriis ante altare beati Gregorii in scilencio residebunt, oracionibus et sanctis meditacionibus jugiter insistentes, atque ibidem inter horas diurnas et missas continue remanentes. Audient ipsas horas, ut a conventu dicentur, vel dicent eas, si voluerint, per se privatim; aut cum fratribus minutis, si fuerint, ita quod utrobique ordinate se habeant; atque in refectorio cum conventu reficiant, nisi de speciali gracia alibi recreentur, quia proculdubio, si tam debiles se senciant quod per/ refectorii dietam sustentari non possint, [fo. 138b. debent illud priori vel magistro suo, si in custodia sint, humiliter intimare, et, optenta facultate ut in [in]firmaria reficiant, tenetur eis infirmarius, postquam per priorem vel per eorum magistrum, ut si in custodia sint, fuerit premunitus, sicut et illis fratribus infirmis, ea quæ sunt sibi necessaria misericorditer providere. Sic enim provisum est ex tocius assensu capituli, a tempore videlicet quo ecclesia de Chistelet fratrum necessitatibus egrotancium est deputata, quod videlicet, in quibuslibet modis, medicinalibus consuetis et necessariis fratribus, qui pro qualicumque debilitate extra

[1] *sublatum*, MS.

chorum existunt, ab infirmario, prout indiguerint, provideatur honorifice, sicut et illis qui [in] infirmaria decumbunt, et in quacumque corporis parte et quamcumque paciatur aliquis fratrum infirmitatem; haut dubium, quoniam infirmus sit, sive ad fisicum sive ad cirurgicum suæ infirmitatis spectet curacio. Similiter fratres egritudinis causa extra chorum existentes, qui ex veteri consuetudine die tercia semper aut in chorum redire aut in domum infirmorum ingredi consueverant, possint de cetero usque ad quintum aut septimum diem, videlicet per quatuor aut sex noctes, hoc est per duarum vel trium, si fortasse indigeant, tempus minucionum, extra chorum morari; vel eciam, si maturæ et graves sint personæ, aut in ordine senes, et priori constet eos tali gracia et solacio quamplurimum indigere, ex illius promissione possunt per octo noctes, usque ad nonum videlicet diem, et non ulterius extra chorum existere; ita tamen quod vigilia de principali festo nullatenus intercurrat, quoniam in ea, si intervenerit, debent taliter egrotantes aut chorum pro consuetudine ingredi aut domum infirmorum, ut, donec meliorentur, ibidem quiescant. Hoc rite observato, quod cum stagiariis, si fuerint, vel, si non, in aliorum societate fratrum egrotancium, loco eisdem a priore specialiter assignato, hoc est in mensa quæ dicitur infirmorum morentur. Ac reficiant interim ordinate qui sunt extra chorum, quoniam proculdubio in nulla camera per se morari et reficere debent aliqui ita extra chorum existentes, sicut nec ipse infirmarius/ in statu consimili existens, si [fo. 139. fuerint stagiarii, seu fratres claustrales in infirmaria jacentes, cum quibus interim reficere et morari possint; nisi sit fortasse de prioris licencia per unum diem tantum, ob aliquam causam racionabilem, quæ vitari non possit, vel si talem fortuitu egritudinem paciantur, quod aliis sociari salubriter nequeant. Verumptamen infirmarius, si ob aliquam egritudinem extra conventum fuerit, in camera sua, et non alibi, donec convalescat quiescere solet. Hæc autem ordinacio prelibata non ab re provisa est, quoniam revera eisdem infirmis erit salubrius atque infirmario minus sumptuosum, si [infra] illos dies curari queant, [quam] si a die tercia, juxta consuetudinem antiquam, in infirmaria jacendo moram trahant prolixiorem.

Quod hii qui extra chorum sunt die tercia intrare debent, vel ulterius morari licenciam postulare.

Observato tamen quod ordinate priori claustri die tercia et quinta et eciam septimana, si tantam extra chorum fecerint moram, de suo statu humiliter certitudinem constare faciant, ulteriorem ab eo, si indigeant, morandi extra petendo facultatem; ita videlicet quod ad ultimum nono die semper, cujuscumque sint auctoritatis, si minime convaluerint, infirmitorium ingrediantur. Qui quidem fratres, licet in infirmaria reficiant, non tamen capitulum vel collacionem dimittant, nec post collacionem loqui vel a claustro exire debent, nisi, ut predictum est, de licencia speciali; sed, dicto completorio ante altare beati scilicet Gregorii, factisque ibidem tribus oracionibus consuetis, stabunt humiliter inclinati, quousque singuli fratres ab oratorio [unus] post alium per ordinem exierint; quos ipsi inmediate subsequentur, et a sacerdote aquam benedictam extremi admittent, atque eundem sacerdotem et ordinis custodes usque in dormitorium ordinate precedent; vel, juxta morem antiquum, unusquisque, ordinem suæ conversionis, humiliter inclinando, expectans, aquam benedictam inter alios in suo recipiet ordine, atque cum eis processive dormitorium introibit. Qui proculdubio fratres, si die tercio aut quinto vel septimo sive nono se senciant emendatos, possunt et debent rite chorum ingredi, vel eciam alia quacumque voluerint die.

/Nulli raucedinis causa extra chorum [fo. 139b. *morandi licencia concedatur.*

Permitti vero non solet nec debet ut aliquis raucedinis causa extra chorum existat, nisi forte aliqua tunc insuper graviore afficiatur egritudine. Ex veteri autem consuetudine habetur quod supprior, in festis xij. leccionum, cum prior raucus fuerit, leccionem illius legere poterit et debet, et in dupplicibus festis responsorium cantare, ipso priore solummodo super lectores benedicciones proferente. Verumptamen in

festivitatibus in quibus prior, in absencia abbatis, totum officium est facturus, vesperis aut matutinis interesse non solet, nisi eas cantare queat; sed proculdubio ad missam tunc in die poterit esse et debet, quamvis eam cantare non possit. Istud mutatum est tempore moderno, quod prior et precentor raucedinis causa totaliter extra conventum morentur, nisi causa alicujus processionis solempnis, quia tunc interesse debent, sicut et alii qui extra conventum sunt. Cum autem aliquis causa infirmitatis fuerit extra chorum, si tercius dies aut eciam quintus in quo ex consuetudine chorum ingredi debet terminus fuerit minucionis suæ, bene potest ipso die, antequam chorum ingrediatur, ad hostium capituli cum minuendis stare; ita tamen quod hoc priori, aut custodi ordinis qui pro tempore fuerit, per se aut per magistrum suum, si de custodia nondum fuerit absolutus, ordinate preostendatur; quia ultra horam ingrediendi tercia die moram extra chorum facere non debet, sine licencia speciali.

De fratre qui medicinatur.

Si vero contingat quod aliquis frater pro qualicumque egritudine, petita prius et optenta, ut moris est, a priore licencia, in conventu vel extra chorum existens, preparacione sumpta, medicinetur,[1] illo die quo sumit medicinam, ex recta consuetudine, habebit de celerario unum caponem pinguem et bonum, et unam lagenam vini, preter cotidianum servicium quod habent alii fratres in infirmaria cameras tenentes; atque de sacrista candelas, quotquot habet necessarias, una cum crasseto, per subcamerarium de infirmario quidem, una cum medicinalibus aliisque necessariis de busca ad ignem, quantum sibi fuerit necesse, est rite semper habiturus. Qui, si fortasse ordinem consuetum, videlicet a priore licenciam petendo, ut predictum est, facere neglexerit aut noluerit,/ nichil de premissis [fo. 140. habebit, nisi ei de gracia aliquid impendatur, preter candelas dc sacrista et preter illa quæ eidem ab infirmario rite debent exhiberi, hoc est in medicinalibus tantum. Morabitur autem in infirmaria per octo dies integros, et nono die intrabit

[1] *medicinari*, MS.

chorum. Qui ipso die veniet ad aream in capitulo veniam capiendo. Jussus a presidente surgat et dicet : " Sire, pus ke " je ay este en la enfermerie, je ay fet mut omissiuns en le " service Deu. Je vus pri ke vus me voylet doner penonce." Presidens injunget ei quod sibi placuerit.

De fratre qui inungitur.

Quando aliquis frater inungitur, tunc duo famuli de sartrino et balniatorio, qui ambo per novem noctes, circa eum vigilare debent; et qualibet die percipient de cellario panem et cervisiam et companagium de coquina, sicut continetur in consuetudinario celerarii. Et de camerario crassetum proculdubio est habiturus frater inunctus, sicut et ille qui medicinatur; atque de sacrista candelas, quotquot habet necessarias, quaqua nocte habebit frater qui inungitur. Cui eciam ultra nonum diem, si fuerit necesse et dinoscatur morti pocius quam saluti appropinquare, crassetum jugiter per camerarium atque candelæ per sacristam debet ad sufficienciam humanitus exhiberi. Similiter frater infirmus a die unccionis suæ habebit unum fratrem de claustro secum, qui reddet ei cotidie servicium divinum, et quod ille frater sit presbiter vel ad minus diaconus, qui possit circa eum Passionem legere, si necesse fuerit. Ille idem frater morabitur in infirmaria nocte dieque per novem dies cum ipso infirmario; nec venient in conventu donec complentur novem dies, si per tantum spacium vixerit frater inunctus. Hii duo cotidie reficiantur in camera infirmi, si honesta fuerit, vel ad mensam infirmorum. Infirmarius vero quolibet die ex officio faciet memoriam de missa coram fratre inuncto; similiter coram ceteris fratribus in infirmaria in lectis jacentibus, qui ad missam venire non possunt. Hii duo per hos novem dies non utuntur froccis, sed tantum cucullis, nec in manibus baculos portabunt. Completis novem diebus, venient ambo in conventu ; et, si vixerit frater inunctus, et si necesse fuerit, veniet ille frater juvenis, vel alius de assigna/cione prioris, cotidie ad infirmum, [fo. 140b. ad reddendum ei servicium divinum, donec ipsemet hoc facere potest, vel donec Deus .fecerit de eo voluntatem suam. Si

vero in infirmaria decumbens fuerit aliquis ex fratribus, priusquam medicinetur, illud tunc quod medicinari voluerit tantummodo priori, aut custodi qui pro tempore in conventu prefuerit, ostendet; vel eciam magistro suo, si in custodia sit, illud humiliter indicabit. Quod si ita fuerit, habebit plenarie et sine aliqua diminucione illa quæ predicta sunt.

Regula de claustralibus infirmis.

Nec pretereundum est quod, licet stagiarii ad missas et processiones in chorum pro more veniant, claustrales tamen infirmi, de quibus est in chorum et dormitorium spes revertendi, ad processiones ante missam in magnis solempnitatibus vel aliis quibuscumque diebus venire non debent, nisi per capitulum specialiter sint vocati et moniti. Sed possunt proculdubio claustrales in infirmitorio jacentes, sicut et stagiarii, ad absolucionem in capitulo feria quinta in cena Domini et ad collaciones, si fuerint in capitulo, licite in conventum venire, si incedendi[1] optineant facultatem.

De ordinato fratrum ingressu in chorum.

Ceterum fratres minuti vel fratres qui causa infirmitatis fuerint extra chorum, quando die tercia chorum ingrediuntur, seu eciam alii qui ad primam quibuscumque diebus oratorium intrant, vel aliquam ex diurnis horis tarde occurrerint, ita semper ingredi debent, ut ad sedilia sua perveniant antequam incipiatur ultimus ympni versus, vel antequam dicatur "Gloria Patri" ad finem primi psalmi; quia proculdubio, dum fratres ad "Gloria Patri," vel dum dicunt "Te deprecamur supplices," stando inclinant, vel dum ad ultimum ymni versum super sedilia omnes pariter inclinando resident, nullus per chorum transire debet, nisi domnus abbas, si forte supervenerit vel per chorum a stacione sua transitum habuerit. Et hac de causa, quando ad horas pulsatur, non debet qui prefuerit tactum vel signum aliquod facere ad agendam oracionem quæ fit ante horam, si rite fiat et ordinate

[1] *incedendo*, MS.

pro more antiquo, donec omnes qui volunt et debent ad ho/ram esse in chorum convenerint; quia nullus [fo. 141. unquam transitum habebit per chorum, dum super sedilia sua se inclinant vel supra formas procumbunt, absque manifesta et racionabili causa vel necessitate, si recta et antiqua consuetudo servetur, nisi solus abbas, ut premissum est. Nec debet aliquis in claustro sedere aut morari ultra quam signum ad aliquam horam audierit sonare, preter precentorem, vel succentorem in absencia precentoris, qui ante primam et ante vesperas, cum opus fuerit, causa reponendi libros, moram facit ulteriorem. Sed proculdubio, cum signum vel signa ad aliquam horam insonuerint, exoccupatis manibus, ecclesiam confestim ingrediantur.[1]

De gestu fratrum qui extra chorum fuerint in vigilia festi principalis.

Cum autem aliquis extra chorum fuerit in vigilia alicujus festi principalis sive per unum diem sive per duos aut amplius extra chorum extiterit, debet in ipsa vigilia ad terciam ingredi, nisi forte ipsa die licenciam peteret [et] in infirmariam cum pannis intrare necesse habeat. Qui cum chorum introierit, si gravessente infirmitate conventum sequi non valeat, nec in choro forte illi festivitati interesse, illud confestim magistro suo, si in custodia est, vel, si non, priori humiliter indicabit, petens ut gracia recuperandæ sanitatis usque ad tercium diem iterum extra chorum morari possit. Quoniam proculdubio nullus unquam chorum ingredi aut chorum sequi permittetur, nisi sedere, stare, indui et cetera quæ rite et ordinate ab aliis fiunt agendi habeat facultatem.

Quod fratres, cum in chorum ab infirmaria venerint, vel ab itinere reversi fuerint, vel obedienciarii a custodiis suis, ad missas et ad omnes horas eodem die esse tenentur.

In die vero quo aliquis frater chorum ingreditur, postquam in infirmaria egrotaverit, vel ab itinere, vel a custodia domum[2] sit

[1] *egrediantur*, MS. [2] *domi*, MS.

reversus, ad utramque missam et ad completorium atque ad omnes horas illius diei proculdubio esse tenetur; nisi gravior infirmitas forte, aut arduum aliquod ecclesiæ negocium ab ipso celeriter exequendum, in causa existat. Tunc enim de licencia ejus qui ordini preest, ex/ necessitate tamen [fo. 141b. et non ex consuetudine, se absentare potest. Et quando de infirmaria aliquis sic in chorum revertitur, cum ad missam matutinalem esse teneatur, provideat sibi ut ante terciam pannos suos in dormitorium portare faciat; ita tamen quod minuti, si qui fuerint inibi, secunda scilicet die suæ minucionis, vel eciam alii fratres accidentali egritudine aut inbecillitate, decenter[1] prius surrexerint quam aliqua secularis persona in dormitorium veniat. Sed, si forte, aliquo obsistente inpedimento, hora matutinali quod prefertur de pannis portandis facere nequeat, tunc ad intervallum inmediate post capitulum ordinate fiat, ita sane quod ad missam capitalem venire festinet. Nec pretermittendum est quod fratres qui de infirmaria in chorum redeunt, aut de itinere domum revertuntur, in refectorio reficere die quo chorum intrant, atque per totum illum diem conventum sequi debent; nec in conventu aliquod officium, quamvis in tabula fuerint, licite facere queant, preter priorem vel suppriorem, vel alios ordinis custodes qui loco eorum extiterint, sive cantorem aut succentorem.

De gestu fratrum qui causa egritudinis extra chorum fuerint; et quid facere possunt eo die quo chorum ingressi sunt.

Verumptamen fratres, cum usque ad tercium diem vel quintum aut septimum diem egritudinis causa extra chorum extiterint, aut per tres noctes tantum extra monasterium moram fecerint, die quo chorum intrant, ex moderno usu, legere aut servire ad prandium licite possunt, si in tabula fuerint, et ad scillam obsequi, atque ad servitorum refeccionem legere, et post refeccionem in refectorio morari, ad domum illam sive elemosinam rite custodiendam, ut si refectorarii extiterint sive elemosinarii. Quod proculdubio antiquitus,

[1] *decenti*, MS.

nisi pro defectu suplendo, minime faciebant, sicut nec illi qui extra diucius morabantur. Extra refectorium vero reficere non debent aliqui ipsa die qua, modo preostenso, chorum ingrediuntur, nec ex veteri nec ex moderno usu ; nisi fuerit ex racione fleubotomiæ, ut, si fortasse aliquis egritudinis causa extra chorum extiterit die tercia aut quinta qua/ chorum ingredi deberet, seu eciam alio die, dum [fo. 142. ita fuerit extra, de licencia prioris sanguinem sibi minuerit, potest prior graciam sibi specialem facere, ut extra refectorium commedere possit.

De minucione fratrum claustralium et aliorum privatim et eciam cursorie.

Licencia minuendi sanguinem omni tempore statim post capitulum petenda est, et celerariis per subcamerarium indicandum. Hora minuendi est in estate et hyeme post offerendam majoris missæ, nisi forte aliquis infirmus in estate post nonam ante vesperas minui voluerit; in Quadragesima post vesperas, sicut de privatis minucionibus, scilicet ut scarificacionibus ventosis et hujusmodi. Hii autem qui minuendi sunt, post offerendam majoris missæ, inclinacione facta in loco quo stant, vel, si sint revestiti, a chorum[1] tenente licencia petita ut se devestiant, et postea in ordine suo quilibet, inclinacione facta, exeant de choro, et ante crucem quæ est ad altare sancti Benedicti inclinato capite dicant psalmum, "Deus in adjutorium," cum "Gloria Patri" et "Pater noster," et post "Et ne nos"; versiculum, "Adjutorium nostrum"; versiculum, "Sit nomen Domini benedictum"; collectam, "Acciones nostras." Et transeant ad dormitorium et, acceptis nocturnalibus suis et fasciis suis, cum summo silencio adeant ad locum qui huic operi deputatus est. Si unus tantum fuerit, solus hoc faciat. Postea exuant froccos et parent se ad minuendum. Silencium ibi omnino teneant, nisi necessitas loqui cogat quæ differri aut non possit aut non debeat; quod si evenerit, breviter et modeste et humillima voce id fiat.

[1] *choro*, MS.

Ibique expectent quousque ingrediantur refectorium, et tunc cum conventu ingrediantur et cum aliis reficiant. In die illa in libro non studeant in claustro nec in crastino. In Quadragesima vero omnes minuti ad vesperas esse tenentur, et post principalem collectam exire debent. In duabus noctibus sequentibus post diminucionem in chorum ad matutinas non intrent; set dicant matutinas ad sanctum Gregorium, et postea ad lectos redeant. Tercia vero nocte, petita a priore licencia, ad laudes exeant et, illis dictis, cubitum eant. Primo die, si sint sub custodia, debent reddere completorium extra capitulum in claustro,/ preter in yeme; et nocte secunda apud [fo. 142b. sanctum Gregorium coram cruce non facient nisi unum "Pater noster" post completorium, sicut nec prima nocte ante capitulum. Chorum non ingredientur ante diem tercium, nisi quando secunda die cantatur de Domina vel de sancto Augustino; tunc omnes minuti et omnes alii qui sunt infra septa[1] monasterii, exceptis infirmis qui sunt in infirmaria, tenentur esse ad prosam, et post evangelium rite possunt exire. Similiter et in processionibus quæ fiunt in feriis quartis et sextis in Quadragesima tenentur interesse. Secundo autem die mixtum accipiant. Cum ad ipsum mixtum ventum fuerit,[2] omnes simul dicant versum, et ante mixtum et post. Inter missam matutinalem mixtum capient, et ita se expediant quod ordinate possunt ad capitulum venire. Si aliquis minutorum in capitulo clamatus fuerit, surgat, et veniens ante abbatem vel priorem pro venia stando inclinet et loquatur; et maxime si de vena brachii minutus sit, si culpa levis sit, indulgeatur ei. Si autem talis fuerit quæ sine corporali disciplina dimitti non debeat, in aliud tempus differatur.

Hæc sunt tempora quibus fratres minui non debent, nisi necessitas cogat.

Si in crastino festivitas xij. leccionum sit. Si in crastino die festivitas trium leccionum sit, in qua missa' in cappis celebretur, sicut sunt tres in Pascha et tres in Pentecosten. Xiiij. dies ante Pascha. Si ipsa die vel in crastino canonica

[1] *cepta*, MS. [2] *fuerint*, MS.

jejunia sint, quæ violari non possunt. Festivitas Omnium Sanctorum, quia in crastino omnes sacerdotes pro defunctis missas celebrare, et reliqui psalmos pro missis ordinatos dicere debent. Et cum "O sapiencia" ante Natale Domini ex antiqua consuetudine inceptum sit, usque ad diem Circumcisionis Domini. Sed si qui forte indigent sanguinem sibi minuere, vel causa infirmitatis extra chorum esse debent, tunc, sicut et aliis quibuscumque anni temporibus, a priore, si pecierint, misericorditer licenciari. Verumptamen recitatum est a quibusdam quod, licet tercia minucionis die festivitas xij. leccionum et supra eveniat, cursus minucionis rite teneri potest. Similiter, ex antiqua consuetudine, quindecim diebus ante Pascha/ non fiet fratrum minucio de ordine, nisi [fo. 143. causa necessitatis, ut supradictum est; eo quod, ob reverenciam tantæ solempnitatis supervenientis,[1] debent omnes per ipsos dies supradictos et tempus plenius ac devocius officio interesse divino; per quod liquido constat quod in ipsa sacrosancta celebritate, pocius quam ante, debent omnes et singuli maxime per octabas profusius magisque devote officio[2] divino insistere; cum celebrior, ut nulli dubium est, quælibet sit festivitas, quam sint privati dies ipsam in proximo precedentes. Sufficiunt enim dies et anni diversa tempora ad plenariam fratrum sanguinis minucionem, licet tres octabas predictas precipue principales, cum ceteris prenominatis diebus, sanguinem sibi minuere omittant; maxime cum, quociens aliquis quocumque anni tempore egritudinis causa fleubotomia indigeat, a priore licenciari possit et debeat. Egrotantibus autem nunquam deneganda est minuendi facultas.

De minucione claustralium privatim vel eciam cursorie in illis diebus supradictis, quando fratres palam non petunt licenciam minuendi.

Si vero aliquis claustralis privatim sibi sanguinem minuere indigeat, vel eciam cursorie de vena, si prior, vel alius inferior custos qui capitulum tenuit, hora minucionis in claustro aut

[1] *superveniente*, MS. [2] *officioque*, MS.

in ecclesia non fuerit, tunc custodi, qui tunc temporis conventui preest, illud ordinate est ostensurus, et custos ille priori, cum venerit; quoniam proculdubio nullus claustralis pro tam levibus causis priorem aut suppriorem extra claustrum est quesiturus, nisi magister noviciorum pro suis noviciis, et pro se et suis alii solummodo fratres in officiis occupati, quibus a claustro exeundi, quociens voluerint, facultas est concessa; nimirum cum claustrales, si cum priore loqui indigeant extra claustrum existente, nisi pro eisdem prior specialiter mittat, a priore claustri egrediendi licenciam sint petituri. Nec debet quisquam, absque licencia illius qui capitulum tenet, vel eciam prioris claustri, ut prefertur, aliquo anni tempore de vena seu aliter sanguinem sibi minuere; nec eciam fratres in infirmaria decumbentes, nisi/ saltem infirmario prius ostendatur. Quod si [fo. 143b. aliquis facere presumpserit, debet inde acriter coram omnibus in capitulo reprehendi, aut eciam in infirmaria, ut si in capitulum venire non possit.

Quod tres collaterales simul minuere non debent.

Sed nec tres collaterales simul de uno choro aliquo tempore pariter sibi sanguinem minuere debent, nisi sit pro infirmitate alicui eorum ingruente vitanda, ut si ad febrem sit dispositus seu aliam egritudinem; et hoc tunc oportet ut fiat de licencia speciali, atque fratribus in capitulo intimetur, ne aliis detur inde occasio murmurandi. Nec debet aliquis, quod absit, conventum sequi aut in choro esse tempore suæ minucionis quocumque modo, sive de vena sive aliunde fuerit minutus, nec aliquod officium in conventu facere, nisi fuerit pro defectu supplendo, ut plenius dicetur inferius circa hujus finem capituli.

De minucione fratrum in infirmaria jacencium.

Fratres vero in infirmitorio jacentes, quociens habent necesse sanguinem sibi minuere, debent illud oretenus infirmario intimare; quod si fecerint, ordinate tenentur habere omnia, sicut alii fratres, de celerario, qui licenciam petunt ordinate: "Sin autem, tu autem." Consuevit insuper celerarius fratribus singulis in infirmaria jacentibus, non solum eorum minucionis

tempore, sed bis vel semel ad minus in qualibet ebdomada per anni circulum, de aliqua specialitate curialiter providere.

De minucione fratrum in Quadragesima. Prima die minucionis, si super feriam minuantur fratres, omnes vesperis interesse tenentur. Prima minucionis die cum conventu commedere tenentur. Secunda die inter magnam missam et inter vesperas ante conventum commedere tenentur. Similiter et tercia die, nisi prior de sua gracia in camera sua vel in nova camera una istarum dierum cum eis voluerit reficere.

De laycis conversis. Nec pretermittendum quod laici fratres conversi, quando de licencia sui magistri sanguinem sibi minuunt, cum fratribus in infirmaria recreacionem sunt habituri, proviso quod ab eorundem magistro tam priori claustri quam eciam celerario et infirma/rio prius [fo. 144. ostendatur. Tunc celerarius eos graciose ac misericorditer respicere solet, si forte indigeant.

De noviciis minime professis. Novicii minime professi si infirmentur, et cognoverit eorum magister quod fleubothomia nimium indigeant, poterit et debet, pietatis intuitu, minuendi eis annuere facultatem, de licencia prioris tamen; et magister eorum semper cum eis erit ad reddendas horas canonicas et pro doctrina eorum usque ad tercium diem, quando chorum intrare debent. Si extra conventum pro aliqua infirmitate ad tempus fuerint, [fiat] juxta quod eorum censuerit magister, ita tamen quod, ducente eos suo magistro, in capitulum et ad collacionem cotidie veniant, et similiter cum conventu prandeant. Si crescente infirmitate oportet eos infirmariam intrare, tunc infirmarius omnia necessaria pro medicinis eorum plenarie solet providere; sed in cibariis providebit eis celerarius. Sed proculdubio novicii carnes ante suam professionem nullo modo sunt commessuri, nisi de abbatis gracia speciali in magna necessitate. Magister autem noviciorum, quando sibi sanguinem minuere facit, poterit licite, si suæ sederit voluntati, novicios non professos secum tunc habere, ut et ipsi similiter pro urgentissima necessitate sanguinem sibi minuere faciant. Sed tunc proculdubio extra refectorium nullatenus reficient.

De gestu fratrum prima die suæ minucionis, quando ad terram sedent.

Fratres quoque professi, sive cursorie sive privatim fuerint sanguinati, dum die primo minucionis suæ, ut moris est, in locutorio terratenus resident, abbati, si supervenerit, assurgere non debent, sed hunc, ut erunt sedentes, humiliter et debita veneracione resalutabunt, si eos, ut consuetudo est, prius salutaverit. Nullus enim ad eos loqui debet, nisi ob causam racionabilem et necessariam, et hoc de licencia speciali, si claustrales fuerint. Si autem aliqui minutorum potare necessarium habeant[1] dum servitores reficiunt, sive post prandium fuerit sive post cenam, debent primum manus suas lavare, et postea refectorium ordinate ingredi, atque ad gradum, sicut et ceteri fratres quando inter potandum ad satisfaccionem veniunt, ordinate procedere/ et signo licenciam potandi petere; ac deinde [fo. 144b. unusquisque ordinate ad bancum residens quantum necesse fuerit bibet. Postea vero omnes pariter surgentes, faciet unusquisque ad majestatem, ut moris est, inclinacionem in loco ubi sedebant, atque in locutorium ordinate revertentur. Hoc observato quod, antequam prior circuitum fecerit consuetum, post prandium conventus sive post cenam, nullus minutorum causa potandi vel alicujus rei agendæ a locutorio exeat, nisi[2] per citacionem refectorarii, ut moris est, post refeccionem servitorum, vel pro necessitate, ut dictum est. Qui eciam, horis statutis quibus a priore hujusmodi circuitus fieri solet, debent ordinate omnes pariter quotquot sunt minuti, donec pertransierit, terratenus residere. Post cujus recessum, seniores atque alii qui sibi fortasse indigent super scannum seorsum absque reprehensione sedere possunt, vel, si necesse habeant, in refectorium aut in dormitorium ordinate incedere; ita tamen quod nullatenus dormiant. Sed[3] estivo tempore, quando ceteri fratres hora dormiunt meridiana, providere debent ipsi minuti in locutorio interim residentes, ut ante sonitum omnes in dormitorio ordinate existant.

habeat, MS. [2] *postquam*, MS. [3] *Si*, MS.

De minucione fratrum, eciam si solus minuatur privatim de vena, seu aliter necessitate cogente.

Frater, qui non de cursu sed pro necessitate privatim sive de vena sive aliter sanguinem sibi minuit, debet proculdubio, licet solus extiterit, in locutorio deorsum sedere, prout cursorie minuti sedere solent, hoc est per septem in septem septimanas; et illi precipue qui aliter quam de vena minuuntur, multo magis ceteris, ita indigent deorsum humo residere. Quibus eciam celerarius, sive de vena sive aliunde minuantur, licet ipso die extiterit quo alii fuerint minuti de cursu, nichil specialitatis hora refeccionis providere tenetur, nisi de gracia ultro voluerit. Sed, ad nutum presidentis in refectorio, debet ei, vel eciam eis si plures fuerint, cum fratribus, si qui, tunc in infirmaria egrotantibus, seu alio quo decreverit loco, nisi forte a celerario ad prandium specialiter fuerint invitati, tam die secundo sive tercio suæ minucionis refeccionis consolacio misericorditer exhiberi.

/Quod fratres sanguinati, et qui egritudinis [fo. 145. *causa extra chorum existunt, omni tempore processionibus solempnibus interesse debent.*

Et, quia tempore moderno, pro more consueto, fratres sanguinati processionibus solempnibus et vespertinis, quando abbas tenetur vesperas dicere, interesse solent, qui proculdubio prima atque secunda suæ minucionis die, sicuti et fratres qui egritudinis causa extra chorum existunt, ad omnem processionem, de quacumque festivitate agitur ipsa processio, stabunt, ex consuetudine antiqua, quolibet anni tempore extra chorum suppliciter inclini juxta locum per quem processio est egressura, suum ordinem expectantes, atque ad illam in ordine suæ conversionis, sicuti et ceteri fratres, processionaliter debent incedere. Et, quandocumque sic ad processionem veniunt, possunt licite, si voluerint, sicut et celerarii atque alii officiarii quotquot ad processionem extiterint, qui processionibus interesse tenentur, dicta prima

oracione, ad processionem se inclinantes, ordinate recedere, nisi usque in dormitorium post vesperas agatur processio; qui tunc omnes et singuli interesse tenentur. Debent autem sanguinati, prima suæ minucionis die, omnes pro consuetudine, preter priorem aut alium custodem qui vicem gerit prioris, in refectorio commedere, nisi forte aliqui eorum cum abbate aut eciam alibi de prioris licencia extra reficiant. Proviso tamen quod non omnes aliquo modo ipsa die alicujus ducatu a claustro egrediantur, nisi totus a claustro fortasse ob aliquam causam exeat conventus; sed, in quantum possunt, debent ipsa die ex recta consuetudine debitis locis et consuetis, ut ordinem facere queant, omnes simul morari et esse. Et, si forte aliqui eorum ipsa die in infirmaria vel alibi extra reficiant, debent ceteris horis et maxime post collacionem una cum aliis in locutorium convenire, atque ibidem usque ad scrutinium prioris post completorium ordinatim residere, ut, postquam potaverint, omnes simul completorium dicant et dormitorium intrent.

De gestu fratrum ad mandatum in capitulo, si fiat prima die suæ minucionis.

Die autem qua sibi fratres sanguinem minuunt, si fiat mandatum, capitulum cum servitoribus ad mandatum intrare debent, quando scilicet cum aqua ad manuum ablucionem/ ipsi ingrediuntur et non ante; quia, [fo. 145b. secundum antiquam consuetudinem, nullus in capitulo residere debet ad pedum ablucionem, nisi fratres tantum quorum tunc pedes ibidem abluuntur. Sed, si secundo die minucionis fratrum mandatum agatur, ut in quinta feria ante aliquod festum principale, ipsi proculdubio, sicuti et fratres si qui egritudinis causa fuerint extra chorum, pedes suos in claustro abluent atque in capitulo lavare facient, nisi aliquam in pedibus aut in tibiis paciantur infirmitatem. Primo autem die minucionis fratrum, facto circuitu sive scrutineo post completorium consueto, ut moris est, ad locum ubi sedent, a priore vel ab alio ordinis custode qui ad completorium conventui prefuerit, erigente se continuo ex eis qui voluerit,

super scanna seorsum ex consuetudine residebunt; et, terminato scrutinio sive exploracione, refectorium bibendi causa qui voluerint et indigent ordinate intrabunt, et refectorarius pariter cum eisdem. Qui quidem refectorarius, yemali tempore et quociens alias necesse fuerit, suam secum portabit laternam, et, priusquam a locutorio exeant, candelam intus accendet, et usque in refectorium illos antecedet, et hora qua exire volunt; eosque precedet in redeundo versus locutorium, atque cum eis si voluerit dicet completorium. Eodem modo in silencio secunda nocte faciet. Minuti fratres, eciam ceteri omnes et singuli qui omittunt in conventu completorium, leccionem istam, "Fratres, sobrii estote," et cetera, ex recta consuetudine, antequam confiteantur vel incipiant completorium, dicere vel audire tenentur, dicto prius "Jube, dompne," in illius principio, et "Tu autem, dompne," ad illius finem, subjuncto consequenter, ut moris est, versiculo "Adjutorium nostrum," cum oracione Dominica.

Quod stando dicetur completorium de Dei genitrice.

Et, licet singuli fratres completorium et ceteras horas de Dei genitrice stando cum devocione et intenta mente ex recta consuetudine dicere teneantur, completorium tamen de die sedendo dicere solent. Nec miretur inde aliquis quod videlicet horas de Dei genitrice specialius quam aliunde stando rite dicimus,/ cum omnis reverencia quæ matri [fo. 146. defertur Illi eciam, qui eam talem fecit ut virgo et mater esset, exhibeatur. Quoniam haut dubium est quin totum ad gloriam Dominicæ laudis pertineat, quicquid digne genitrici suæ inpensum ac devote fuerit exhibitum.

Quod unusquisque fratrum cotidie primam et completorium de Dei genitrice dicere debet.

Nec pretermittendum quod singul fratres, quocienscumque de beata Dei genitrice fit in conventu obsequium, primam et completorium de eadem, sicut aliis solent diebus, per se secrecius ac devote dicere tenentur; nimirum cum ad primam aut completorium capitulum vel versiculus aut collecta de

ipsa specialiter minime dicatur, sed matutinas vel vesperas aut ceteras horas diurnas non tunc oportet [ut unusquisque][1] per se ita secrecius dicat, nisi forte aliqui pro suis omissis et defectibus suplendis ultro voluerint; dicto utroque completorio, et subjuncta tunc ab eisdem, prout moderno tempore fieri solet, una tantum oracione consueta, quæ, si conventus fuerit super formas, cum genufleccione est agenda; sed prima die minucionis stando cum inclinacione agenda est, et post se inclinantes dormitorium unus post alium ordinate intrabunt, a senioribus incipientes, atque a sacerdote eos precedente aquam benedictam obnixe admittent. Sed proculdubio ante matutinas et ante primam tres oraciones a singulis, prout versus matutinas incedant, coram altari sancti Benedicti facient ordinate.

De crasseto quod in locutorio intrinseco ardere debet.

Crassetum vero in locutorio, quod per camerarium debet inveniri, quocienscumque per annum fuerit necesse, et maxime hora collacionis et completorii, et quociens nocturnis horis ibidem est loquendum, eo quod fratres in tenebris nunquam ad invicem loqui debent, atque ad processiones quæ fiunt a capitulo in refectorium et a refectorio usque ad ecclesiam tempore yemali, et specialiter ad fratrum minucionem, quociens opus fuerit, accendi debet. Non extinguetur donec, dicto completorio, tam ipsi quam celerarius et refectorarius atque ceteri omnes dormitorium ordinate fuerint ingressi. Quando autem versus altare beati Gregorii ad/ [fo. 146b. matutinas dicendas fratres minuti et qui causa infirmitatis sunt extra chorum, vel eciam fratres ab itinere per licenciam tantum domum reversi, incedunt, singuli separatim et successive, juxta quod unusquisque sero surrexerit videlicet aut tempestive, priusquam illuc adveniant, tres oraciones solitas, sicut et ceteri fratres in choro, et sicut fratres in infirmaria jacentes, ante altare beati Benedicti ordinate sunt facturi; atque, cum illuc advenerint, et fratres in choro quindecim psalmos inchoaverint, incipient eos et ipsi, si recta

[1] Supplied from O.

servetur consuetudo, et non revera priusquam in choro incipiantur. Nec debent iidem in capella infirmorum ab infirmario aliqua vice inchoari, si consuetudo servetur antiqua, quousque cessaverit primus sonitus qui fit ante matutinas in ecclesia. De suffragiis vero aut quibuslibet aliis, qui de nocte aut de die in conventu dicuntur, nichil ipsi dicere omittent; et quod semper post matutinas dicatur ibidem, scilicet ad sanctum Gregorium, "Preciosa," propter fratres qui res procurant exteriores et alios quibus ante capitulum ex consuetudine loqui licet, si tales sint ibi presentes.

A quibus sunt dicendæ privatim[1] matutinæ.

Celerarius vero, cum non fuerint aliqui fratres minuti vel ab itinere domum reversi, matutinas ibidem pro consuetudine dicet. Ad minucionem vero prioris, si sint alii minuti cum eo, junior minutorum reddet matutinas, et non ejus capellanus, eo quod in choro tunc esse tenetur. Sed, cum prior, causa egritudinis, fuerit extra chorum, ejus matutinas, si forte opus fuerit, suus dicet capellanus.

De minucione dompni abbatis.

Inter hæc sciendum quod, quociens dompnus abbas cursorie sibi sanguinem minuere proponit, illud prius in capitulo conventui debet intimare; quod prior revera nullatenus faciet, nisi abbas fortasse in partibus fuerit transmarinis. Sed debet illud prior suppriori et aliis quibus voluerit oretenus propalare, atque per suum capellanum obedienciariis illud secrecius innotescere.

De minucione juvenum sive noviciorum.

Juvenes vero de custodia nondum absoluti, qui in continuo studio aut labore existunt, sanguinem sibi cursorie, sicut solent ceteri fratres, minuere non debent; sed hoc facient quater aut quinquies per annum, vel eciam/ [fo. 147. pluries si forte indigeant, pro sui disposicione magistri et secundum consilium medici. Qui proculdubio sanguinem

[1] *private*, MS.

sibi [non] minuent, si recta consuetudo servetur, nisi illorum magister aut unus de ordinis custodibus seu aliquis maturus sacerdos cum illis existat, qui se tunc ab eis absentare non debet; nimirum cum ipsi ad satisfaccionem inter prandium omnes venire, et gracias, ut moris est, reddere, vel ad satisfaccionem inter potandum conventus venire, sive a claustro egredi, absque magistro sive ordinis custode seu sacerdote nullatenus debeant. Si autem necessario oporteat ut juvenes egritudinis causa sanguinem minuant, aut erit cum eis illorum magister, licet tunc sibi sanguinem minuat, aut de licencia superioris alium eisdem ductorem assignabit. Ubicumque autem fuerint juvenes de custodia, debet eorum magister curam illorum habere, qui cum ad eos venerit, ubicumque existant, debent se illius reverenter societati conjungere, et hoc, licet unus aut eciam duo ordinis custodes cum eisdem ibidem sint presentes, nisi jubeat ipse ut cum illis pro tempore morentur custodibus. Sanguinati vero secunda suæ minucionis die ad librum ante altare beati Gregorii ordinate sedebunt, oracionibus et psalmis intenti Daviticis, donec tacto signo ad terciam et horas diurnas pariter sint dicturi, atque eodem loco sedere debent ad intervallum inter vesperas. Necnon et missæ matutinali ipsa die interesse debent, si pro defunctis principaliter celebretur; ad quam tunc, non in ordine suæ conversionis, sed ultimo loco stabunt, hoc observato semper quod illi qui illorum priores sunt in ordine, sicut et ceteri seniores in choro, altari sint propinquiores, et quod tunc oblacionem panis et vini non faciant, eo quod ordinem suæ conversionis in choro nullatenus tenent.

Quod fratres minuti chorum intrare debent ad exorcismum salis et aquæ, si secunda dies Dominica fuerit suæ minucionis.

Si autem secunda dies Dominica fuerit suæ minucionis, tunc, cum pulsatur signum ad exorcismum salis et aquæ, ingredientur chorum minuti, sicuti et alii fratres, si forte aliqui causa infirmitatis extra chorum extiterint, aut de

itinere ipsa die sint reversi, seu aliqui in infirmaria fuerint stagiarii, incedendi /habentes facultatem; atque in [fo. 147b. ordine suæ conversionis in choro stabunt, et ad processionem ibunt. Dictoque "Gloria Patri," post inchoacionem horæ terciæ, inclinantes se a choro egredientur; sed, si processio in aliqua Dominica fiat in albis sive in cappis, quando fratres pro aliqua infirmitate ingruente sanguinem sibi minuunt, proculdubio duobus diebus proximis ante aliquam festivitatem quæ in capis colitur vel in albis nunquam est minuendum, nisi pro infirmitate tantum. Tunc quidem minuti atque fratres, si qui fuerint causa infirmitatis extra chorum, ad processionem esse tenentur, et, dum cantatur tercia, debent se revestire, et, hora decantata, chorum intrare atque capas induere. Sed ad nullam regularem horam usque ad tercium diem minucionis suæ debent in conventu moram facere, ex moderno usu. Nam, licet fortasse aliquis infirmitatis causa ad aliquod festum principale licencietur sanguinem sibi minuere, vesperis tamen in conventu aut matutinis, nisi sponte voluerit, interesse non debet; sed semper ad "Dirige" et ad missam de anniversario principali interesse tenentur. Sed notandum quod quilibet suam minucionem ita disponet, quod semper plenarie in pace et optima quiete quibuscumque diebus rite tenere possent. Nam claustrales, ab hora qua sanguinem sibi minuerint, sic[ut] nec aliis temporibus, sine licencia a claustro exire non debent, sicut nec fratres qui causa infirmitatis sunt extra chorum; nec debent locutorium ingredi secunda die suæ minucionis absque licencia speciali; quibus eciam secunda die post capitulum [ut] in gardinum, si voluerint, spacientur licencia negari non debet, vel eciam, si prior voluerit vel alius de ordinis custodibus, cum illis in campis, si tempus congruum fuerit, spaciari, et cum illis, si dies piscium fuerit, in camera sua vel alibi recreare sive prandere, cum domi fuerint reversi.

Quod fratres minuti extra chorum existentes ad missam matutinalem seu ad magnam missam indui non debent, nisi ante missam agatur processio.

Quoniam ad missam matutinalem nunquam induentur minuti seu fratres extra chorum existentes, sed neque ad magnam missam indui debent secundo die suæ minucionis, licet in/ cappis conventus fuerit ad eandem, nisi ante [fo. 148. missam agatur processio, quia tunc induentur, non causa missæ, sed ut processioni intersint, ad processiones[1] vero quæ fiunt ante missam in quartis et sextis feriis Quadragesimæ, sicut[2] et ad omnes processiones quæ per anni circulum circa claustrum fiunt, [tam minuti][3] quam eciam fratres per infirmitatem extra chorum, et quotquot domi fuerint obedienciarii, chorum ingredi debent, quando pulsantur signa et a cantore inchoatur antiphona "Exurge Domine"; necnon et dompnus abbas, cum domi fuerit, et omnes alii ministeriales, una cum aliis in ordine suæ conversionis, processionaliter incedere. Omnes proculdubio, qui infra limites ecclesiæ sunt superstites, interesse tenentur. Ad missam vero matutinalem, quæ in sextis feriis Quadragesimæ pro congregacione dici solet, omnes qui possunt, et maxime claustrales, convenire debent, exceptis minutis, si fuerint, et fratribus si qui per infirmitatem extra chorum extiterint.

Quod fratres minuti aut qui egritudinis causa extra chorum existunt missam cantare non debeant.

Si vero aliquis fratrum qui sibi de vena sanguinem minuerit de aliqua missa in tabula ponatur, sive privatim sit dicenda sive cum nota, debet pro ea rogare; quia proculdubio nunquam licitum est alicui die secunda suæ minucionis missam aliquam celebrare, nisi pro evidenti et urgentissima fuerit necessitate, maxime propter periculum quod nonnullis inde dinoscitur accidisse. Nec debent fratres qui causa infirmitatis

[1] *processionem*, MS. [2] *sint*, MS. [3] Supplied from O.

sunt extra chorum missas suas cantare, licet in tabula fuerint, nisi fuerit, quod absit, pro majori necessitate, ut pro defectu suplendo. Sed neque fratres claustrales, qui pro quacumque egritudine in infirmitorio jacent, missas suas absque speciali licencia abbatis, aut eciam prioris in illius absencia, aliqua vice cantare debent; maxime cum de nulla missa dicenda, dum ibidem extiterint, in tabula poni debeant, nisi fortasse pro longa egritudine ingruente fuerit eis concessum, ut suo perpetuo decumbant et stagiarii existant; quia tunc, optenta semel ab abbate celebrandi licencia, possunt deinceps, quoad vixerint, quocienscumque se ydoneos ad hoc persenserint, /missas suas licite cantare privatas. Si vero contingat [fo. 148b. quod aliquis claustralis sive obedienciarius, cum extra chorum fuerit aut in infirmitorio jacens, missam suam celebret aut eciam scribat, vel aliquod tale manifeste agat, a quovis ordinis custode vel a suo magistro, si de custodia nondum fuerit absolutus, percipiatur, dicendum est ei ut ipsa eadem die aut eciam in crastino chorum ordinate ingrediatur, et quod missam non cantet nec scribat seu aliquod tale agat, donec chorum sit ingressus. Nec debet aliquis frater, qui [in] infirmaria jacuerit, in claustro sedere, donec chorum introierit. Set is, qui tantummodo extra chorum extiterit aut minutus, licite poterit hora matutinali in claustro sedere, et eciam cantare, cum aliis, ac reddere, si sit novicius, die illa videlicet qua chorum est ingressurus; sed non prius, per quantumcumque temporis extra extiterit. Nec debet, ut prefertur, missam celebrare, dum extra chorum fuerit, sed nec ipsa die qua chorum est ingressurus missæ celebracioni seu quovis alio officio se debet mancipare, quominus presto sit et paratus ad terciam chorum ingredi ordinate.

Quod nullus minuetur die quo alicujus fratris defuncti corpus in ecclesia jacet.

Si autem, in die qua fratres cursorie sanguinem sibi minuere proponunt, aliquem fratrem ante capitulum obire contingat, ita quod usque in crastinum debeat reservari, ut videlicet si post sonitum in dormitorio factum obierit, vel postquam

signum ad primam insonuerit, nullus proculdubio illa die minuendi causa licenciam petat. Sed, si qui forte minuti fuerint ante horam qua obierit, minucionem suam servabunt meliori modo quo possunt. In locutorio tamen per intervalla non sedebunt, sicut alias consueverunt.

Quod nullus locutorium causa loquendi ingredi debet die quo alicujus fratris defuncti corpus in ecclesia jacet.

Nec debent aliqui fratres, si recta et antiqua consuetudo servetur, dum fratris defuncti corpus in ecclesia presens fuerit, loquendi causa locutorium ingredi, nisi illud urgencior deposcat necessitas. Sed ipsi minuti, una cum aliis fratribus, ad corpus in ecclesia per intervalla/ jugiter consedere [fo. 149. conentur, atque ad vigilias, ut ordo conversionis eorum est, si reservari debeat, in tabula, sicut et alii fratres, cursorie ponentur vigiliisque intererunt. Qui, quamvis secundo die suæ minucionis pro qualicumque transgressu veniam in capitulo non sint accepturi, expleto tamen officio sepulturæ fratris defuncti, ad veniam cum aliis sumendam, psalmos canendo penitenciales, chorum proculdubio introibunt, quoniam ab hac venia nullus omnino debet excusari, nisi manifestior egritudo sit in causa.

Quod fratres minuti et de itinere reversi ad vigiliam et ad missam de principali anniversario esse tenentur.

Si autem minucionis tempore anniversarium veniat principale, omnes quotquot sunt in monasterio fratres, exceptis in infirmaria decumbentibus, eciamsi fuerint aliqui ab itinere ipso die reversi, ad vigiliam atque ad missam de anniversario esse tenentur. Fratres vero in infirmaria stagiarii, non ad vigiliam venire, sed missæ de anniversario interesse debent; atque, modo prelibato, si aliqui fratres sanguinati fuissent, aut causa infirmitatis extra chorum, seu de itinere ad domum reversi, in die ante vigiliam Natalis

Domini seu aliorum festorum principalium, in quorum vigiliis exposicio ad matutinas legitur, consueverunt, juxta consuetudinem antiquam, licet hoc voluntarie ab usu moderno recessit, matutinis de vigilia vigiliæ omnes pariter interesse, et post secundum nocturnum una cum celerariis a choro ordinate exire, atque laudes cum suis appendiciis privatim simul dicere ad librum ante altare sancti Gregorii.

Quod cantor aut alii fratres, cum sanguinati fuerint, nullum officium in conventu facient.

Cantor, cum minutus fuerit, non ad vesperas sed ad vigiliam de anniversario principali, sicut et alii fratres, esse tenetur, quamvis ad eam suum non debeat exequi officium, sed succentor, prout paulo post evidencius pandetur, quia nullus revera, secundum rectam et antiquam consuetudinem, extra chorum egritudinis causa aut minutus existens, in prima videlicet aut secunda die minucionis suæ legere aut cantare aut aliud quippiam in conventu facere/ debet, nisi [fo. 149b. pro defectu supplendo. Sed debent proculdubio minuti legere et cantare, ad prandium servire, atque ad missam indui, priusquam de tabulis suis fiat defectus, si alios, quod absit, qui pro eis legant aut cantent aut aliud quodlibet officium agant, invenire nequiverint. Renuentes autem facere pro eisdem, per censuram capituli sunt acriter puniendi.

De refectorario et subrefectorario, sive aliis duobus qui in una administracione conjunguntur, [quod] simul minuere non debent.

Refectorarius siquidem, cum fuerit sanguinatus, quando fratres potum caritatis habent, non, sicut alias consuevit, ad finem secundæ clausulæ de leccione collacionis de capitulo exibit, nec aliqua hora tempore minucionis suæ officium suum in refectorio exequi debet, licet presens ibidem existat. Nec debent ambo simul, refectorarius scilicet et subrefectorarius, sanguinem sibi minuere, sicut nec cantor et succentor, sive alii duo qui in una administracione conjunguntur. Sed,

subrefectorario causa minucionis aut infirmitatis extra chorum existente, debet refectorarius, ex recta et antiqua consuetudine, officium consuetum de refectorio per se vel eciam per alium quem rogare tenetur, si ipse forte nequiverit, totaliter implere; quemadmodum cantor officium succentoris, quocienscumque causa minucionis vel alius cujuslibet necessitatis extra chorum extiterit,[1] supplere tenetur[2]; nisi ipsi fortasse, subrefectorarius videlicet et succentor, sive alii duo qui in una administracione conjunguntur, alios sponte rogare velint, qui, donec in chorum revertantur, suum jugiter ac specialiter officium compleant.

Quod nullus causa raucedinis extra chorum permittatur.

Nullus autem causa raucedinis se consuevit aut debet a choro absentare, nisi alia insimul infirmitate gravetur; nisi tantum prior et precentor. Nec debet missæ ebdomedarius aut mensæ lector aliquo modo, nisi pro manifesta sit necessitate, sanguinem sibi minuere in illa ebdomeda qua in tabula extiterint; nec eciam septimanarii coquinæ maxime si juvenes sint in ordine. Nam, juxta rectam/ et [fo. 150. antiquam consuetudinem, majores ebdomedarii, cum de magna missa in tabula fuerint, curam exteriorem suis sociis debent per ebdomedam penitus commendare, nisi major necessitas aliud inducat. Et quicumque in tabula fuerit de missa aut mensæ leccione, debet ad minus prima die, si sui[3] compos fuerit, illud officium in propria supplere persona. Sed nec tres fratres collaterales de uno choro simul et semel sanguinem sibi cursorie minuere debent. Nec debet aliquis, cum extra chorum fuerit, alicubi a domo recedere: sed nec gardianus, extra chorum existens ad gardiam, nisi de licencia speciali, nisi prius intraverit chorum.

De priore.

Prior vero fratris inunccioni aut commendacioni vel vesperis aut vigiliæ de anniversario principali, cum sanguinatus aut egritudinis causa fuerit extra chorum, nisi in

[1] *extiterint*, MS. [2] *tenentur*, MS. [3] *sue*, MS.

abbatis presencia, interesse non solet, eo quod officium personaliter facere non debet, si rectæ et antiquæ consuetudinis, prout esse tenetur, fuerit imitator. Sed proculdubio ad primam vigiliam in fratris decessu esse tenetur, quamvis sanguinatus aut egritudinis causa extra chorum existat; necnon et ad missam de anniversario principali, et ad missam in fratris decessu bene poterit esse et debet, licet supprior missam celebret et corpus defuncti sepulturæ tradat. Et tamen aliquociens super hac ipsa re emersa est contencio, voluntarie et irracionabiliter asserentibus quod, licet prior, ut prefertur, cum sanguinatus fuerit, inunccioni aut commendacioni seu vesperis aut vigiliæ in obitu fratris aut in anniversario principali, nisi dompnus abbas affuerit, [interesse non debet, tamen, quamvis raucus fuerit][1] aut egritudinis causa extra chorum existens, potest, si velit, ad fratris esse inunccionem sive decessum, atque illud speciale et tam spirituale officium in propria persona totaliter exequi, preter missam solummodo, si ad hoc agendum se compotem esse tunc fortasse senciat; quod tamen ex saniorum arbitrio et relatu,[2] tempore quo ob quamcumque causam extra chorum existit, nullatenus est facturus, licet ita aliquociens ignoranter et voluntarie a quibusdam inordinate fieri consueverit, quoniam revera nulli unquam licitum est ex consuetudine anti/qua, dum egritudinis causa extra [fo. 150b. chorum fuerit vel minutus, maxime usque ad diem tercium suæ minucionis aliquod in choro officium agere, sed nec interim privatam missam celebrare, juxta quod alibi paulo superius declaratur; quoniam, si aliquis ita sui compos extiterit quod missam suam sit ausus celebrare, non est ei, quousque chorum sit ingressus, concedenda celebrandi facultas. Sed debet tunc a priore claustri continuo moneri ut chorum ingrediatur, nisi ipse tunc chorum ultroneus intret. Et cum nullus, ut permissum est, causa raucedinis, nisi alia detineatur invalitudine, a choro se debeat absentare, quamvis prior officio de anniversario principali, ut prefertur, interesse non debeat, nisi illud personaliter facere queat vel abbas affuerit; in festis tamen xij. leccionum debet prior,

[1] Supplied from O. [2] *relatum*, MS.

ex recta et antiqua consuetudine, licet raucus fuerit, matutinis interesse, et supprior vel alius inferior custos, si supprior non affuerit, illius legere leccionem responsoriumque cantare, ipso tamen priore super lectores benedicciones proferente; quas si competenter pronunciare, aut ymnum "Te Deum laudamus" voce psaltem (*sic*) suppressa inchoare nequiverit, matutinis nullatenus interesse debet. Sed neque vesperis aut matutinis interesse debet in festivitatibus in quibus abbas, vel ipse in abbatis absencia, totum specialiter officium est facturus, nisi eas cantare queat. Sed proculdubio ad missam tunc in die festivitatis bene poterit esse et debet, quamvis eam cantare non possit, a quacumque persona fuerit celebrata.

De cantore.

Si vero contingat quod cantor, qui consuetudines antiquas et approbatas pro viribus tueri specialiter et agere debet, primo aut secundo suæ minucionis die, rectæ et antiquæ consuetudini obsistendo, quod absit, officium suum fortasse ad vigiliam de anniversario principali aut in decessu alicujus fratris voluntarie ac inordinate fuerit executus, ad missam tamen nullo modo revestietur, sicut nec alii fratres cum minuti fuerint. Sed debet succentor, quocienscumque cantor extra chorum fuerit vel raucus aut sanguinatus, vel eciam alius socius ad nutum/ cantoris, si ipsi succentor non [fo. 151. affuerit, officium cantariæ in fratris decessu et ad vigiliam de anniversario principali exequi, et ad mandatum in capitulo similiter, necnon et ad missam, cantore in choro interim et in capitulo existente; et faciet cantor alicui signum qui cum succentore cantet responsorium. Qui quidem succentor, vel alius qui cantoris suplet officium, abbati, si affuerit, antiphonas ad matutinas et ad vesperas, quas est incepturus, proculdubio intimabit.

De gestu minutorum tercia die suæ minucionis.

Si autem tercia die minucionis fratrum conventus fuerit supra formas vel misericordias, et dicatur prima in aurora diei, sicut mos est in hyeme, surgere tunc debent qui minu-

untur, quando incepta fuerit missa beatæ Mariæ, si forte prius non surrexerint, et ad lavatorium ordinate incedent, lavantes et pectentes se, ut consuetudo deposcit; ita videlicet quod, statim ut a conventu in choro dicta fuerit prima cum vij. psalmis et letania, ipsi continuo tres oraciones solitas, cum conventus exierit, in oratorio facere possint, et postea cum ceteris in claustro sedere, vel eciam ad missam beatæ Mariæ confestim incedere, si de custodia fuerint absoluti; hoc habito precipue quod primam cum suis appendiciis in loco ad hoc deputato regulariter predixerint. Nec pretermittendum quod sanguinati tercio minucionis die, absque licencia illius qui ad collacionem conventui preest, eciam si dompnus abbas extiterit, a completorio morari non debent, licet omnes fortasse sacerdotes existant; nec debet sacerdotibus nec eciam levitis, si maturi et ordinati sunt gestus, morandi licenciam denegari. Sed de mora ab aliis inferioris ordinis a completorio facienda in disposicione extat presidentis; hoc observato quod magistro noviciorum de suis noviciis secum sanguinatis, aut alias refeccionis gracia secum existentibus, morandi facultas nullatenus denegetur. Debent autem omnes, quotquot fuerint sanguinati, tercio suæ minucionis die ad completorium et ad omnes alias horas diei in choro morari.

De fratre cui domus infirmorum cura committitur, et de hiis quæ illius incumbunt officio.

/Frater qui custos deputatur super infirmos fratres [fo. 151b. hoc officii habet, ut ab eis inquirat et audiat quid velint et quibus rebus indigeant, ac pro sua possibilitate voluntati eorum satisfacere studeat, necessaria quæque, tam in medicinalibus quam in corporalibus alimentis, eis sollicite procurando. Provisum namque fuit, tempore quo idem custos possessionem ecclesiæ de Chistelet primum optinuit, quod infirmis ex tunc et in posterum qualicumque infirmitate detentis, sive ad medicum sive ad sururgicum cura spectaret, ut si stuffari aut clisterizari seu quoquo modo fleubothomari aut alia qualicumque re indigerent, omnes sumptus plenarie exhibeat. Qui quidem eis, priusquam illam possideret

ecclesiam, preter liquiriciam ad decocciones nullam rem medicinalem nisi de gracia impendere consueverat. Sed cetera quæque necessaria, ut in utensilibus aliisque rebus oportunis, eisdem semper ab antiquitate tenetur exhibere, excepto quod omnes infirmi salem ad suas mensas, sicut et ad aquæ exorcismum, Dominicis diebus a celerario pro consuetudine habebunt. Qui eciam eis faciet per famulos fideles et ydoneos die noctuque diligenter ministrari; atque infirmis in capellam ire non valentibus matutinas et ceteras horas, ut decens fuerit, est dicturus. In magnis tamen festivitatibus ad matutinas et ad alias horas atque ad missam a famulis quoquo modo portari debent, nisi majore afficiantur egritudine seu debilitate, aut infra octo fuerit minucionis dies. Debet eciam infirmos, consolandi gracia, frequenter visitare. Fratribus vero per gravem egritudinem exhaustis et exinanitis, vel ob qualemcumque causam nimium debilitatis, cibaria lauciora et exquisita ad libitum et opcionem eorum pro possibilitate sua a celerario procurare tenetur. Sed ceteris in convalescencia existentibus de gallinis, si pecierint, vel de carnibus porcinis vel vitulinis aut aliis consimilibus, juxta quod postulaverit unusquisque eorum, honorifice celerarius providebit. Noviciis minime professis, in infirmaria jacentibus, celerarius carnes nunquam inveniet, quod absit,/ nisi pro urgentissima necessitate et ex [fo. 152. abbatis imperio. In vigilia Omnium Sanctorum faciet liberacionem infirmis fratribus, ad mensam infirmorum comedentibus, de bosco, quod boscum inveniet camerarius, et sic cotidie, usque ad Purificacionem beatæ Mariæ et eciam ulterius, si necesse fuerit.

Quod infirmarius cotidie dicet completorium infirmorum.

Qui insuper omni die completorium dicet fratrum infirmorum, sicuti et ceteras horas regulares; atque post completorium aquam sparget benedictam per omnes eorum lectos, si recta et antiqua consuetudo servetur, sicut subcamerarius lectos fratrum in dormitorio. Factisque tribus oracionibus

solitis ante matutinas, circuibit cum absconsa lectos infirmorum omnium, observans sollicite ne aliquis, cum surgere possit, in lecto suo remaneat. Ipsius enim est egros blande consolari et, si delinquant, leniter castigare ; qui, si illius exhortacione emendare noluerint, illorum negligencias atque transgressus priori sive custodi qui preest ordini manifestabit, nulli unquam illorum pro aliqua offensa, opere, aut sermone molestiam inferendo. Nullum autem monere debet, quod absit, ut in chorum redeat, licet aliquis resumptis viribus plene convaluerit et ulterius dissimulando inibi demoretur ; sed omnia hujuscemodi superiori intimabit, qui reo sive reis, quociens opus fuerit, in capitulum accersitis, clamores ibidem super hiis atque correcciones, ut ordo exigit, est rite habiturus. Prior, vel is[1] qui ordini preest, singulis diebus post missas privatas infirmos, consolandi gracia, visitare tenetur ; et similiter post refeccionem et cenam conventus ac demum in silencio post completorium per eorum cameras circuibit diligenter, inspiciendo utrum ordinate se gerant, ac diligenter inquirendo, quando loqui potest, qualiter ab infirmario procuretur et quomodo se habeant, atque, examinato statu singulorum, si aliquibus indigeant, faciat per infirmarium, prout cuique opus fuerit, in medicinis provideri competenter. Et si quos penes illos defectus inveniat, qui per eum commode suppleri non possint, aut/ illos celeriter superiori [fo. 152b. denunciet, aut in proximo capitulo conventui exponat, ita ut omnes eorum defectus absque tarditate et negligencia quamtocius suppleantur.

Quod seculares personæ inter infirmos prandere nec bibere debent.

Nullus secularis fratribus infirmis se miscere debet, nec cum illis bibere aut commedere, exceptis medicis et servientibus ad eorum custodiam deputatis. Nec aliquis infirmus famulum sibi assumet pro sua voluntate, sed omnis infirmus frater uno servienti contentus esse debet, qui videlicet serviens nullo modo extra infirmariam pernoctare debet ; et ille

[1] *hiis*, MS.

famulus per infirmarium assignetur de consilio illius qui ordini preest, vel eciam magistri noviciorum, si idem nondum de custodia fuerit absolutus; qui sobrius sit et circa eum die noctuque sit sollicitus, et non perturbans quietem aliorum. Duo sunt famuli in infirmaria, qui custodiam clavium de armariis camerarum sicut et ostiorum, ipsi duo famuli, cum presentes fuerint, proculdubio jugiter habebunt; in quorum prejudicium et gravamen non se debet unquam aliquis garcio de eorum interponere ministerio, quoniam ipsi duo famuli, ut moris est, per sacramentum obligari debent, quod fratribus fideliter et sollicite servient atque eorum secreta celabunt. Quod si non fecerint aut fraudulenter in esculentis fratrum aut poculentis seu quovis alio modo in gestu, sermone aut opere se malo modo gesserint erga infirmos fratres, vel fratres infirmi, quod absit, erga eos, vel ipsi famuli in aliquo sibi invicem contrarientur, illud infirmario primum ostendi debet ab eisdem, ut continuo, si possit, per ipsum corrigatur. Quod si illius industria corrigi nequiverit, ipse illud et non alius priori claustri nunciabit, ut secrecius, eo jubente, agatur inde correccio. Vel, si non possit, ipsi tunc, prior videlicet et infirmarius, abbati illud seu eciam conventui palam in capitulo intimabunt, ut nullius delictum transeat inpunitum.

Quod predicti famuli aut unus eorum apud Cantuariam pro apothecaria, quociens opus fuerit, incedere debent.

Predicti vero duo famuli ad ministrandum infirmis specialiter deputati, aut unus eorum, quociens opus fuerit, apud Cantuariam ad apothecariam pro quibus/cumque [fo. 153. medicinalibus incedere debent, herbas ad decocciones faciendas colligere, atque ipsas decocciones, prout a medico edocti fuerint, cum omni diligencia facere tenentur. Qui si egritudine sint detenti, ita quod ministerium suum exequi nequeant, tales loco suo inveniet infirmarius, qui, donec convaluerint, circa infirmos fratres die noctuque sint solliciti; de quorum honesto gestu et probata maturitate infirmarius securus

existat. Qui quidem duo famuli, ut prefertur, extra infirmariam absque speciali licencia infirmarii pernoctare non debent; sicut nec medicus extra abbaciam pernoctare poterit aut alicubi proficisci, nisi de licencia abbatis vel prioris et infirmarii ac fratrum infirmorum. Nec debent memorati servientes aliquos secum in infirmitorio habere garciones, nisi de infirmarii licencia speciali. Nec debent se duo famuli prelibati, jussu infirmarii vel alterius cujuscumque personæ, aliqua hora absentare, quominus quod eorum incumbit famulatui pro voluntate et necessitatibus infirmorum plenius exequatur. Consuevit autem aliquociens garcio medici, ipsis occupatis ac necessitate ingruente, jussu domini sui pro querendis medicinalibus ad apothecariam incedere.

Quod omnes infirmi, si fieri potest, ad unam mensam prandere debeant.

Omnes vero fratres infirmi, si fieri potest, ad unam mensam communiter procedere tenentur, nec ullus se subtrahere debet, nisi tanta corporis invalitudine sit detentus, quod ad ipsam accedere nequeat sine scandalo vel corporis lesione manifesta. Illis tamen, quibus exigentibus meritis major debetur reverencia, pro loco et tempore in hac parte est differendum, prout dompnus abbas vel prior quieti ipsorum ac saluti melius viderit expedire; hoc observato, quod totum residuum de appositis mensæ eorundem fratrum post refeccionem sibi famulancium in elemosinam cedat, non per eosdem famulos sed per elemosinarium pauperibus fideliter erogandum. In infirmaria nullus aliquo tempore inconveniens fiet tumultus, sed neque ibidem in audiencia manifeste alicujus instrumenti fiet unquam melodia. Set pro/ majore necessitate, si ad alicujus meliora- [fo. 153b.
cionem perutile censeatur, ut si contingat quod aliquis frater ita sit debilis et egrotus quod ad ejus spiritum exhilarandum musici instrumenti sono et armonia quamplurimum indigeat, poterit per infirmarium duci, aut eciam quoquo modo in capellam portari, atque, clauso hostio, psalterium musicum coram eo, absque reprehensione ab aliquo fratre seu famulo honesto et privato, dulciter resonari. Sed cavendum omnino

est, ne hujusmodi sonus sive melodia in aula infirmariæ aut in cameris fratrum, quod absit, aliquo tempore audiatur.

Infirmarius siquidem in spaciis in claustro tenetur esse, sicut alii fratres, quando exoccupatus fuerit, similiter et in servicio in choro, scilicet ad terciam, ad missam matutinalem, et ad magnam missam, et ad horam sextam, quando conventus jejunat, et ad vesperas et ad omnes processiones, nisi multum occupatus fuerit circa infirmos fratres. Ad primam non esse tenetur, quia tunc debet reddere horas et missam infirmis fratribus celebrare. Neque ad horam inmediate ante prandium conventus, quia tunc tenetur reddere gracias ad mensam infirmorum. Si autem comedit in refectorio, de ordine tenetur surgere, quando presidens percutit tabulam ad colligendam elemosinam, et exire ad reddendas iterum gracias post prandium infirmorum, nisi fuerit defectus conventus in refectorio; tunc ibit cum conventu in chorum et exibit, cum sacerdos dicit "Et ne nos," si voluerit. Similiter tenetur esse ad collacionem in capitulo et ad potum in refectorio, si conventus potat post collacionem, et cum celerario et subcelerario extra hostium refectorii stare et moram[1] de completorio trahere, vel extra hostium capituli, quando non est potus. Similiter tenetur esse ad omnes matutinas quæ sunt in albis et supra, et ad matutinas de sanctis qui habent proprias historias, et similiter ad matutinas in quinque Dominicis quæ sunt quasi in albis, et ad "Missus est" et "Cum esset desponsata" ante vigiliam Natalis Domini. Et de ordine tenetur de matuti/nis exire, quando est in conventu, [fo. 154. ad reddendas matutinas fratrum infirmorum, cum lecta fuerit exposicio. Similiter tenetur esse ad vigilias principalium omnium anniversariorum, et exire, si de nocte fuerit, cum incipitur psalmus "Miserere mei, Deus." Infirmarius, defuncto fratre et in chorum deportato, locum in quo jacuit statim mundari faciet et feno vel juncco sterni. Abbas vero et prior, si ipse infirmarius, quod absit, negligens fuerit, omnibus modis sollicitudinem gerere debent, ne aliquid, quod ad ministerium necessarium fratribus infirmis aut decedentibus pertinet, in illa domo unquam deficiat.

[1] *manum*, MS.

Quod magnum altare in infirmaria nullo die per annum sine missa et matutinis esse debet.

Preterea, cum magnum altare capellæ fratrum infirmorum secundum sit altare istius monasterii, debent in ea singulis anni diebus matutinæ et omnes horæ regulares cum missa dici, sicut in conventu dicuntur; licet in infirmaria nullus habeatur frater infirmus, et ideo unus supradictorum serviencium sit clericus, ut jugiter eidem in obsequio ministret divino. Crebro autem contingere solet, cum fuerint fratres infirmi, quod eidem in psalmodia nequeunt respondere. Et sciendum quod licet Dominicis diebus in tempore Paschali claustrales, cum de aliqua missa in tabula non fuerint, missam fortasse de Dominica propriam non de die Resurreccionis cantent, in prelibata tamen capella missa proculdubio Dominicis diebus, sicut et in conventu, de Resurreccione celebrabitur; hoc observato, quod dicatur infirmis officium de Dominica, necnon et ad missam fiet de Dominica commemoracio. Sed, quociens in mediis feriis in Paschali tempore feriale fit obsequium, missa sicuti in choro canetur de Domini[c]a. Et licet cotidie, ut prefertur, missa dici debeat in eadem capella, unde major missa dicitur in conventu, jejuniorum tamen diebus in ebdomada Pentechostes, sicut et in die sancti Marci atque aliis jejuniorum diebus per annum, in quibus festivitas aliqua xij. leccionum celebratur, cantabitur missa de festivitate in ipsa capella, et non de jejunio; hoc observato, quod ante eandem missam vel in/mediate post officium missæ [fo. 154b. de jejunio fratribus tunc dicatur infirmis. Quocienscumque autem per annum chorus in ecclesia sternitur per secretarium, sternetur similiter ipsa capella per infirmarium. Stramenta ad lectos fratrum bertonarius invenire tenetur. Duo crasseta, scilicet unum in aula et aliud in latrina, camerarius invenire tenetur; et similiter crassetum, cum medicinatur aut inungitur aliquis, invenire solet. Predicta vero crasseta omni die per annum, ex recta consuetudine, eadem hora qua accenduntur et extinguntur in dormitorio, accendi debent et extingui, quoniam hæc proculdubio, sicuti et ipsa, per totam noctem

jugiter ardebunt, licet nullus frater infirmus inibi decumbat. Hæc autem capella nullo tempore sine lucerna esse debet, sed jugiter coram magno altari die noctuque ardebit lampas. Et quia, ut prefertur, missa cotidie in hac capella cantari debet, unde in conventu celebratur major missa, infirmarius non, sicut alii fratres, in tabula ponitur de missis consuetis; sed omnes alios cursus qui[1] currunt in conventu tenetur facere, sicut alii fratres. Tenetur eciam infirmarius annuatim conventui de vino et una bona pitancia in refectorio honorifice procurare in die sancti Mauricii. Omni die Sabbati per annum infirmarius recipiet de sacrista unum ruellum, pro matutinis fratrum infirmorum reddendis, quod queret unus supradictorum famulorum. Similiter idem famulus, pro quolibet fratre infirmo in infirmaria jacente, quolibet die Sabbati a festo sancti Michaelis usque ad festum Omnium Sanctorum vij. candelas, et a festo Omnium Sanctorum usque ad Purificacionem xiiij., de sacrista percipiet. Infirmarius in propria persona quolibet mane queret vinum suum in ecclesia, unde debet missam celebrare.

De modo et ordine visitandi fratrem infirmum, quando debet inungi.

Quando visitandus est frater infirmus, ut sacræ unccionis sacramentum admittat, omnes fratres in oratorium convenient celeriter ad percucionem tabulæ, stabuntque seniores in occidentali parte chori ; atque, ex recta et antiqua consuetudine, ad hoc penitudinis humilitatisque officium humanitus exequendum,/ induet se dompnus abbas alba tantum [fo. 155. cum stola et manipulo, vel eciam prior aut qui conventui preest in abbatis absencia, vel ebdomadarius, magnæ missæ eodem modo induetur. Quo induto, statim, ut chorum in occidentali parte fuerit ingressus, incipiet cantor vij. psalmos penitenciales, qui ab utroque choro dicentur alternatim cum "Gloria Patri," ita quod primus versus a parte qua fuerit cantoria illius ebdomadæ prosequatur. Quos cum inceperint,

[1] *que*, MS.

juvenes minime induti, cum aqua benedicta, cruce, cereis, thuribulo, thure et acerra ad gradum stantes, per chori medium continuo descendant ; quos sequatur sacrista cum olei ampulla ; sicque, ordinata processione, a choro exeant ; atque post illos dompnus abbas primus, absque baculo pastorali, humiliter incedat, cum suo capellano, librum secum deferente, qui proculdubio capellanus nullatenus induetur, subsequente, et senioribus ut sunt in ordine. At, ubi pervenerint, stent hinc inde ordinate, psallentes permutatim sicut in choro ; et aspergat eum sacerdos aqua benedicta atque incenset. Finitisque vij. psalmis, subjungant omnes pariter "Kyrieleyson," "Christeleyson," "Kyrieleyson," "Pater noster," "Et ne nos" ; et aliæ preces et oraciones, sicut continetur in manuali, dicantur a sacerdote ; fratres versas facies habentes, chorus ad chorum, stent ordinate inclinati, dum a sacerdote dicuntur oraciones. Finita oracione "Adesto, Domine, supplicacionibus," frater infirmus confiteatur et absolvatur ab omnibus, et ipse absolvat omnes, dicendo "Misereatur vestri." Postea, ipso tacente, subjungatur pariter ab omnibus "Indulgenciam et remissionem," et cetera ; nisi quando abbas inungitur, quia tunc illius specialiter dignitati incumbit absolucionem extremo subinferre.

Quod si infirmus loqui non valet, ille qui officium facit in persona illius dicet confessionem.

Et, si forte frater infirmus tanta sui corporis incommoditate sit detentus, quod non possit loqui, sacerdos hujus officii executor, quasi in persona illius fratris, confessionem humiliter faciet, et una cum aliis postea dicat "Indulgenciam et re/missionem et absolucionem peccatorum tuorum [fo. 155b. tribuat tibi," et cetera. Quo facto, crucem devotissime ore et oculis osculetur, pro more antiquo, ac deinde sacerdotem, postea priorem aliosque permixtim, ut sunt in ordine seniores ; atque interim oraciones dicantur. Post hæc unget eum sacerdos, ita dicendo, "Per istam unccionem," et cetera. Hoc observato, si presbiter fuerit, quod manus ejus unguantur exterius, et quod circa renes unguatur et non ad umbilicum,

sive presbiter fuerit sive non ; quia in homine luxuria viget in renibus, in mulieribus in umbilico. Et habeat ibi subcamerarius linea tersoria preparata, ad loca certa unccionis tergenda necessaria. Postquam inunxerit eum, abluet manus suas sacerdos, accepto prius sale aut ca[n]tabro aut sapone; et ipsam manuum suarum lavaturam faciet infirmarius vel in igne prohici vel in sacrarium deferri. Ac deinde subjungat sacerdos "Dominus vobiscum," et dicat oraciones sequentes usque ad communionem fratris infirmi.

Quo ordine sacerdos queret eukaristiam post fratris inunccionem.

Hiis itaque completis, vadat sacerdos, precedentibus duobus juvenibus cum candelabris, absque aqua benedicta, cruce, et thuribulo, et afferat eucharistiam Corporis Christi; ad cujus regressum flectent omnes genua et adorent Corpus Christi, quod a sacerdote affertur ipso, statim, ut ab altari recesserit, incipiente psalmum "Miserere mei, Deus." Hoc observato, quod unus illorum cereorum candelabro ejusdem capellæ apponatur et ardens super altare remaneat cum residuo eukaristiæ, et quod alter cereus reportetur, reliquo juvene cum candelabro sacerdote[m] subsequente. Atque tunc, abluto ore, communicetur infirmus, eciam si manducaverit, nisi forte ipsa die ante visitacionem communicatus sit ; expositis inbecillitati suæ prius a sacerdote, si opus sit, fidei articulis, ac ipso consequenter subinferente: "Corpus et sanguis Domini nostri "Jesu Christi prosit tibi, ad remissionem omnium pecca- "torum tuorum et ad salutem corporis, atque ad remedium "animæ tuæ in vitam eternam, amen." Infirmarius interim calicem teneat reverenter, atque sacerdos postea, digitis suis ac deinde patena ubi Corpus Christi jacuit/ vino et [fo. 156. aqua ultra calicem lotis, eidem porigat ad sumendum, nichil dicens nisi secreto aliquid dicere voluerit, quasi "In nomine Patris," et cetera. Dehinc infirmarius calicem resumens, cum reverencia reportet in capellam, et ibi eum necnon et patenam tergat honeste, nullo juvenum eum precedente. Sacerdos continuo subjungat "Dominus vobiscum," et oraciones dicat

quæ secuntur in manuali. Postea sequitur absolucio; deinde benediccio. Hiis itaque peractis, recedant omnes cum silencio, nisi forte aliquis remaneat, cui concessum est, gracia videlicet consolandi infirmum, vel rei expectans eventum. Secretarius cum olei ampulla, atque duo juvenes cum turribulo et uno cereo, tercio juvene candelabrum absque cereo deferente, usque in ecclesiam abbatem precedant. Nam usque ad octavum diem crux cum aqua benedicta ibidem dimittetur, et, ut prefertur, alter cereus in capella infirmorum ex more relinquetur.

Quo ordine fiet obsequium pro fratre inuncto in conventu usque in octavum diem.

Fratri autem inuncto, tale debetur obsequium in conventu ab hora qua inunctus fuerit usque ad octavum diem: videlicet ad singulas horas dicentur quatuor primi versus de psalmo "Beatus qui intelligit," adjuncto "Gloria Patria," "Kyrieleyson," "Pater noster," et "Nec nos," et ceteræ preces cum oracione "Omnipotens sempiterne Deus, salus eterna credencium," et cetera. Et cotidie, ad missam matutinalem post primum diem, atque privatis diebus inter oraciones post letaniam eadem oracio pro infirmo dicetur.

Quod aliquis sacerdos de juvenibus, vel ad minus diaconus, custodiæ fratris inuncti per priorem assignabitur, quemcumque infirmus rogaverit.

Ab hora autem qua infirmus inungitur, habebit ex consuetudine aliquem presbiterum vel diaconum sibi a priore, quemcumque infirmus desideraverit, specialiter quasi tutorem assignatum; qui illo loco ubi jacet pernoctabit, et eidem serviet mansuete, et dicet quæ dicenda sunt, quousque melioratus fuerit; et ad horas, sicut alii, incedere queat; atque interim ille frater et infirmarius per octo dies in camera infirmi comedant, si honesta fuerit camera, vel ad mensam infirmorum, pro consuetudine/ antiqua, et incedant [fo. 156b. in cucullis sine baculis; nec sint visi in conventu per illos

octo dies. Habebit insuper duos secum famulos de sartrino et balniatorio frater inunctus, qui ambo pariter, si opus fuerit, aut eciam singillatim sub alternacione, vigilare et in sua camera pernoctare tenentur. Necnon et crassetum de camerario est habiturus, et de sacrista quatuor candelas ad minus; et ipsi famuli percipient liberacionem de pane et servisia, similiter et de coquina, de celerario qualibet nocte. Nec debet frater ille inunctus, usque ad annum completum, oleo sacrato iterum liniri, eciam si nunc plene convaluerit et si iterum bis aut ter infra annum gravi egritudine afficiatur; nisi forte, in mortis articulo positus, hoc sibi fieri cum majori expostulaverit devocione. Infirmo post inunccionem carnes non offerantur ad edendum, nisi convalescere videatur; neque mollior ei lectus condatur, nisi majore fuerit necessitate. Qui si forte ante octavum diem plene convaluerit, non tamen alibi commedere aut bibere solet quam super lectum suum. Sed neque in capella aut alibi, nisi sit valde secrecius, si fortasse compos sui fuerit, ad missam audiendam aut debitum naturæ exequendum incedet. Nec pretermittendum [est quod] frater infirmus, eciam si non migratur, ab hora qua, propter sui invalitudinem aut incommoditatem, ad horas vel ad missas in capellam una cum aliis ire non possit, aut ibidem reverenter a famulis portari debet, si absque difficultate et periculo possit; vel dicet ei infirmarius horas et missarum officia, nisi de gracia prioris aliquis ei specialiter ad hoc assignetur. Frater vero qui inungitur, si post octavum diem ad sanitatem minime redire, mortique pocius appropinquare dinoscitur, ex quo certa mortis in eo signa apparere inceperint, si recta et antiqua consuetudo servetur, sine uno fratre non debet esse, qui diebus ac noctibus, quamdiu intellectum tenet, legat coram eo Christi passiones, et maxime, dum compos sui fuerit, egrotantis sive languentis excitet devocionem et compunccionem, et, cum intellectu privatus fuerit, quamdiu supervixerit, psalterium ex ordine cantare non cesset; sicque ordinetur, ut, fatigato aut discedente illo, suc/cedat [fo. 157. alius qui horas regulares ac missarum officia seu passiones aut psalmos Daviticos fructuosiores debitis temporibus coram eo devotissime dicat.

Moris quidem erat antiquitus, in decessu fratrum nostrorum, quod, postquam videretur infirmus omnino deficere, et custos suus qui super eum est sollicitus videret eum obmutescere, et minari oculos mortem, mox cineres, qui ad hoc ex consuetudine parati erant, ante lectum super terram in crucis signum spargebantur, et, extenso desuper preparato cilicio, deponebatur suaviter a lecto super illud cilicium et cineres ; ut fieret ei juxta quod beatus Martinus dixit discipulis suis, docens non licere Christiano mori nisi in cinere et cilicio. Sed, quod olim fiebat de cineribus et cilicio super humum ante lectum morientis, nunc mutatum est super lectum mollem et delicatum.

De commendacione animæ exeuntis de corpore, atque de ceteris omnibus seriatim quæ ad decedencium fratrum spectant officium.

Cum anima in exitus sui dissolucione corporis visa fuerit laborare, collocato corpore decenter super cilicium, crucis signo prius de cineribus super terram facto, prout fieri sole[ba]t tempore antiquo (utinam sic modo!), frater qui curam habet infirmorum, scilicet infirmarius, in manu tabulam gestans sonatilem, ad hostium claustri sive ad locum ubi tunc conventus fuerit celeriter incedat, prius tantum intimabit priori et precentori, atque primum uno ictu et postea ictu creberrimo acriter ibi eam percuciat ; quo percepto sonitu, omnes fratres cum summa velocitate accurrant, suppressa voce dicentes flebiliter, ingemiscendo unusquisque intra se, " Credo in unum Deum." Et provideat sacrista ut, antequam conventus adveniat, aqua benedicta, crux, et thuribulum, atque duo candelabra cum cereis accensis, illuc deferantur. Sitque sacrista, si sit de nocte, provisus ut candelas presto habeat, quas fratribus hinc inde ad commendacionem habundanter distribuat. Cum vero illuc pervenerint, quacumque fuerit hora diei vel noctis, dicant in primis vij. psalmos penitenciales pro absolucione fratris, absque " Gloria Patri." Qui quidem psalmi ita proculdubio ex consuetudine dicentur antiqua ante commendacionem/ animæ, quemadmodum [fo. 157b.

dici solent post corporis sepulturam. Quibus dictis, subjungant hoc capitulum : "Parce, Domine, parce famulo tuo," et cetera ; quod tribus dicatur vicibus, sacerdote inchoante ac ceteris repetentibus. Qui proculdubio sacerdos, etsi domnus abbas fuerit, minime induetur, sed stolam tantum collo suo habebit inpositam. Deinde sequatur letania hæc : "Pater de celis, Deus, miserere animæ famuli tui." Conventus idem repetat : "Fili redemptor mundi, Deus, miserere animæ ejus," et cetera. Post hoc incipiat cantor responsorium "Subvenite, sancti Dei." ℣. "Requiem eternam," "In conspectu." Subjungat sacerdos commendacionem sic : "Proficiscere, anima Christiana," et cetera. Conventus respondeat, "Amen." Sacerdos : "In nomine Jesu Christi," et cetera, per ordinem. Quibus rite peractis, si adhuc moram fecerit migrandi, legantur passiones ab uno ex fratribus suæ tutelæ deputatis, discedente conventu ; crux tamen et aqua benedicta ibi relinquantur.

Cum autem mortuus fuerit et corpus portatum fuerit in capellam et honeste collocatum, interim pulsetur tabula minute et acriter cum summa velocitate, atque convenientes fratres incipiant commendacionem animæ hoc modo : "Subvenite, sancti Dei." ℣. "Suscipiat eam Christus," "Offerentes." Subjungat abbas vel prior oracionem : "Tibi, Domine, commendamus." Oracio : "Misericordiam tuam." Deinde incipiat cantor antiphonam : "Suscipiat te Christus." Ps. "In exitu Israel de Egypto," qui alternatim ab utroque choro in auditu dicatur. Et, repetita antiphona, sequatur oracio "Omnipotens sempiterne Deus." Qua finita, incipiat cantor antiphonam, "Chorus angelorum." Ps. "Dilexi quoniam," cum aliis psalmis seriatim usque "Ad Dominum cum tribularer," qui ab utroque, ut prius, choro [dicatur] ; et, antiphona ab omnibus repetita, subjungat sacerdos "Oremus. Diri vulneris." Qua completa, roget pro eo orari, ita dicendo, "Pater noster," et "Ne nos," et aliæ preces quæ sequntur. Oracio : "Partem beatæ resurreccionis," et aliæ duæ. Cumque hæc completa fuerint, ibit conventus in chorum, incipiente minore ebdomedario parvæ cantariæ "Dirige, Domine," precedentibus junioribus. Pulsetur sollempniter classicum

intus et extra tribus vicibus ab ecclesiæ famulis et aliis a sacrista provisis et premunitis, ad expiacionem animæ, et ita morose fiat tercius sonitus/ donec tercia leccio [fo. 158. finiatur, remanente succentore cum servitoribus ecclesiæ ibidem existentibus, una cum quatuor fratribus qui rogatu cantoris lavabunt corpus, et ipsi interim dicent suum "Dirige" et "Placebo." Oracio post lecciones, post "Benedictus" et post "Placebo": "Tibi, Domine, commendamus"; sed post "Placebo" adjungitur oracio "Fidelium." Post "Dirige" vero abbas, si presens fuerit, exeat ad induendum se alba et stola et capa, non tamen mitra, sed cum baculo. Si vero abbas deest, prior alba et stola tantum induatur. Post "Dirige" autem et "Placebo," corpore interim honorifice collocato in feretro et posito ad januam cimiterii, ordinata processione, precedentibus senioribus, procedatur usque ad corpus, cantando "Verba mea." Hiis peractis, aspergatur aqua benedicta et postea turificetur et oraciones dicantur, sicut in manuali continentur. Hiis rite gestis, cantor solempniter incipiat hanc antiphonam: "Subvenite, sancti Dei." Et sic in chorum feratur, et iterum totum classicum intus et extra sollempniter semel pulsetur. Quo in choro collocato, circa corpus duo candelabra magna et duo minora ponantur, Duo vero majora usque ad complecionem servicii ejus ad matutinas et post matutinas jugiter ardeant; quatuor vero ad totum ejus servicium in die, usque ad sepulturam. Et sciendum quod, corpore in choro posito, prius incensari debet altare, deinde corpus, et postea sequatur oracio. Hiis finitis, psalmi, horis vacantibus, usque ad complecionem servicii ejus, ante matutinas scilicet et post, indesinenter cantari debent.

Quod corpus defuncti nulla hora sine fratribus psallentibus remanebit. Hoc solerter a cantore et succentore provideatur, quod corpus defuncti, a tempore quo in ecclesiam fuerit delatum aut in feretro positum, nulla sit hora absque fratribus circa illud orantibus et psallentibus, quousque sepeliatur.

De honestate et cura quas camerarius et subcamerarius circa corpus defuncti habebunt. Camerarius et socius ejus circa corpus fratris defuncti curam et honestatem magnam

habebunt, ut honeste preparetur; videlicet debent habere prepa/ratas nocturnales et staminam novam, quam [fo. 158b. prius non habuit aliquis indutam, et caligas similiter, et cucullam honestam et satis longam, in quibus induitur corpus postquam obierit, et sudarium in quo capud defuncti involvatur, ut corpus honorifice ad sepeliendum preparetur. Sed sunt aliqui camerarii, miseri et parcitate inbuti, qui corpus in vilibus pannis collocent, et, quod vilissimum est, invol[v]unt capud defuncti in sudario vilissimo, facto de panno qui est circa renes et pudenda, hoc est de aliquo femorali turpissimo; et involvunt capud, quod est principale membrum corporis humani, in quo vigent omnes sensus, in tali panno de quo circumdatus est locus urinis, stercoribus et aliis inmundiciis maculatus; et dicunt: "Satis bonum est pro terra." Istam consuetudinem et inhonestam observanciam in perpetuo prohibemus et dampnamus. Nec est omittendum et negligendum a camerariis quod semper habeant famulos suos in obsequium corporis, dummodo est super terram, in lavando, in tergendo, in portando, in sepeliendo, et in omnibus aliis necessariis faciendo, ne sit defectus ex parte eorum.

Notandum quod, si monachus obierit mane ante sonitum in ecclesia, ea die qua moritur post magnam missam corpus sepelietur; si autem mane post sonitum et ante missam matutinalem obierit, ipsa die, nisi missa matutinalis xij. leccionum inpedierit, sicut in festo xij. leccionum, quæ in die jejunii accidit, quando prima missa oportet esse de festo, sicut solet esse in die sancti Mathiæ, extra Quadragesimam, quando utraque missa fuit in albis in conventu, et sicut in aliqua Dominicarum, in qua festivitas xij. leccionum accidit, quando missa matutinalis oportet esse de Dominica, si non possit dici super ebdomedam, pro eo dicetur ad altare sancti Augustini missa matutinalis cum uno cantore. Tres bacini accendantur ante altare et quatuor candelabra circa corpus, sicque sonantibus signis in turri et in campanili duobus. In crastino autem missa matutinalis, sicut moris est, nichilominus sollempniter celebretur ad magnum altare. Duo candelabra/ super altare, tres bacini, quatuor candelabra [fo. 159.

circa corpus accendantur. Totum classicum intus et extra pulsetur. In choro cantor cum socio suo. Ad gradale tres in albis, ad tractum quatuor in albis. Qui tractum cantaverint, cantabunt tres versus post "Domine Jesu Christe." Inter communionem sanctam vel parum ante, in campanili pulsetur tribus vicibus major campana de duobus majoribus. Et, si per feriam evenerit, missa finita, qui eam cantaverit et omnes alii qui ad illam missam induti fuerint se exuant, et tunc statim illi et alii, quotquot interesse poterint, in capitulum veniant, ad faciendum ibi ea quæ tunc pro defuncto fieri debent; hoc est, unusquisque capiet disciplinam, abbate vel priore, absente abbate, solo incipiente, vel, si deest uterque, alius qui tenet capitulum, et postea totus conventus simul. Capitulo autem finito, in chorum conventus redeat, cantando "Verba mea." Si autem festum xij. leccionum fuerit, ante missam fiat capitulum, et post capitulum ordine quo supra intrando chorum dicatur "Verba mea." Notandum quod nunquam ante capitulum sepeliri debet corpus monachi defuncti. Post hoc autem ad cetera subsequencia obsequia facienda, abbate cum capellano induto, aquam benedictam et cetera signa Dominicalia portanda, quatuor monachi cum ceteris ad corpus portandum et sepeliendum albis induti erunt sine paruris. Sex autem sacerdotes, tres hinc et tres illinc, a latere defuncti, albis manipulis et stolis, ad dicendum oraciones easdem quas abbas dicturus est, indui debent. Hiis autem omnibus ad vestiarium indutis, fiat processio in chorum, cantore incipiente "Miserere mei, Deus." Quo finito, jam ordinata stacione circa corpus, ceteri[s] ex more compositis, cantor cum duobus sociis incipiat "Kyrieleyson." Hiis et ceteris omnibus quæ ibi sequuntur peractis, ad sepeliendum deferatur, cantore incipiente "In paradisum," et cetera. Et sic dicatur totum servicium, sicut per ordinem sequitur donec sepeliatur. Quo sepulto, et oracionibus more finitis, redeat tunc in chorum conventus, cantando vij. psalmos penitenciales: prostratus jaceat, donec psalmi finiantur, et oracio pro eo ab abbate vel priore dicatur. Et nota quod, a die deposicionis monachi hujus loci, usquedum tricennale completum/ fuerit, omni die debet dici [fo. 159b.

pro eo "Dirige" et "Placebo," vel in conventu vel extra. In omni enim festivitate xij. leccionum debent ebdomedarii majoris missæ et minoris post vesperas, quando semel conventus reficitur, vel post cenam, quando bis reficitur, ad sanctum Gregorium simul dicere "Dirige" et "Placebo." Et si non vacet alteri eorum, roget ille pro eo alterum fratrem, ne per eum fiet mora; et, si alter eorum moram fecerit, in proximo capitulo emendetur, et tunc erit oracio "Deus, cui soli," et ceteræ familiares in conventu. "Inclina, Domine," et ceteræ familiares.

Nota quod statutum est ab abbate Thoma quod infra tricennale monachi hujus loci in omni missa matutinali dicatur pro eo oracio, "Deus, cui soli competit," quando potest commode fieri, vel, si fuerint plures fratres, tunc dicetur pro eis pluraliter oracio predicta. Die secundo deposicionis monachi, ad ejus "Dirige," si per diem agitur, totum classicum intus et extra pulsetur. Si vero per noctem agitur, sicut conti[n]git infra festum Omnium Sanctorum et Purificacionem beatæ Mariæ virginis, ad "Dirige" classicum in turri tantum. Tres bascini accendantur. Ad "Dirige" et ad Laudes et ad "Placebo," oracio "Deus, cui soli" et ceteræ per ordinem familiares. Ad missam, quandocumque evenerit, totum classicum intus et extra pulsatur.[1] Missa ad altare sancti Augustini. Duo candelabra super altare. Tres bacini accendantur. Oracio: "Deus, cui soli. Per." Oraciones post, "Miserere." "Fidelium. Per." Duo in albis. Gradale. Duo in albis. Tractum. Illi duo qui cantaverunt tractum cantabunt versus post "Domine Jesu Christe." In ejus vero tricennali, et in primo ejus anniversali post capitulum, ibit conventus cum "Verba mea" in chorum, et totum classicum intus et extra pulsatur[1]; et omnia alia sicut in secunda die deposicionis ordinatum est.

Et notandum quod ab ejus obitu usque ad tricesimam diem peractam "Dirige" in directum, non cum sonitu, nisi alia intermisceantur, plenarie fieri debet; et erit prima oracio "Inclina," et ceteræ per ordinem. Nec est pretermittendum sed memoriter retinendum quod, pro quolibet fratre istius

[1] *pulsantur*, MS.

ecclesiæ defuncto, quilibet frater sacerdos tenetur reddere pro anima fratris defuncti decem missas, cum oracione "Deus, cui soli." Ceteri fratres inferioris ordinis decem psalteria quilibet devote /reddat. Similiter et alii fratres in [fo. 160. infirmaria, sicut stagiarii qui non celebrant, quilibet eorum tenetur reddere decem psalteria, sicut alius frater inferioris ordinis.

Quid sit faciendum, si aliquis de fratribus obierit, dummodo conventus fuerit ad missas, vel ad horas, vel in prandio, vel in cena, vel in completorio, vel ad matutinas, vel ad mandatum in Sabbato, vel alio quovis modo inpeditus.

Recurramus ad institucionem bonæ memoriæ dompni abbatis, Thomæ de Findona, quæ sic dicit:—Instituit abbas Thomas, pia consideracione, per consensum tocius conventus, ut, quocienscumque contingit aliquem de fratribus ad exitum vitæ certitudinaliter propinquare, tempore vel hora qua conventus missis aut horis divinis seu prandio vel alio quovis modo legittimo prepeditus, quod non possit occurrere competenter ad commendacionem animæ morituri fratris, prout moris est, solempniter et unanimiter faciendam, id statim priori, si presens fuerit, per infirmarium nuncietur, vel alteri qui prior in ordine fuerit infra portas; qui mox, per citacionem et consilium precentoris, mitti faciat ad agonizantem sex fratres, qui, una cum ipsius morituri si quem habuerit capellano, vel si non habuerit capellanum loco ipsius adjuncto fratre septimo de conventu, simul cum infirmario commendacionem faciant, et cetera devocionis officia quæ solent fieri per conventum, solemniter et devote, sumptis de capella infirmariæ aqua benedicta, turribulo, et ceteris necessariis, ipso infirmario, si potens est, vel alio quem ad hoc precentor elegerit, sacerdotis officium exequente. Hoc semper observato, quod, ad commendacionem hujusmodi faciendam, sint ad minus, connumerato infirmario, fratres octo, et quod, hoc non obstante, secundum antiquum morem, quam cicius fieri poterit, accurratur a conventu reliquo ad defunctum,

quando per evidentissima signa ipsum fuisse mortuum certitudinaliter constiterit; et tunc, ut moris est, percuciatur tabula. Nec licet cuiquam, citato ad tantum caritatis et pietatis officium, se aliquatinus excusare, nisi racionabilis et evidens causa subsit. Et, ut nemo se excuset, equa moderacione racionis pro/visum est ut, veniente [fo. 160b. conventu, non teneantur fratres, qui commendacionem[1] fratris ante fecerant, remanere; sed libere licebit eis ire ad vitæ necessaria recipienda, quæ caritative dimiserant hac de causa. Ita tamen quod, si cuncta ad officium hujusmodi pertinencia primitus non solverunt, eadem postmodum solvere teneantur. Eodem modo saltem fiat, si commode fieri possit, vel solempnius pro abbate.

Qualiter fiet, si aliquis obierit dum fratres ad missam vel ad horam fuerint regularem.

Si vero fratres in ecclesia ad majorem aut capitalem missam vel ad regularem horam fuerint eo tempore quo frater obierit, non solet tempore moderno, sicut mos erat antiquitus, tabula continuo percuti, ut major pars conventus illuc festinanter ac protinus accurrat, et novicii cum magistro suo et aliqui ex fratribus, usquedum missam aut horam regularem completam habeant, cum sacerdote et ministris ibidem remaneant, et sic ipsi demum accurrant; sed expectari solet quousque simul accurrere queant.

Quid, si obierit dum fratres fuerint ad matutinas.

Et, si obierit dum matutinæ in conventu canuntur, licet in illius dissolucione ab infirmario et capellano suo, si habeat, et fratribus infirmis, ut moris est, cum ita acciderit, dicatur commendacio, iterum proculdubio nichilominus a toto conventu dicetur ibidem, tabula inmediate post matutinas ad ostium ecclesiæ acriter percussa. Ubicumque vero alias vel quocumque alio negocio occupatos predictus sonus invenerit fratres, sine aliqua excusacione vel mora, simul currentes et modo prelibato "Credo in unum" dicentes, ad morientem properabunt.

[1] *commendacioni*, MS.

Quid, si hora prandii aliquis moriatur.

Verumptamen, si hora prandii aut cenæ obierit, ita quod fratres commedere inceperint, non habetur in usu tempore moderno quod tabula continuo percuti debeat. Sed infirmarius per unum ex servitoribus presidenti in refectorio atque aliis fratribus per mensas quid acciderit secrecius intimabit, ut et ipsi cum festinacione reficiant. Post refeccionem vero omnes, more solito, ad ecclesiam processionaliter ibunt, et mox, ut gracias persolverint consuetas, tabula ad ostium ecclesiæ acriter percucietur, ita ut facile audiatur ab omnibus. Quod cum/ factum fuerit, omnes pariter [fo. 161. cum decenti festinacione accurrent.

Quid, si obierit postquam sonatur cimbalum ad prandium aut ad cenam conventus, vel dum fit mandatum in Sabbato aut in quinta feria.

Si vero obierit postquam sonatur cimbalum ad prandium vel ad cenam conventus, tabula continuo percucietur ad ostium claustri, vel ad ostium refectorii, si tunc omnes refectorium fuerint ingressi; qui continuo ad mortuum celeriter accurrant. Si autem in Sabbato contigerit, dummodo fit mandatum in capitulo expectandum est, ex quorundam arbitrio, ad tabulam percuciendam, quousque finiatur leccio collacionis in refectorio et dicatur, ut moris est, a presidente versiculus, "Adjutorium nostrum," et cetera; et quod totum illud officium absque intervallo, quasi sub una hora regulari, fieri consuevit.

Quid, si obierit dum conventus sit in dormitorio in meridiana.

Si autem obierit, conventu in dormitorio existente, hora meridiana, non tunc ibidem fiet sonitus, more solito; vel, si obierit, facto inibi sonitu, dum durat intervallum post meridianam, priusquam nona inchoetur, omnes pariter,

percussa tabula ante ostium dormitorii seu ante introitum claustri, ad mortuum festinanter accurrent et, corpore in ecclesia locato, ad lavatorium continuo incedent atque, lotis manibus, pectinent se et chorum ingrediantur; fietque pulsacio et canetur nona. Qua decantata, sedebunt circa corpus, quousque pulsetur ad vesperas. Tunc iterum dicent "Dirige," si diei conveniat; ad quod non dicetur oracio singularis pro fratre defuncto, sed nec oracio "Deus indulgenciarum," licet ipsa die aliquod anniversarium in capitulo sit lectum. Fratres vero si qui forte ipsa die ab itinere sint reversi, commendacioni atque toti speciali obsequio fratris defuncti proculdubio intererunt, necnon et in tabula suo ordine ad vigilias scribentur, abbate, si advenerit, nullatenus excepto,[1] si sui compos extiterit.

Quid, si acciderit incepto completorio.

Si autem evenerit post completorii inchoacionem, omnes pariter compleant, et dicatur completorium expedicius, more solito. Et cum ordinate dormitorium omnes processionaliter introierint, percuciatur tabu/la ad hostium [fo. 161b. dormitorii modo supradicto.

Qualiter fiet, si in principali festo decesserit.

Quod si in aliquo festo principali obierit, antequam mane fiet sonitus in dormitorio, tunc totum officium fiet in capella infirmariæ. Si vero post sonitum hoc eveniat, corpus remanebit in eadem capella usque post completorium et tunc in ecclesiam deferri debet; et fient pro eo vigiliæ consuetæ. Hoc observato, si ita obierit ut in principali festo debeat sepeliri, quod corpus in ecclesiam nullatenus portetur, sed quod missa pro eodem in eadem capella celebretur, toto aut majore parte conventus ad missam existente, nisi omnes fortasse ob aliquam causam manifestam interesse nequiverint; et quod directe ad locum sepulturæ ab ipsa eadem capella deferatur.

[1] *accepto*, MS.

De vigiliis faciendis in decessu fratrum.

Cum autem obierit aliquis, quod nocte reservari debeat, cantor aut succentor fratres ad agendas vigilias, secundum quod priores sunt in ordine, in tabula scribet aut scribere faciet ad vigilias. Vigilent ad corpus per duas aut tres aut quatuor vigilias. Nam domnus abbas, si domi fuerit, primus in tabula ponetur; et in ejus absencia prior, vel alius qui pro tempore conventui prefuerit; deinceps vero reliqui omnes per ordinem a primo usque ad ultimum, ita ut nullus unquam excipiatur, quamvis extra chorum fuerit vel sanguinatus vel minime professus, licet tunc in albis existat, ut infra duos dies facta sua professione. Hoc tamen a cantore provideatur, quod magister noviciorum cum suis noviciis ad ultimam sit vigiliam. Et provideat unusquisque frater ad qualem vigiliam in tabula est positus. Atque post completorium, dictis tribus oracionibus, ut est moris, hii qui ad primam vigi[li]am scripti sunt in choro remaneant, ac reliqui eant in dormitorium. Succentoris siquidem interest fratres ad vigilias excitare, vel alius rogatu suo, et de absentibus seu neglegentibus aut sompnolentibus diligenter investigare, et de talibus in crastino capitulo presidenti innotescere. Sed, si qui fratres sanguinati aut infirmitatis causa fueri[n]t extra chorum,/ licet [fo. 162. in tabula ponantur, atque vigiliis, sicut et alii, interesse debeant, ad psalterium tamen canendum non sunt compellendi, nec illud tunc temporis facere tenentur, nisi compotes sui existant et facultatem hoc faciendi habere videantur, aut fortasse sponte sua velint. Sed alias, ad cicius quam poterunt, psalterium et cetera quæ ad vigiliam spectant absque diminucione persolvere debent. Cum vero hii qui de prima vigilia sunt habuerint fere finitum psalterium, cum commendacione et aliis, ordine quo in sequenti specificatur, exeat succentor, si presens sit, vel alius, si non sit presens, de suo rogatu, ferens laternam, et vadat in dormitorium, cum incipitur psalmus "Memento, Domine, David," excitetque fratres qui secundam vigiliam sunt facturi. Qui cum venerint, ipsi de prima vigilia dormitum eant; et durabit semper secunda vigilia, vel tercia si fuerit, secundum quod tempus permittit, usque ad matutinas,

vel eciam prima[m], ut si ante matutinas non nisi una tantum fuerit vigilia. Et, dum canuntur matutinæ, si corpus sit in capella infirmariæ, aliqui ad nutum cantoris moram ibidem facient, atque post matutinas fratres illic remanebunt, qui terciam vel quartam vigiliam sunt facturi. Ad quam vigiliam, si extrema fuerit, vel eciam ad quintam si agatur, magister noviciorum, ut prefertur, cum suis noviciis esse tenetur. Ceteri vero fratres in lectis suis quiescant, usquequo, mane facto, surgentes, calciati, loti, et pexi aggregentur et ipsi ad corpus. Quibus aggregatis, pergant novicii calciare, lavare, et pectere, solitasque[1] oraciones facere, juxta quod ordo illius temporis exposcit.

De vigiliis in obitu fratrum secundum diversa anni tempora rite distingue[n]dis.

Hoc autem ordine distinguendæ sunt vigiliæ in fratrum decessu, secundum diversa et quadripartita anni tempora. Inter sollempnitatem vero Omnium Sanctorum et Purificacionem beatæ Mariæ tres erunt vigiliæ ante matutinas, et tres post. A dicta vero Purificacione usque ad festum Invencionis sanctæ Crucis duæ erunt vigiliæ ante matutinas, et duæ post matutinas. Et ab eodem festo Invencionis sanctæ Crucis usque ad gulam Augusti una tantum erit vigilia ante matutinas, et/ una post. Atque a gula Augusti usque Omnium [fo. 162b. Sanctorum solempnitatem fiet ut predictum est inter Purificacionem beatæ Mariæ et sanctæ Crucis Invencionem. Verumptamen non ita semper fieri potest ut supra dictum est; sed in disposicione et providencia cantorum existit, secundum tempus et horam qua aliquis obierit, et secundum noccium brevitatem et prolixitatem, et secundum quod ad matutinas in obitu fratris tempestive aut tarde pulsatur, vigilias equaliter et ordinate distinguere, ut non plus quidam graventur quam alii. Si vero post matutinas seu quavis alia hora obierit quis, tanta parte noctis transacta, quod duas vigilias facere comodum non sit, locato in ecclesia corpore, fratres omnes

[1] *solicitasque.* MS.

vigilantes et psallentes ibi remaneant. Si autem fuerint aliqui fratres non longe a monasterio pernoctantes, dum aliquis frater ab hac luce subtrahitur, debent continuo a priore mandari, ne, quod absit, tam prope extra sint per noctem, dum fratris defuncti corpus in ecclesia presens extiterit.

Si aliquis frater obierit post sonitum mane factum, quod missam habebit matutinalem.

Quocienscumque autem decesserit aliquis fratrum post sonitum mane factum ante primam, reservabitur usque in crastinum, juxta quod superius luculencius propalatur. Sed proculdubio missa matutinalis ipso die, ex recta et antiqua consuetudine, festive pro eo celebrabitur, eciam si in dupplici festo acciderit, nisi pro aliqua vigilia aut solempni jejunio seu aliquo casu contingente aliter fieri oporteat, ut plane predictum est. Ad quam missam diaconus, incensato altari et sacerdote, ad corpus incensandum cum turribulo debet accedere, necnon et singuli sacerdotes de congregacione, qui possunt, missas pro eo speciales ipso die celebrare tenentur. Dormire siquidem possunt et debent seniores, et alii similiter ex moderno usu, tam nocturnis horis quam ad meridianam estivo tempore; hoc observato quod vigiliæ a fratribus, juxta quod in tabula ponuntur, ordinate atque plenarie a singulis fiant nocturnis horis, et quod ad meridianam aliqui fratres, ad nutum cantoris, jugiter cum corpore psallendo remaneant.

Consuetudo antiquitus de fratrum sepultura.

Ideo autem superius dicitur, si ita obierit, ut nocte debeat reservari, quoniam antiquitus, si quis ante capitulum quacumque hora obisset, missa capitalis pro eo celebrari atque corpus continuo humari consuevit, quia, dum duo tenebantur capitula, corpus inhumatum in monasterio esse non debuit. Sed postea mutatum est ex consensu tocius capituli quod, si aliquis frater obierit post sonitum ante primam, corpus ultra noctem reservabitur, nisi aliter necessitas cogat fieri, vel disposicio seniorum et sapientum aliter provideat; et sic duo

rite expectabit capitula, atque semper, quam cito videbitur frater in sui corporis dissolucione laborare, septem psalmi penitenciales, ut prefertur, pro ejus absolutione dicentur, ac deinde confestim animæ commendacio, tabula ut moris ante percussa.

Quo ordine portabitur corpus in ecclesiam et ad sepulturam.

Portetur corpus in ecclesiam a fratribus; si sacerdos est, a sacerdotibus; si diaconus est aut subdiaconus, a consimilibus; si conversus aut infans, a conversis; et ad sepulturam simili modo portetur. Post sepulturam alicujus fratris, dictis vij. psalmis a conventu in choro prostrato, fiet parliamentum a fratribus in claustro solito more, si tempus permiserit.

Qualiter fiet, si aliquis obierit in nocte Paschæ vel Penthecostes.

In die Resurreccionis Dominicæ, si aliquis frater obierit mane ante sonitum, non sepelietur corpus illo die, sed reservabitur usque in crastinum, sicut superius dictum est de principalibus festis; quia non decet cantare illo die missam de "Requiem" nec aliquod corpus sepelire, propter reverenciam et honestatem Dominicæ Resurreccionis, quia illo die omnes cum Christo resurgimus. Et quid, si magis necessitas urgeret? Fiet tunc cum consilio seniorum, quia in necessitate lex non tenet locum. Eodem modo fiet in die Penthecostes, et in die Natalis Domini, et in die sancti Augustini, si talis casus evenerit. In die Cenæ, hoc est feria quinta ante Pascha, bene dicitur missa solempniter de "Requiem" pro corpore presenti, quasi/ missa matutinalis, et corpus [fo. 163b. solito more sepelietur; si tamen obierit mane ante sonitum. Si post sonitum obierit, reservabitur in capella in infirmaria[1] usque in Sabbatum. In Sabbato vero sancto non humabitur corpus ante evangelium magnæ missæ in conventu; sed dicetur una missa privata in capella infirmariæ, ubi corpus

[1] *infirmarie*, MS.

quiescit, ab aliquo fratre de rogatu precentoris. Cum autem in ecclesia solempnitas diei complebitur, statim induet se abbas vel prior vel alius qui faciet officium sepulturæ, cum aliis ministris omnibus solito more necessariis, et ordinata processione cum cereis in manibus omnium fratrum accensis, ut moris est. Cantore incipiente psalmum "Miserere mei, Deus," totus conventus processionaliter incedat ad infirmariam, pro exequiis circa corpus rite faciendis. Et cum hæc perfecerit, portetur corpus ad sepulcrum, et honorifice sepeliatur cum sonitu solempni. Deinde subjungantur vij. psalmi versus ecclesiam processionaliter, ut superius dictum est. In Parasceve vero, si frater obierit, nulla solempnitas in conventu fiet pro eo, nisi tantum commendacio, et "Dirige" dicenda est submissa voce. Et in sequenti nocte vigiliæ ibidem a toto conventu reddendæ sunt.[1]

De beneficiis fratrum, quæ fiunt post obitum alicujus fratris.

Primo, sicut dictum est superius, fiet pro eo secundo die deposicionis suæ missa solempnis[2] in choro, cum sonitu solempni intus et extra, et ad "Placebo" et "Dirige," si eadem die dici debeat. Fiet tamen in disposicione cantoris, secundum quod tempus exigit. Similiter a die deposicionis suæ usque ad tricesimum diem scribetur unus frater cotidie in tabula ad missam pro defuncto, nullo fratre excepto, nisi abbas et unus capellanus suus secundarius et fratres infirmi in infirmaria jacentes, hiis exceptis qui habent licenciam de stagiariis celebrandi. Item, in die deposicionis suæ v. solidi distribuantur in pane pauperum per manus .[3] Similiter et in ultima die trigintalis sui similiter tantum, et in die sui anniversarii tantum, per manus camerarii qui pro tempore fuerit. De missa quæ currit per tabu/las pro eo infra triginta [fo. 164. dies, si aliquod festum principale infra istos triginta dies, vel festum quod est par ad principale festum, evenerit, ponantur in tabula in vigilia illius festivitatis ad missas pro defuncto

[1] Two lines have been erased here. [2] *solempni*, MS. [3] Blank in MS.

duo fratres. Similiter et in Pascha, si evenerit, scribantur in tabula feria quarta ante Pascha quinque fratres; et quod ille frater vel fratres, qui ad illam missam sunt in tabula, accipient cotidie in capitulo ante correcciones disciplinam. Item, qualibet nocte infra xxx. dies dicetur in conventu, post matutinas, et similiter extra conventum, psalmi "Verba mea," "De profundis," et "Voce mea," cum collecta "Absolve." Similiter ultima die trigintalis sui fiet in conventu missa sollempnis et "Placebo" et "Dirige," cum sonitu solempni. Eodem modo in die anniversarii sui fiet. Similiter in martilogio scribetur nomen ejus die qua obierit, ut possit quolibet anno recitari in capitulo et anima ejus cum ceteris absolvi, et fiet pro eo cum ceteris quorum nomina lecta sunt in tabula unum officium plenarium. Item, quilibet frater reddet pro eo decem missas speciales, et oracio ad illas missas erit pro eo specialiter "Deus, cui soli," sicut supra dictum est. Ceteri fratres inferioris ordinis dicent pro eo decem psalteria. Item, precentor faciet scribi brevicula sua, quasi ad quinque C., et faciet portare per brevigerulum suum per omnes ecclesias religiosorum in Anglia et in finibus Scociæ et Walliæ, preter ad mendicantes; et anima ejus in capitulis eorum, cum auditum fuerit breviculum, inter cetera [nomina] debet absolvi; et habebit cum ceteris unum officium in conventu plenarium, hoc est missam et "Placebo" et "Dirige." Sunt aliquæ ecclesiæ in Anglia quæ sunt nobiscum ita convencionales, quod nomen fratris defuncti istius ecclesiæ cum auditum fuerit per breviculum, precentor scribi faciet in martilogio nomen ejus, et erit quolibet anno in capitulo recitatum, et intra cetera nomina anima ejus absoluta, et habebit cum ceteris in choro unum officium plenarium, ut supra, et quilibet sacerdos unam missam celebrabit specialem; ceteri fratres inferioris ordinis quinquaginta psalmos persolvent.

Quid sit faciendum postquam corpus fuerit in ecclesiam delatum post commendacionem.

Cum autem post commendacionem corpus, ut moris est, in ecclesiam/ delatum fuerit, et loco consueto [fo. 164b.

honorifice collocatum, si sonitus tabulæ de refectorio fratres adduxerat, ablutis manibus, ad refectorium revertantur; fiatque ordinate quod institucio superius deposcit, remanentibus cum corpore aliquibus de fratribus, quot et quibus per precentorem injunctum fuerit, qui psalmos ibi interim cantent.

Quod corpus defuncti nullo tempore sine psalmodia erit.

Frater enim quacumque hora migraverit die aut nocte, sive in estate sive in hieme, post depositum in ecclesia corpus, nunquam debet esse sine psalmodia; sed omnes communiter sedeant ibi fratres canentes psalterium. Ad unamquamque noctis vigiliam fratres psalterium dicent integrum; et in qualibet quinquagena psalmorum dicentur tres lecciones de "Dirige" cum tribus responsoriis, "Pater noster." Oracio: "Tibi, Domine, commendamus." Quacumque autem hora diei frater obierit, nunquam debet esse corpus sine conventu; excepto quando celebrant missas privatas vel processionem faciunt, vel in capitulo sunt aut in refectorio vel in dormitorio meridianis horis; et tunc remaneant ibi cum corpore aliqui fratres de assignacione cantoris, interim psalmos canentes. Sed per totum diem, horis quibus in claustro sedere deberent, ibi cum corpore sedeant, nisi dum pedes sibi lavent, si mandatum tunc fortasse fieri debeat; et tamen tunc deputentur aliqui fratres a cantore, qui ibidem remaneant, dum ceteri pedes abluunt. Congruo vero tempore dicentur horæ regulares, more solito, neque pro corpore aliquid minus faciet conventus quod competenti hora et regulariter debeat fieri. Si vero talis sit dies quod mandatum fieri debeat, dum corpus presens fuerit, pedes fratrum in capitulo nichilominus abluentur; sed in claustro non sedebunt, dum corpus est in ecclesia, nisi illa tantummodo hora qua sibi pedes cum decenti festinacione lavent, quibusdam interim, ut prefertur, cum corpore remanentibus.

Quod nullus a monasterio egredietur, donec fratris defuncti corpus sepeliatur.

Ab hora enim qua obierit frater donec sepeliatur corpus ejus, nulli liceat extra claustra monasterii egredi, nisi pro magna fuerit necessitate et tam prope sit locus/ quod [fo. 165. ad sepeliendum fratrem possit redire. Neque in refectorio aliquis comedere presumat, antequam sepeliatur, si ea die sepeliri debeat. Nullusque, quamdiu fuerit corpus in ecclesia, sit ausus loqui in claustro, neque causa loquendi locutorium ingredi, nisi pro racionabili necessitate. Sed, sepulto corpore, si diei conveniat, prout supra dictum est, in claustro loqui solent. Si vero tabula legatur de principali anniversario, die quo aliquis frater obierit, obsequium de anniversario differri debeat et exequiæ fratris defuncti plenarie persolvi.

Breviculum fratris qualiter scribi debeat.

Post decessum autem cujuslibet fratris, debent per precentorem brevicula scribi, et per brevigerulum ad domos religiosorum vicinas per circuitum, ut cicius animæ subveniatur, specialiter destinari. Et, quia diversarum ecclesiarum et maxime nostri ordinis diversa est consuetudo in breviculis decedencium componendis, breviculum proculdubio fratrum de hujus ecclesiæ gremio decedencium hoc modo fieri consuevit: "Kalendas Januarii, obiit N., monachus et sacerdos, "vel diaconus, vel subdiaconus, vel accolitus, vel conversus, "ecclesiæ apostolorum Petri et Pauli, et sancti Augustini "Cantuariæ, professus"; subjunctisque vel sex vel usque ad decem tantummodo nominibus familiarium utriusque sexus, si fuerint, et non pluribus, si recta servetur consuetudo. Pro laico quidem converso si fuerit, aut monacho minime professo, breviculum specialiter destinari non solet, sed illius nomen breviculo alicujus fratris defuncti professi subnecti debet, ad succurrendum. Illo die quo sepeliri debeat, antequam corpus sepeliatur, in capitulo ante correcciones abbas, si presens fuerit, vel prior vel alius qui in capitulo prefuerit, debet sedendo pronunciare decessum fratris defuncti, et rogare

Deum ut dimittat ei sua peccata et concedat ei requiem eternam in regno suo cum electis suis. Respondentibus omnibus "Amen," surgat ad aream solus et ponat capucium dicendo "Pater noster." Sedeat et capiat disciplinam a priore, si abbas fuerit, vel ab aliquo confessore, et recipiet septem percussiones, et non plures nec pauciores. Postea surgat, et stando, antequam sessum vadat, animam fratris defuncti absolvat dicendo: "Anima ejus et animæ omnium "fidelium defunctorum/ per Dei misericordiam in [fo. 165b. "pace requiescant." Respondeat conventus "Amen." Vadat ad sedem suam. Postea surgat totus conventus et capiat disciplinam, presidente "Pater noster" dicente, et unusquisque recipiet vij. percussiones, ut prius dictum est. Tunc presidens, ut prius, animam absolvet. Si qui fuerint de fratribus qui disciplinam capere non possunt, post correcionem surgant et veniam capiant, recognoscendo quare disciplinas capere non possunt. Tunc presidens pro discrecione sua injungat eis aliam penitenciam. Alii fratres, qui sunt prima die de capitulo absentes, in crastino facient sicut alii fecerunt. Si autem aliqui fratres de longe sunt absentes, ita quod per intervallum temporis accidit obitus duorum fratrum vel trium, cum autem domi venerint, accipient pro singulis septem percussiones ab eo qui deputatus est dare disciplinas in capitulo. Missa autem, quæ est in tabula scripta pro fratre defuncto qualibet die infra triginta dies, incipiet secundo die suæ deposicionis, non numerato die quo corpus sepulturæ traditur; et ille frater, qui eam celebrat cotidie, predicto modo in capitulo disciplinam accipiet. Similiter et ille frater, qui celebret missam matutinalem, ultima die trigintalis sui eodem modo faciet; et in die anniversarii sui frater, qui celebrat missam matutinalem, similiter faciet. Si autem ultra noctem reservetur corpus, vel si non, preter servicium quod pro mortuo fratre processu temporis facere solent fratres, integrum psalterium cum commendacione, vesperis, et vigilia mortuorum pro eo specialiter ad diem exitus sui, ut nulli dubium est, unusquisque de congregacione persolvere tenetur, ubicumque fuerit, infra monasterium vel extra; quod tamen a presidente debet eis insuper recitari et inquiri ab eis cum ad monas-

terium venerint, si sint extra, diligenter si predicta ad plenum persolverint. Dum autem in capitulo sunt fratres, debet corpus exanime in choro honeste collocari, et fratres circa illud de assignacione cantoris psalterium interim psallentes. Deinde pergant in ecclesiam, usque ad corpus defuncti, canentes "Verba mea," atque ad introitum eorum in ecclesiam pulsabitur classicum intus et extra, et ab ebdomedario magnæ missæ subjungetur oracio, sic: "Absolve, quesumus, Domine, animam/ famuli tui et animas[1] omnium fidelium [fo. 166. defunctorum," et cetera. Deinde procedant in claustrum, si talis fuerit dies quo in claustro est loquendum, ut, si corpus debeat sepeliri post magnam missam, ut supra dictum est, sonet prior tabulam; subjungat "Benedicite," sicut aliis solet diebus; si tamen ipso die sepeliri debeat, set non aliter. Finita autem oracione predicta, si xij. lecciones ipso die habeant, fiat, ut moris est, intervallum; sin autem, confestim ut abbas cum suis ministris et duobus cantoribus fuerit indutus, conventu interim in choro residente, pulsetur classicum et missæ officium inchoetur. Possunt quidem fratres, si qui indiguerint, dum predictum illud breve sit intervallum, hora qua se abbas et ceteri induunt, in dormitorium incedere, si indiguerint; ita tamen quod cum festinacione revertantur. In Quadragesima autem, si infra ebdomadam acciderit quod in aliquo festo xij. leccionum et supra corpus fratris defuncti debeat sepeliri, facta in choro post capitulum oracio[ne], post "Verba mea" cantetur sexta, ad quam nullus induetur, licet conventus in albis esse deberet; et tamen seniores, dum canitur hora, sicuti semper mos est in festis xij. leccionum in Quadragesima, in orientali parte erunt. Dictoque ad horam versiculo, exibunt ac se induent qui ad missam ministrabunt. Cum autem abbas et ceteri ministri revestiti fuerint, cantoribus venientibus in chorum, missam pro defuncto, scilicet "Requiem," incipient; et missa de festivitate differatur, et cantetur missa capitalis in crastino solempniter de ipsa festivitate. Si autem in aliqua festivitate qua abbas ex consuetudine missam celebrare debet corpus debeat sepeliri, abbas de festivitate et prior pro defuncto missam celebrabit, atque

[1] *anime*, MS.

versus finem missæ induet se abbas ad complendum sepeliendi officium, pulsato ad introitum missæ ab ecclesiæ famulis solempniter classico. Cantor et succentor in capis chorum ad missam regere debent. Hæc collecta, "Quesumus, Domine, ut animæ," in qualibet missa pro fratre defuncto, presente corpore, celebranda, tam in conventu quam ad missas privatas, dicetur, quousque sepeliatur; quam oracionem, post "per Dominum," sequentur inmediate "Miserere,"/ [fo. 166b. "Fidelium Deus, per Dominum." Gradale a tribus juvenibus in albis cantabitur. Quatuor fratres tantum tractum sunt canituri. Et, qui cantabant tractum, cantare debent versus post offerendam.

Quod pro novicio non professo ad missam non fiet panis et vini oblacio.

Oblacio vero consueta panis et vini fieri non debet in obitu novicii minime professi. Post prefacionem ad missam, incepto a cantore "Sanctus," pulsabitur tribus vicibus unum ex majoribus signis a famulis ecclesiæ, ut, si qui forte alicubi egressi fuerint, ad hunc sonitum sine mora conveniant. Cantoris est sagaciter providere ut cedula absolucionis ante missam scribatur, et ut anima[1] defuncti ad sepulturam corporis a quolibet fratre specialiter absolvatur nisi a minime professis, si fuerint. Circa finem missæ debet secretarius candelas, id est, parvos cereos, habere preparatas, et unicuique fratrum unam prebere, a primo usque ad ultimum; et sic circa corpus facient stacionem usquequo sepeliatur.

De officio sacerdotis circa corpus post missam.

Post missam celebratam, eodem loco et ordine fratres remaneant, quo videlicet inter missam steterunt, atque, distributis cereis per secretarium priori et cantoribus ceterisque fratribus similiter et aliis religiosis, si fuerint, per ordinem, accendantur quamtocius. Atque sacerdos, finita missa, casulam exuat ad vestiarium, stola cum manipulo remanente;

[1] *animam*, MS.

[qui] in chorum veniat, et cum eo sex sacerdotes, tres ex una parte chori et tres ex altera, induti albis stolis et manipulis, qui reddent unusquisque per se quicquid pertinet ad exequias. Et quatuor fratres albis absque paruris sint induti, ut corpus ad tumulandum humanitus deferant. Si domnus abbas adest, in capa venturus est [et] pontificalibus redimitus, cum suo capellano alba tantum induto, sicut prius ad missam ; si autem prior vel alius quis, alba, ut prefertur, stola manipuloque ornatus. Qui, chorum ingrediens, surgentibus cunctis, incipiet cantor psalmum "Miserere mei, Deus"; atque ad corpus continuo accedens aqua benedicta aspergat. Hii vero qui/ situlam cum aqua benedicta, crucem, [fo. 167. candelabra et thuribulum portant, stent hinc et inde ad capud defuncti, reliq[u]us conventus ad dextram et ad sinistram, sicut est ordo eorum, et sic stantes versas habeant facies, chorus ad chorum. Sacerdos stet ad capud defuncti, ut predictos portitores ad dextram suam et ad sinistram habeat ; psalmoque completo, procedant cantores cum socio tercio de conventu ad gradum, non induti, et alta voce dicent "Kyrieleyson," "Christeeleyson," "Kyrieleyson," conventu "Christeeleyson" repetente, et ultimum "Kyrieleyson" cum eis dicente. Postea sacerdos, ceteris se humiliter inclinantibus, dicat oracionem "Non intres in judicium." Subjungant predicti cantores responsorium "Qui Lazarum," vel "Absolve." Responsorium cum regressu post versum ab utroque choro cantetur. Sed cantores responsorium inchoare et versum percantare tenentur. Hoc idem de sequentibus responsoriis est observandum. Et, dum canitur primum responsorium, sacerdos incenset altare chori, et postea corpus ex utraque parte, a capite incipiens, primo videlicet ad dexteram, et postmodum ad sinistram. Atque modo simili ministret incensum ad secundum responsorium, scilicet "Heu mihi, Domine," vel quomodo; atque ad tercium responsorium quod erit "Libera me, Domine," cum versibus, eodem modo fiet. Finito regressu responsorii post versus roget sacerdos pro eo ita dicendo "Pater noster," "Et ne nos," et ceteræ preces. Oracio: "Inclina." Hiis peractis, incipiat cantor antiphonam "In paradisum," psalmum "In exitu Israel,"

et cetera, donec ad sepulcrum perveniant. Atque mox, ut cantor antiphonam inceperit prelibatam, processio, cum pulsacione signorum majorum in campanili, ad exitum chori versus occidentem egrediantur. Precedat conventus, juvenibus incipientibus et ceteris suo ordine subsequentibus, et subsequatur cantor, cujus officii specialiter interest omni sollicitudine providere, ne in hoc obsequio aliqua possit negligencia evenire. Post illum venient portitores aquæ benedictæ, crucis, candelabrorum, turribuli; sex sacerdotes; sequaturque sacerdos, vel abbas cum suo capellano, et ad extremum quatuor fratres in albis, qui corpus portant. Cum/ ad sepulturam pervenerint, stent ordinate [fo. 167b. hinc et inde, sicut in choro stare solent. Abbas vel sacerdos stet in papilione, si necesse fuerit, inter duos choros, non longe a sepultura; et ad dexteram ejus et sinistram fratres qui aquam benedictam, crucem, et cetera detulerunt, et sex sacerdotes circa abbatem vel sacerdotem, qui reddent omnes oraciones ad exequias ordinatas, sicut et ipse abbas vel sacerdos. Quibus ita ordinatis et repetita antiphona "In paradisum," dicat abbas vel sacerdos benediccionem sepulcri. Oracio: "Rogamus te, Domine sancte." Sequatur oracio, "Piæ recordacionis affectu." Finita oracione, accedat abbas vel sacerdos et aspergat sepulcrum aqua benedicta atque incenset, cantore incipiente antiphonam, "Aperite illi portas." Psalmus, "Confitemini." Quo psalmo a sacerdote et toto conventu simul expleto, subjungat sacerdos vel abbas oracionem, "Obsecramus misericordiam tuam." Sic enim, ut predictum est, fiat de ceteris psalmis complendis, antequam a sacerdote incipiatur oracio. Dum autem a sacerdote dicitur oracio predicta, pallium quo libitina tegebatur ultra sepulcrum extendatur, et, ea finita, duo ex fratribus qui albis induuntur, sua capita amictibus tegentes, in sepulcrum descendant, atque, cantore inchoante antiphonam "Ingrediar in locum," alii duo in albis induti corpus de feretro accipientes illis tribuant qui illud in sepulcro diligenter componant, et cruce de candelis facta, cum sedula absolucionis, prius ab abbate vel sacerdote lecta, pectori ejus inposita, confestim exeant; atque interim dicatur psalmus, "Quemadmodum,"

oracio: "Oremus, fratres carissimi," et oracio: "Deus, qui justis supplicacionibus." Antiphona, "Hæc requies mea." Psalmus, "Memento, Domine, David." Hic aspergatur aqua benedicta corpus, atque incensetur; et cetera omnia dicantur quæ rite pertinent ad exequias, sicut continetur in manuali. Illi quatuor fratres qui portabant corpus statim ad ecclesiam pergant et se devestiant, et incontinenti ad conventum redeant.

Qualiter revertetur processio in chorum post fratris sepulturam.

Hiis itaque peractis, revertatur processio ad ecclesiam, ita quod revestiti precedant, atque ceteri, tam cantor videlicet quam [alii], secundum ordinem/ suæ conversionis [fo. 168. subsequantur, a senioribus incipientes, cantando septem psalmos penitenciales pro absolucione fratris, qui a cantore incipiantur et absque "Gloria Patri" dicantur. Chorum vero, ad ostium quo exierunt, ordinate ingredientur, a parte scilicet occidentali. Quem cum ingressi fuerint, abbate cum fratribus indutis ac suo capellano super formas in stallis procumbente, prosternent se ceteri omnes in longam veniam suo ordine in oratorio. Nec aliquis pro sanguinis minucione seu alia re ab hac venia se absentabit, nisi manifestior egritudo sit in causa. Verumptamen, si hoc acciderit secunda die minucionis alicujus fratris qui se fortasse debilem sentit, et maxime si de vena in brachio dextro fuerit minutus, poterit se ab hac venia subtrahere, atque exterius per se pro absolucione fratris septem psalmos penitenciales dicere. Psalmis vero finitis, subjungent omnes pariter in auditu versiculum, "Requiem eternam dona ei, Domine." "Et lux perpetua." "Pater noster." Sacerdos, corpus suum erigens, genibus flexis subinferat versiculum, "Et ne nos." "Non intres in judicium." "A porta inferi." "Dominus vobiscum." Oracio: "Satisfaciat tibi, Domine Deus." "Requiescat in pace, amen."

Si autem dies talis sit et tempus permiserit ut colloqui debeant, claustrum ordinate ingrediantur, et, tabula percussa

ter a priore, et pronunciato "Benedicite," loquantur more solito. Si vero sit in tribus leccionibus et loqui [non] debeant, sedebunt in claustro ordinate, quousque signum sonetur. Et si xij. lecciones habeant, et magna missa inmediate post terciam debeat celebrari, tunc, quando a prostracione se erigunt, pulsandum est continuo ad terciam, atque, terminata oracione, induent se sacerdos et alii qui ad missam indui debent, vel eciam totus conventus, si in capis sit vel albis. In Dominica autem, cum ita evenerit, tunc ad nutum prioris aut supprioris, statim ut a prostracione surrexerint, procedent ad se induendum sacerdos ebdomedarius cum suis ministris ceterisque interim in choro residentibus, vel eciam omnes tunc exeant ad froccos in dormitorio reponendos, si albis indui debeant; quibus indutis, sonabitur signum ad exorcismum sa/lis et aquæ. Quod si in Quadragesima extra [fo. 168b. Dominicam acciderit, tum, quando a prostracione se erigunt, pulsandum est continuo ad sextam, atque, oracione terminata, mox inchoabitur hora.

De balneo fratrum qui corpus defuncti tetigerunt.

Nec pretermittendum, quod fratres induti, qui corpus defuncti tetigerunt, illud videlicet in sepulcrum collocando, ex recta et antiqua consuetudine balneari debent, priusquam ad altare ministrent, et non illi qui ab infirmitorio illud in ecclesiam detulerunt, eo quod illi mortui cadaver suis manibus nullatenus tetigerunt.

Tale quidem obsequium sepeliendi preostensum debetur ei suscipienti habitum monachalem in hoc monasterio, etsi non vixerit nisi per unum momentum infra claustra monasterii. De abbate vero, cum ab hac luce migraverit, qualiter debeat sepeliri, specificatum est supra capitulo ubi loquitur de abbate.

De distribuendis fratris defuncti indumentis aliisque rebus, si quas habuerit.

Ad distribuenda fratris defuncti indumenta et alias res, si quas habet, ex veteri consuetudine non erunt ibi nisi abbas cum uno capellano et prior et capellanus fratris defuncti, si

forte habuerit. Si autem abbas non vult intromittere, tunc prior vel supprior, vel alius custos ordinis vicem gerens prioris, si absens fuerit, et predictus capellanus fratris defuncti, et unus de capellanis abbatis, si potest. Nullus alius frater ibi veniet, nisi vocatus vel jussus; nec aliquis frater de rebus defuncti assumere vel, quod absit, aliquo modo vendicare, quousque ab abbate vel priore videatur atque scrutetur. Si autem inventum fuerit cum fratre defuncto aurum, argentum, gemmæ, anuli,[1] firmacula, ista omnia pertinent ad abbatem. Sed ciphi argentei et mazeriæ, et coclearia argentea, ista liberentur refectorario, et faciet scribere in inventario cum aliis rebus de refectorio; et vestimenta, si fuerint, liberentur revestiario, et scribet in suo inventario officii sui. Carula cum scabello, si fuerit, pergamenum, attramentum cum attramentario et pennario, colores,[2] libri quos habet de librario, et alii libri de acquisicione sua, omnia ista liberentur precen/tori; et ipse scribere faciet nomen fratris in [fo. 169. quolibet libro de sua adquisicione, antequam portentur in librarium. Cera, species non pulverizatæ,[3] sicut zimziber, zedoare, galenga, cinnamomum, ista pertinent ad priorem. Vasa vitrea, erea, stannea, plumbea, terrea, lignea, et alia utencilia ferrea,[2] species in pulvere, electuaria et alia hujusmodi quæ pertinent ad medicinam, infirmarius recipiet. Omnia indumenta ordinata et de liberacione camerarii ipse camerarius percipiet; omnia alia pro voluntate abbatis sint, cui vel quibus voluerit dare vel assignare.

Ista sunt inordinata claustralibus, nisi sint de permissione abbatis, videlicet: culcita, sarplerium,[2] tapetum, coperlectile, tunica estivalis; coopertorium furratum de pellibus ferinis, ut cuniculorum, propter statutum Gregorii noni, et aliorum animalium, preter agnorum; corsettum sive toga, capa, capellum, calcaria, ocreæ bovinæ, stivalia aliter quam sint a camerario liberta, almuciæ parvæ et grossæ, stragulæ extra cursum liberacionis, cirotecæ distinctæ per digitos, cultellus ornatus cum argento, et ciphus similiter eodem modo ornatus, tabulæ portatilæ, bursa cum serico ornata, zona de serico deornata

[1] *gemmas*, *anulus*, MS.
[2] Added in margin.
[3] *pulverizatas*, MS.

argento vel auro, sigillum, sella[1] diversis clavis deauratis ornata, frenum deargentatum: fere de omnibus istis potest abbas dispensare cum fratribus, per privilegium domini Innocencii Papæ, si viderit honestum esse.

Omnia supradicta ordinata et ad partem posita, vocentur fratres ad quos ista pertinent, et singuli capie[n]t quod ad officium suum incumbit. Prius tamen abbas, vel alius locum suum tenens, de aliquo honesto indumento famulum fratris defuncti remuneret; similiter et [erga] capellanum suum, si voluerit, eodem modo faciet. Nec est pretermittendum quod precipiet camerario quod satisfaciet brevigerulo, ad minus ad valenciam quinque solidorum, pro breviculis fratris defuncti portandis. Similiter et precentori precipiet quod nullo modo carulam fratris defuncti vendicioni exponat, sed det alicui fratri in claustro sedenti, carulam non habenti; et si voluerit ille frater, pro ea, brevicula fratris defuncti scribere, hoc permittimus. Nota quod servicalia non/ sunt de liberacione [fo. 169b. camerarii, et ideo in distribucione rerum fratris defuncti non percipiet ea; sed in voluntate abbatis est fratribus indigentibus ea dare. Precipiet similiter cantori quod faciet portare omnes libros de adquisicione fratris defuncti ad proximum capitulum, et refectorario ciphos et coclearia; similiter revestiario vestimenta, si fuerint, deferat; ut a conventu omnia videantur et anima defuncti absolvatur.

Qualiter fiet obsequium pro eo cui conceditur habitus monachalis, si ante professionem obierit.

Non professo autem viventi in monasterio, si ante professionem in fata decesserit, debetur per omnia obsequium inunccionis et sepulturæ, sicuti et monacho professo; excepto quod ad missam pro eo celebratam non fiet a conventu oblacio consueta, sicut nec pro aliquo familiari defuncto. Post completum autem sepeliendi officium, non amplius fiet pro eo quam pro aliis fratribus familiaribus nostris ab hac luce subtractis, nisi quod septem debentur ei officia plenaria

[1] *cella*, MS.

in conventu cum capa ad missam, et decies "Verba mea" post matutinas; et quod habebit ex debito a quolibet sacerdote congregacionis unam missam specialem, et ab aliis inferioris ordinis unam psalmorum quinquagenam, excepto psalterio quod de die aut de nocte unusquisque ad vigiliam dicere tenetur, antequam corpus sepulturæ tradatur; et nomen ejus inter familiares in martilogio scribetur. Sed missam in tabula non habebit scriptam.

De modo agendi obsequium in decessu fratris laici conversi.

Pro laico converso, si in monasterio obierit, eo quod capitulum non habet, non fiet a conventu obsequium sicut pro monacho; quoniam ad locum ubi inungi debet, sive commendacio pro anima ejus dici, non omnes conveniant fratres. Sed ad quamcumque jacuerit officinam,[1] quando primum egrotare inceperit, debet ad domum fratrum infirmorum portari, et per infirmarium ea quæ ei necessaria sunt, sicut et monachis, in rebus medicinalibus humanitus exhiberi. Ad quem, una cum infirmario, magister noviciorum, cui specialiter conversorum cura committitur, frequenter accedens, tam de corporali quam de spirituali/ consolacione eum [fo. 170. misericorditer ita revisitet, ut nullius, si fieri possit, indigenciam paciatur. Et, cum pecierit inungi, magister suus, vel, si ipse non affuerit, infirmarius, alba indutus et stola cum manipulo, atque inibi jacentes et alii, si quos secum adducere voluerit, vij. psalmos [dicentes], precedentibus fratribus vel eciam famulis, si opus fuerit, cum aqua benedicta, cruce, et cereis, de capella infirmariæ sumptis, atque sacrista cum oleo, ad egrum veniant et ordinate circumstent, si locus in quo jacet fieri permittit. Et primum aspergatur aqua benedicta, et fiant cetera deinceps, sicut pro monacho, usque ad animæ commendacionem; ad quam dicendam, cum necesse fu[er]it, conveniant iterum supradicti fratres, cum suo magistro et infirmario, ad locum ubi jacuerit. Et, expleta commendacione in camera qua obierit, in capellam ituri sunt psallentes

[1] *officina*, MS.

"Dirige," et postea "Placebo," cum collecta "Tibi, Domine," sicut pro monacho. Quæ tamen omnia usque ad missam absque nota dicantur propter infirmos fratres; hoc observato, quod, cum inceperint "Dirige," pulsentur omnia signa in classicum. Atque interim vestiat[ur] stamina nova, vel noviter lota, et tunica, atque in capite ejus, sicut quando monachus obiit, ponatur sudarium in modum capucii de stamina factum, et huic superducatur capucium scapularis et cum filo in tribus locis annectetur; atque caligis calcietur de supradicto panno factis, usque ad genua attingentibus, et botis nocturnalibus. Manus scapulari erunt coopertæ; quod quidem scapulare hinc inde circa corpus consuetur, et circa crura similiter; atque botæ nocturnales altera alteri filo connecte[n]tur. Taliterque paratum corpus feretro inponetur, et pallio honeste ac honorifice cooperietur. Quibus rite peractis, et expleta vigilia, deferatur corpus ad hostium capellæ. Cui fratres usque ad ostium obviam procedentes dicant psalmum "Miserere mei, Deus"; et aspergatur corpus aqua benedicta, atque incensetur a suo videlicet magistro vel ab infirmario, stola collo ejus prius inposita; et dicantur oraciones, sicut pro monacho; atque feretrum in medio capellæ venerabiliter collocetur, cum duabus crucibus, et cereis per secretarium ex omni parte accensis. Sedeantque ibi jugiter ex fratribus vel famulis quibus injunctum fuerit, quousque missa debeat celebrari. Lectoque in capitulo illius breviculo, quod sic scribi debet: "Tali kalenda obiit frater N., conversus ad "succurrendum ecclesiæ beatorum apostolorum Petri et Pauli, "sanctique Augustini Cantuariæ," et anima absoluta, precipietur a presidente cantori quod nomen illius in martilogio inter familiares scribatur, et unum pro eo in conventu specialiter et plenarie agatur officium, cum una capa ad missam, et quod unusquisque sacerdos in congregacione unam missam pro eo celebret specialem, et ceteri inferioris ordinis unam dicant psalmorum quinquagenam. Post capitulum vero ibunt omnes in ecclesiam, canentes "Verba mea," cum pulsacione signorum. Dehinc cantabitur missa in supradicta capella, et a toto conventu sepelietur corpus in cimiterio fratrum.

Quo ordine fient exequiæ fratris defuncti, si feria quinta in Cena Domini, aut in die Parasceves, vel in Sabbato Sancto, aut in nocte vel in die Paschæ obierit.

Monachus de hujus monasterii gremio cum obierit, nullo tempore sepelietur, priusquam in conventu missam habeat et cetera omnia quæ pro defuncto debentur. Quæ videlicet missa ad magnum altare, ut moris est, celebrabitur, vel in capella infirmorum, [si], sicut premissum est, in principali festo tumulari debeat, nisi infra triduum ante Pascha aut ipsa die Paschæ obierit, in quibus missam pro defunctis in conventu cantari non licet. Habebit tamen privatim in hiis diebus cetera omnia modo supradicto, preter missam; nec reservabitur ad tumulandum tribus diebus proximis ante Pascha, si in hiis finierit sic vitam, ut possit in terram poni secundum spacium diei. Verumptamen, si quis in quinta feria Dominicæ Cenæ aut in Sabbato Sancto ante horam nonam decesserit, poterit ac debet ipsis diebus in capella infirmorum missa pro eo privatim celebrari, et de consilio fratrum sepeliri. In nocte autem aut in die Paschæ si obierit, non debet corpus intumulari, nec missa pro eo celebrari. Sed, reservato corpore super terram, in capella prelibata, crastina die, in secunda videlicet/ feria, missa pro eo in conventu [fo. 171. cantari et corpus more solito debet infodi. Et, si quis post horam diei nonam in die Cenæ obierit, usque in Sabbatum reservabitur; et, si post nonam decesserit in Sabbato Sancto, non usque ad secundam humabitur feriam, ut ante ejus sepulturam missam habere queat. Quæ quidem consuetudo, nisi solummodo de nocte et de die Paschæ, hujus ecclesiæ usui non concordat.

Qualiter est agendum pro fratre de ecclesiæ gremio, si extra monasterium qualicumque modo diem clauserit extremum.

Si frater extra monasterium longe aut prope de hac vita fortasse migraverit, et ad monasterium deferri debeat, nec fratres secum fuerint qui ea quæ superius dicta sunt circa eum

adimpleant, deportatus ad monasterium in feretro, vel in alia vectura quod sibi premitti debeat, cum cruce et pallio, per portas curiæ ingrediatur; et nulla advenienti fiat processio, sed, cooperante fratre cui infirmorum cura commissa est, in domo infirmorum deponatur; et quatuor fratres ad suscipiendum corpus exeant. Quo in capella deposito, infirmarius, prout alias solet, ad hostium claustri veniat, et tabulam percu[ci]at, quasi tunc primum solveretur anima a corpore. Quo audito sonitu, fratres cum festinacione veniant, dicentes singuli "Credo in unum," usque ad corpus; fiantque ei omnia ac si de hac [vita] migrasset in eadem infirmorum cella. Cum corpus portatum fuerit in ecclesiam, pulsentur omnia signa, et deponatur in loco in quo ceteri fratres deponi solent, et agantur cetera quæ agerentur, [ac] si in domo infirmorum mortuus et de illa domo illuc deportatus fuisset; sed in casu hujusmodi nichil specialitatis pro eo fiet in conventu, eciam si prior aut abbas fuerit, nec pulsabitur classicum donec corpus domi recipiatur. Si vero casualiter, quod absit, vel quoquo alio infortunii modo importuno obierit aliquis frater, alicubi missus communi assensu abbatis et fratrum, ita videlicet quod non sit licitum, nisi de gracia speciali, ut sibi imparciatur regulare et sacrum missæ aut sepeliendi officium, huic larga manus misericordiæ ab abbate et a cunctis/ fratribus [fo. 171b. in omni genere beneficii porrigi debet.

Quo ordine fient tricennalia et cetera quæ agenda sunt pro fratribus istius monasterii professis de medio sublatis.

De monacho autem professo, secundo die deposicionis, debetur pro eo plenarium in conventu cum pulsacione signorum officium, videlicet: "Verba mea" post capitulum, "Dirige" et "Placebo," et missa cum uno cantore, et oblacio et oracio ad missam "Deus cui soli." Et cotidie infra triginta dies in feriis erit missa pro eo "Requiem," cum predicta oracione. In aliis diebus, scilicet xij. leccionum et supra, habebit predictam oracionem cotidie in ipsa missa. Et per istos triginta dies post matutinas qualibet nocte dicetur

"Verba mea," cum collecta "Absolve" pluraliter. Preterea habebit per triginta dies continue unam missam privatam ubicumque celebratam, quæ in tabula cotidie scribitur, incipiendo a priore, nullo fratre excepto, preter capellanum abbatis secundarium, non numerata missa primæ scilicet diei qua corpus humo traditur, semper cum oracione predicta. Et qui missam illam celebrat, cotidie infra illud tempus disciplinam in capitulo accipiet.

Quod nullus infra xxx. dies post obitum fratris aliunde quam pro defunctis cantabit, nisi fuerit in tabula de aliqua missa consueta.

Nullus enim infra triginta dies aliam missam quam pro defunctis celebrare debet, nisi cum de aliqua missa consueta in tabula extiterit, aut pro majori devocione aliunde forsan cantare decreverit, vel principale aut duplex festum infra tricennale occurrerit; tunc enim missam unde tabula fuerit aut de tali festivitate celebrabit, donec decem missas pro fratre defuncto plenarie reddiderit; atque post tricesimum diem usque ad certum numerum decem missarum debitam pro defuncto recompensacionem est facturus, nisi in ipsis diebus, in quibus aliunde celebrat quam pro defunctis, collecta[m] pro defuncto ad missam suam dixerit specialem et singularem, vel saltem generalem. Hoc adjecto, quod illius memoriam cujus colitur tricennale, undecumque celebret infra triginta dies, in aliqua collecta ante epistolam, si fieri possit, atque in secreta et postcommunione, sicuti/ et [fo. 172. in canone, intimo affectu recommendatam habeat; vel, si forte hoc facere nequeat aut noluerit, collectam videlicet singularem nec eciam generalem pro eodem modo dicere preostenso, quod post tricesimum diem usque ad numerum decem missarum pro eodem celebret, ut premissum est, necnon et in singulis diebus per unius anni circulum ad minus post illius sepulturam; qui videlicet in hoc monasterio decedens corrodium habet annuale quod vocatur vulgariter "fenis"; et provideatur de uno bono sacerdote qui illud percipiet et celebrabit cotidie per anni circulum, et hoc jurabit

in verbo sacerdocii, vel alius pro eo si valens non fuerit; et quod ille sacerdos cotidie reddet pro anima fratris defuncti commendacionem, "Placebo," et "Dirige," et specialiter cum oracione "Deus, cui soli." Ceteri autem fratres inferioris ordinis pro ipso defuncto decem psalteria dicent, illo excepto quod de die dicitur aut de nocte ad vigiliam antequam corpus sepeliatur.

De absolucione fratris defuncti tricesimo die post ejus obitum.

Tricesimo autem die, finito tricennali, debet anima fratris defuncti, ad peticionem cantoris aut succentoris, absolvi in capitulo, et classicum post capitulum pulsari, dum psalmos dicunt pro defunctis consuetos, versus ecclesiam incedendo; nisi ipso die principale festum sit, tunc enim expectabitur usque in crastinum. Sed, licet festum fuerit terciæ aut eciam secundæ dignitatis, fiet in capitulo quod predictum est, et classicum atque servicium de tricesimo die, secundum quod previderit cantor, alias persolvetur.

Quid fiet pro fratre defuncto in die anniversaria obitus ipsius.

In die vero anniversaria, ad finem videlicet anni post obitum cujuslibet fratris defuncti de hujus ecclesiæ gremio, lecta in capitulo [tabula] cotidiana, immediate subjungetur a lectore sic: "Obiit N. de tali loco frater noster." Presidensque absolucionem subinferet, dicens: "Anima ejus et animæ omnium fidelium defunctorum," et cetera. Atque post capitulum ibunt in ecclesiam, canentes "Verba mea," cum pulsacione signorum; et plenum ac speciale habebit officium in conventu, cum pulsacione solempni ad missam et ad "Dirige." Hoc observato, quod "Placebo" et "Dirige" de ipso anniversario nullatenus in conventu dicatur, nec missa celebretur, sicut nec in aliquo anniversario, prius/- [fo. 172b. quam obitus in capitulo legatur et absolvatur anima. Neque pro more pulsetur classicum, quamvis die tricesimo post fratris

decessum, dicto "Placebo" et "Dirige" pro eodem, cum[1] missa in conventu celebrata fuerit, anima illius in capitulo specialiter absolvatur, et dicantur psalmi defunctorum versus ecclesiam, atque classicum consequenter festive pulsetur.

De consuetudine ecclesiæ quæ ad sacristam pertinet, et de expensis ceræ per annum.

In vigilia sancti Michaelis, cum incipiuntur vesperæ, ponatur unus cereus de tribus quarteriis super voltam ante altare sancti Michaelis, et ardeat ibi jugiter quousque completorium percantetur die crastina; et ipsa die crastina celebretur ibi missa cum duobus cereis de dimidia libra. Eodem modo fiet ad quodlibet altare dedicatum in honore cujuscumque sancti. Item, in vigilia sancti Michaelis mittantur per servum, qui facit cereos, in refectorium decem cerei de dimidia libra, qui sufficiunt usque ad vigiliam Omnium Sanctorum, et rotula propter leccionem quæ ibi legenda est, et quolibet Sabbato rotula mutabitur. Item, in ipsa vigilia Omnium Sanctorum per eundem servum mittantur xiiij. cerei, quisque de tribus quarteriis, et sufficiunt usque ad vigiliam Natalis Domini; tamen, si necesse fuerit, mutentur. Item, in vigilia Natalis Domini renoventur xiiij. cerei ejusdem quantitatis, et durabunt usque ad festum Purificacionis. Ab illo festo Purificacionis cessabit hujusmodi liberacio cereorum et rotularum. Si post istud festum legenda fuerit leccio in refectorio, ille qui legit leccionem in capitulo portet secum lucernam in refectorio. Tamen sciendum est quod refectorarius post festum Purificacionis retinebit penes se quatuor trunsones longiores propter illum qui sedet ad discum et propter minutos sanguine. Ante Purificacionem refectorarius nullum trunsonem retinebit penes se, sed rotulam. Istud firmiter tenendum est quod celerarii, qui ad cenandum vel bibendum intrant in refectorium post completorium conventus, non ardebunt de cereis liberatis conventui, sicut aliquando fieri consuevit, quod quilibet serviens habe/bat [fo. 173. unum cereum coram se; sed tantum minuti sanguine et alii qui per licenciam intrant in refectorium; et hoc quia

[1] *et*, MS.

celerarii recipiunt liberaciones suas illis temporibus de propria expensa abbatis. Item, in vigilia sancti Michaelis quisque monachus, qui causa infirmitatis vel medicinæ suscipiendæ in domo infirmorum moratur et pausat, de Sabbato in Sabbatum habeat septem colpunos candelæ, ita quod undecim vel duodecim teneant unam libram. Item, a kalendis Novembris usque Purificacionem beatæ Mariæ quisque monachus in infirmaria jacens infirmus omni nocte duas candelas habeat, ita quod xiiij. vel xv. teneant unam libram. Si vero aliquis monachus totam liberacionem in Sabbato receperit, et in conventum venerit ante Sabbatum sequentem, reddat sacristæ candelas quas non expendit. Istas candelas magister infirmorum debet querere omni Sabbato. Magister infirmorum nullam debet habere liberacionem ex consuetudine, nisi infirmus fuerit, excepta rotula quam habebit quolibet Sabbato.

Sciendum est quod quatuor modi candelarum fiunt in ecclesia: Candelæ quibus celebrantur missæ, quarum octo vel novem tenebunt unam libram; item, candelæ quæ dicuntur "barbeaus," quarum xj. vel xij. tenebunt unam libram; item, candelæ quæ liberantur infirmis, quarum xiiij. vel xv. tenebunt unam libram; item, candelæ quæ dicuntur dispensabiles, quarum xxiiij. tenebunt unam libram. Ex hac candela despensabili liberetur in choro sufficienter fratribus cantantibus servicium in noctibus a subsacrista ebdomedario, vel per aliquem rogatu ipsius. Item, sciendum quod hospitibus ad nos venientibus, et hoc nostri ordinis, a festo sancti Michaelis usque ad Purificacionem beatæ Mariæ, qualibet nocte dum moram apud nos fecerint, liberentur hostilario v. candelæ dispensabiles; a festo Purificacionis usque ad festum sancti Michaelis tres candelæ, propter brevitatem noccium. Prior, quocienscumque dimittit completorium, sufficienter habebit de candela dispensabili per socium suum querendum. Item, sciendum quod in omnibus festis principalibus libe/retur unus cereus de tribus quarteriis in capella [fo. 173b. abbatis, cum abbas presens fuerit; et ibi ardeat jugiter usque post completorium diei sequentis. Item, in omnibus festis beatæ Mariæ liberetur unus cereus de tribus quarteriis ad

capellam infirmariæ, et ibi ardeat sicut prius. Item, in omnibus festis principalibus, et in duobus festis de sancta Cruce, liberetur unus cereus ante crucem in vestiario; item, ante crucem juxta altare beatæ Katerinæ; item, ante crucem in navi ecclesiæ: et ibi ardeant jugiter usque post completorium diei sequentis. Item, ad capellam abbatis ex parte sacristæ ad divina celebrandum liberentur duo cerei de duabus libris; eodem modo ad capellam infirmariæ et ad altare beatæ Mariæ, ubi missa cotidie celebratur in honore ipsius; et trunci sacristæ reddantur. Item, ad altare beatæ Mariæ in criptis ex parte sacristæ liberentur duo cerei de dimidia libra per totum annum; et trunci reddantur sicut prius. Item, in festo sancti Adriani et sancti Augustini ponatur cereus x. librarum ante altaria eorundem; et ibi ardeat jugiter per totas illas octavas. Item, in omni festo sancti Petri ponatur unus cereus x. librarum ante magnum altare, et ibi ardeat usque post completorium diei sequentis; et in octabis sancti Petri eodem modo. Item, Dominica tercia ante Adventum Domini et Dominica tercia ante Septuagesimam liberentur fratri qui custodit disportum duo cerei, quilibet de tribus quarteriis, et qualibet nocte quatuor candelæ quæ dicuntur "barbeaus" et duæ candelæ dispensabiles.

Item, statutum est ab abbate Nicholao, dompno Thoma abbate approbante, quod distribucio ceræ fiet conventui hoc modo: Inter festum Omnium Sanctorum et festum Natalis Domini, quando sacrista viderit expedire, liberentur dompno abbati xl. libræ; item, priori xv. libræ; item, suppriori ix. libræ; item, precentori vij. libræ; item, xxvj. senioribus unicuique sex libræ; item, xviij. qui sunt in mediis formis unicuique v. libræ; item, omnibus aliis, preter illos qui sunt sub custodia, iiij^or^. libræ. Istis liberacionibus sint omnes et singuli contenti. Tamen, si aliquis plus indiguerit, suggerat hoc sacristæ, petita prius licencia ab abbate, et liberetur sibi secundum volun—

[*Here a leaf is missing.*]

. . . .

/magnam missam et ad secundas vesperas tantum. [fo. 174.

Et sciendum quod in festis dupplicibus, quando abbas celebrat magnam missam, vel prior, cum abbas absens fuerit vel infirmus, xv.*d.* Similiter in festo sancti Petri ad Vincula, licet abbas vel prior non celebrat magnam missam. Item, in festo sancti Laurencii, proxima die post Purificacionem et in festo sancti Melliti et sancti Dunstani in sonitu, viij.*d.* Item, in albis octavarum festivitatum principalium in sonitu, viij.*d.* Item, in Dominica Palmarum, x.*d.* pro sonitu, sive conventus exeat sive non. Item, in omnibus aliis albis, iij.*d.* Item, in omnibus aliis festis dupplicibus per annum in sonitu, 3*d.* Item, in omnibus anniversariis principalibus et secundariis, sive in hyeme sive estate, in sonitu, vj.*d.* Item, in aliis anniversariis, quocienscumque fit sonitus in campanili, ij.*d. ob.* Item, in die deposicionis fratris defuncti, xij.*d.*, et in die mensis et in die anniversarii in sonitu, vj.*d.* Item, in obitu patris et matris, fratris et sororis cujuscumque fratris defuncti, ij.*d. ob.*; et pro monacho Ecclesiæ Christi, vj.*d.* Item, in vigilia Ascensionis, quando conventus sanctæ Trinitatis venit cum processione ad Sanctum Augustinum, in sonitu, x.*d.*; quando non venit, nichil solvetur. Item, in die Ascensionis, novemdecim *d.* Item, quocienscumque pulsatur contra regem, reginam, vel contra corpus alicujus defuncti magni, incertum est; sed secundum quod poterit conveniri inter sacristam et pulsantes. Item, sciendum quod, quando aliquis miles qui tenet de abbate vel aliquis alius habeat sonitum in campanili et debeat sepeliri in cimiterio monachorum, servientes ecclesiæ de jure habebunt superius vestimentum sive tapetum sive aliud, sed non de serico; et similiter feretrum. De sonitu eisdem satisfaciet competenter per aliquem executorum. Sacrista vero equos cum hernescio; abbas, arma.

Quando servientes ecclesiæ habebunt servisiam in refectorio.

Item, sciendum quod in omni dupplici festo et supra, in vigilia et in die, et omni ebdomada, quando mandatum fit in capitulo, et in octabis festivitatum principalium servientes

ecclesiæ habebunt bacinum in refectorio de garla per subsacristam ebdomedarium; similiter qualibet ebdomada habebunt j. ollam in celario de parvo dolio, ad evigilandos celerarios.

De stipendiis serviencium ecclesiæ.

De stipendiis servi/entum ecclesiæ per annum: [fo. 174b. Item, clericus qui custodit corpora sanctorum, in festo sancti Michaelis j. marcham, et vj.*d.* in Nathali ad oblacionem, et in Pascha vj.*d.*, et comedet in aula. Item, vitrearius, in festo sancti Michaelis j. marcham, vj.*d.* ad oblacionem per annum. Item, serviens thesaurariæ, x.*s.* in festo sancti Michaelis, et vj.*d.* ad oblacionem per annum. Item, janitor portæ cimiterii, v.*s.* in festo sancti Michaelis, et vj.*d.* ad oblacionem per annum. Item, quisque trium servientum in ecclesia, in quolibet quarterio anni vij.*s.* vij.*d.*, et quisque vj.*d.* ad oblacionem per annum. Item, ille qui custodit orologium, vj*s.* viij*d.* per annum. Item, ille qui facit crassetos, ij.*s.* per annum. Item, ille qui facit cereos in ecclesia et ceram conventus, quolibet quarterio iiij.*s.*, et in autumpno v.*s.*, et xij.*d.* ad limionem contra Purificacionem, et vj.*d.* ad oblacionem per annum. Item, pro qualibet centena ceræ habebit vj.*d.* et liberacionem in celario. Item, pro paschali faciendo, levando et prosternendo, cum filo, ij.*s.* Item, tres servientes ecclesiæ habebunt de sacrista contra Natale Domini unam summam frumenti, et contra Quadragesimam dimidiam summam pisorum et ccc. allecia, et contra festum sancti Augustini dimidiam summam frumenti. Et, quocienscumque pendent vel prosternunt curtinas, iiij.*d.* Item, vitrearius, j. summam frumenti et j. carectatam bosci. Item, fratres organorum, vj.*s.* per annum, et dimidiam summam frumenti in festo sancti Augustini. Item, sciendum quod ille serviens ecclesiæ qui custodit lectum sacristæ habebit veterem pelliceam sacristæ et similiter diurnales et nocturnales, et custodiet tabulam ante magnum altare in festis principalibus. Alii vero duo servientes, pelliceas et sotulares duorum subsacristarum. De aliis diversis et inopinatis per circulum anni contingentibus ad presens supersedeo, quoniam ista sufficiunt.

De diversitate sonitus in diversis festivitatibus.

Memorandum quod in vesperis principalis festi primus sonitus fit in choro, secundus et tercius in campanili, et quartus in choro et in campanili. Ad matutinas, primus in choro et in campanili, secundus in choro, et tercius et quartus in campanili, et quintus intus et extra. Ad secundas vesperas, sicut ad primas. Item, in festis quasi principalibus et altis dupplicibus ad vesperas, primus sonitus in /choro, [fo. 175. secundus et tercius in campanili, et quartus intus et extra. Ad matutinas, primus in choro, secundus in choro, tercius et quartus in campanili, et quintus intus et extra. Ad secundas vesperas, primus et secundus in choro, et tercius in campanili, et quartus intus et extra. Ad primam et nonam cum duabus campanis, ad terciam et sextam cum una semper. Item, in festis principalibus et quasi principalibus et altis duplicibus, sonitus ad omnes horas in campanili. Item, omnibus duplicibus simplicis dignitatis, prima nona in campanili. Item, ad utrasque vesperas et ad omnes horas in die, sonitus in choro, preter primam et terciam, et preter in festo sancti Andreæ, in quo pulsatur nona in vigilia, et in die in campanili. Item, in festo sancti Laurencii archiepiscopi, Melliti, et Dunstani, prima nona in campanili cum duabus magnis campanis. Item, ad vesperas, primus et secundus in choro, et tercius in campanili, et quartus intus et extra. Item, ad primam terciam, prosam, nonam in campanili, et ad sextam in choro. Item, ad vesperas, primus sonitus, secundus et tercius in choro, et quartus intus et extra. Item, in quinque octavis, videlicet Assumpcionis, Petri et Pauli, Augustini, Adriani, et Mildrethæ, prima nona in campanili cum una campana. Item, ad vesperas, primus sonitus in choro, secundus et tercius in campanili, et quartus intus et extra. Item, nona in die in campanili et prosa. Item, ad secundas vesperas, duo primi sonitus in choro, tercius in campanili, et quartus intus et extra. Item, in ebdomeda Paschæ et Pentecostes, sicut in dupplicibus inferioribus. Item, Exaltacio et Invencio sanctæ Crucis, Letardus, Ethelbertus, Cathedra sancti Petri, Mathias, Commemoracio sancti Pauli, Deusdedit, habent

primam nonam et terciam in campanili, primam et terciam, et ad omnes alias horas et ad utrasque vesperas in choro; eodem modo est de Jamberto, Conversione Pauli, translacione Mildrethæ, Honorio. Item, Vincencius, Bartholomeus, Jacobus, Thomas, Matheus, Cuthbertus, et omnes aliæ sinplices albæ habent primam nonam in campanili, et primam et terciam. Item, Symon et Judas. Item, in omni duplici festo inferiori et in omnibus albis cujuscumque dignitatis erit, prima et tercia in campanili; nisi per Dominicam contigerint, quia tunc erit tercia in choro. Item, Dominica Palmarum habet nonam in vigilia, et primam et nonam in die in/ campanili, et terciam in choro. Et [fo. 175b. in omni principali festo et quasi principali et alto dupplici, ad "Te Deum" et ad prosam in campanili. Et in fine missæ, in campanili, et in choro et in laudibus intus et extra. Eodem modo est de Laurencio archiepiscopo, Mellito, Dunstano, et de v. octavis, nisi quod octavæ non habent pulsacionem in fine missæ, nec aliquæ albæ per annum. Item, in omnibus duplicibus inferioribus, "Te Deum," prosa, finis missæ, laudes, in choro. Item, in festo Laurencii, Melliti, Dunstani, ad matutinas, primus et secundus, et tercius sonitus in choro, quartus in campanili, et quintus intus et extra. Item, in quinque octavis, duo primi sonitus in choro, tercius et quartus in campanili, et quintus intus et extra; videlicet, ad matutinas. Item, in Ad Vincula sancti Petri fiat sonitus et lucerna in ecclesia sicut in alto duplici, et evangelium legatur sicut in alto dupplici. Item, antiphona super "Magnificat" ad utrasque vesperas bis cantabitur.

De lucerna in festis sancti Augustini, Adriani, et Mildrethæ.

In duobus festis sancti Augustini, et in festo sancti Adriani, ponentur super trabes ante feretra eorum duo cerei, quilibet de x. libris; et ardebunt per totas octavas. Item, in omni festo sancti Petri ponetur unus ante ma[g]num altare de octo libris; qui ardebit ad primas vesperas usque post completorium diei sequentis. Item, in omni principali festo

ponentur super tria magna candelabra tres cerei de xij. libris. Item, super candelabra apostolica duo cerei de xij. libris. Item, super vij. brachia sint vij. cerei per totum annum, unusquisque cereus de duabus libris et dimidia ; et mutentur quocienscumque necesse fuerit. Item, super trabem inferiorem ultra magnum altare, sex cerei, unusquisque de duabus libris et dimidia. Item, super trabem superiorem, omnes cerei ejusdem ponderis. Item, ad quodlibet feretrum, sex cerei ejusdem ponderis. Item, omnes alii cerei in bacinis, scilicet in choro et extra chorum, de dimidia libra. Item, in festo sanctæ Mildrethæ ponentur sex cerei super feretrum ejusdem, et quinque super altare ejusdem ; et ardebunt omnes ad utrasque vesperas et ad missam et post exposicionem. Item, ante exposicionem, v. super altare ; qui quinque debent removeri ab altari die se/quente. Item, ponuntur [fo. 176. duo cerei super trabem ante feretrum ejusdem ; qui ardebunt ad utrasque vesperas, et ad matutinas, et ad missam, et per totas octavas in tribus leccionibus, ad vesperas et ad matutinas. Item, in tribus et xij. leccionibus per totas octavas, semper ad missam quatuor cerei, scilicet duo super trabem et duo super feretrum ejusdem. Item, ponetur in festo ejusdem unus cereus in medio super trabem ; qui accendetur ad primas vesperas, et ardebit usque post completorium diei sequentis ; eodem modo in octavis. Item, a Pascha usque ad translacionem sancti Augustini, fiet processio in omnibus principalibus festis per cimiterium, si tempus permiserit ; et, a translacione usque ad Pascha, in omnibus principalibus fiet processio per corpora sanctorum. Item, quatuor sunt festa quæ habent processionem in cappis, quocumque die contigerint : scilicet, Nativitas beatæ Mariæ, Nativitas Johannis, festum Michaelis, Epiphania Domini ; et quintum in albis, scilicet Purificacio beatæ Mariæ ; et processio istorum quinque festorum fiet per corpora sanctorum. Item, ordinacio sancti Augustini, festum sancti Edmundi archiepiscopi, et festum reliquiarum habent processionem in cappis, si per Dominicam contigerint. Item, contra omnem episcopum transeuntem in claustrum inclinandum est a conventu, et similiter contra omnem abbatem

nostri ordinis. Item, in omni alto dupplici festo et superius pulsabitur una campana inmediate post capitulum in campanili. Item, in omni dupplici inferiori eodem modo in turri. Item, in vigiliis quatuor temporum nunquam sunt duo candelabra ad magnam missam, nisi in vigilia sanctæ Trinitatis. Item, in vigilia sancti Michaelis debent portari in capitulum quatuor "tronsons" et duo cerei ante abbatem, et sic deinceps usque ad Purificacionem beatæ Mariæ, scilicet omnibus duplicibus et supra et ad omne mandatum. Item, in aliis diebus, tres tronsons; et, quamvis abbas venerit ad leccionem in capitulum, non portabuntur cerei ante eum, nisi fuerit duplex festum sive mandatum.

De lucerna in generali et in speciali.

In omni principali festo, ad primas vesperas accendantur omnia luminaria ad corpora sanctorum, sex cerei ad magnum altare, in choro duo candelabra apostolica, tres bacini, et tria magna candelabra/; ad matutinas, [fo. 176b. omnes bacini ante corpora sanctorum, et tres cerei super trabes; ad exposicionem, omnia luminaria in choro et ad corpora sanctorum. Eodem modo ad missam et ad secundas vesperas, ad omnes horas, tres bacini in choro. Item, in quasi principalibus ad primas vesperas, sicut in principalibus ad primas vesperas; ad matutinas omnes bacini ante corpora sanctorum, et tres cerei super tres trabes; ad exposicionem, sicut in principalibus, exceptis x. "gemeaus" et vij. brachiis ad omnes horas, sicut in principalibus; ad missam et ad secundas vesperas, sicut in principalibus, exceptis x. "gemeaus." Item, in altis duplicibus, ad primas vesperas duo bacini ante sanctum Laurencium et Mellitum, quatuor cerei super feretrum sancti Augustini, duo ad sanctum Adrianum, duo ad sanctam Mildretham, tres super trabes, quatuor ad magnum altare in choro, sicut in omnibus duplicibus. Ad matutinas, duo bacini ante sanctum Laurencium et Mellitum, in choro, sicut in albis ad exposicionem et ad missam; et ad secundas vesperas, sicut ad primas vesperas. Item, in duplicibus inferioribus, ad primas vesperas ad quodlibet

feretrum duo cerei, et duo ad magnum altare in choro, sicut in duplicibus; ad matutinas, sicut in albis ad exposicionem, ad quodlibet feretrum et ad magnum altare duo cerei; et ad missam et ad secundas vesperas, sicut ad primas. Item, in octavis sancti Augustini, ad primas vesperas tres bacini et sex cerei ad feretrum ejusdem; ad sanctum Adrianum et ad sanctam Mildretham et ad magnum altare et in choro, sicut in duplicibus inferioribus; ad matutinas, ad feretrum ejusdem tres bacini in choro, sicut in albis; et ad missam et ad secundas vesperas, sicut ad primas. Item, in octavis Assumpcionis, Petri, Adriani, et Mildrethæ, sicut in duplicibus inferioribus; excepto quod in v. octavis non accenduntur bacini ante gradus inter matutinas, nec ad horas, nisi bacinus qui semper ardet, videlicet ad utrasque vesperas iij. bacini, iij. candelabra et duo apostolica. Item, in vigilia Paschæ et in vigilia Pentecostes, cum dicitur in letania "Accendite," accendantur omnia luminaria, sicut in principali festo. Item, in omnibus xij. leccionibus tres bacini in choro; ad exposicionem duo cerei ultra magnum altare, et duo ad feretrum sancti Augustini. Item, de Domina et de sancto Augustino, duo/ candelabra apostolica. Item, in albis tres [fo. 177. bacini et duo candelabra apostolica, et ad exposicionem sicut in xij. leccionibus. Item, pridie vigiliarum principalium festivitatum, quando fit sonitus cum majoribus campanis in turri, accendantur et tres bacini coram magno altare, videlicet ad vesperas, ad matutinas et ad magnam missam, exceptis vigiliis Paschæ et Pentecostes, in quibus ad missam accenduntur omnia luminaria. Item, per totas octavas, scilicet Assumpcionis beatæ Mariæ, Petri, Augustini, Adriani, Mildrethæ, quando de eis celebratur servicium, debent accendi predicti tres bacini. Item, in omnibus xij. leccionibus et tribus et una leccione, quando magna missa celebratur ad magnum altare, duo cerei debent accendi super idem altare.

Feria quarta ante Cenam Domini. Feria quarta proxima ante Cenam Domini, ad vesperas in choro tres bacini et duo candelabra super magnum altare, et bacini ante corpora sanctorum accendantur; et in hac feria tradantur magistro infirmorum xxiiij. colpuni grossi et longi, qui durent

ad servicium super herciam per illas tres noctes sequentes. In choro, in hiis tribus noctibus, super herciam xxiiij. cerei, quisque de tribus quarteriis, antequam conventus in choro congregetur, accendantur; qui de uno in unum cum servicio extingui debent. Bacini ante corpora sanctorum et bacinus ante magnum altare ad hoc servicium ardere debent, et inter "Laudate Dominum de celis" extinguantur, et crasseti similiter; et quando incipitur antiphona "Traditor," extinguitur ultimus cereus super herciam.

De lucerna in Cena Domini. In Cena Domini, et duabus feriis sequentibus similiter, cotidie unus cereus de dimidia libra, non ante accensus, ad benediccionem novi ignis haberi debet; et hoc super hastulam. In hac Cena Domini ad magnam missam in choro tres bacini, et duo candelabra super magnum altare, et bacini ante corpora sanctorum accendantur; et inter sanctam communionem ij. cerei super altare beati Augustini similiter accendantur; et hoc ob reverenciam Dominici Corporis quod ibi ponitur; et ardeant cotidie dum Corpus Domini ibi deponitur. In hac Cena Domini ad vesperas nullus ardens erit cereus, nisi duo continui.

In Parasceve Domini. Feria sexta in Parasceve Domini, adorata cruce ab omnibus, et non ante, hinc et hinc lucerna fiat,/ sicut in Cena Domini ad magnam missam. [fo. 177b.

Sabbato. In sacro Sabbato, accenso cereo paschali, jugiter ardeat usque in finem completorii diei crastinæ; et in hac vigilia ad missam, et in die Paschæ ad processionem, et ad magnam missam per omnia lucerna fiat, sicut in die Natalis Domini. In hac sacra nocte Paschæ, ante exposicionem evangelii, exceptis cereis super altaria et exceptis "gemeaus" et excepto magno candelabro cum vij. cereis, lucerna fiat sicut ante; post exposicionem vero omnia accendantur.

In die Paschæ. In die Paschæ ad vesperas, post "Benedicamus," tradantur quatuor cerei magni altaris quatuor cantoribus, et fiat processio ad crucem; et deinceps per totas illas octavas ad vesperas cum cotidianis candelabris ad ipsam crucem fiat processio. Item, Dominica prima in Adventu,

Dominica prima in Septuagesima, Dominica prima et Dominica media in Quadragesima, lucerna fiat in choro, sicut in albis; et sonitus eodem modo; sed nichil pulsabitur in campanili, sed in turri tantum.

De processionibus.

De processionibus per totum annum, a Sabbato ante primam Dominicam Adventus usque ad proximam noctem post Purificacionem, nec ad vesperas nec ad matutinas memoria fiet de cruce, nec in Sabbatis processio ad crucem, sed ad altare beatæ Marie in criptis. Item, eodem modo fiet a Sabbato ante primam Dominicam Passionis usque Pascha. Item, proxima die qua vacat, scilicet post octavas Paschæ, scribetur tabula ad mandatum, et erunt capitula, ymni, et oraciones de communi per totam Resurreccionem, et conventus super misericordias usque post festum sanctæ Trinitatis. Item, singulis diebus in ebdomada Paschæ et Pentecosten, et in octavis eorundem, et omni Sabbato et Dominica in tempore Paschæ, et in vigilia et in die Asscensionis, fiet processio ad crucem, sed simpliciter cum uno sacerdote, nisi forte abbas sit revestitus, ad vesperas in hoc festo tantum. Et duo juvenes in froccis portabunt candelabra. Diceturque eadem antiphona "Christus resurgens," sed sine versu et sine organis. Item, Sabbato et Dominica post Ascensionem, processio ad crucem. Item, in die Paschæ et in vigilia et in die Pentecostes et in vigilia et in die sancti Augustini, processio ad crucem cum quatuor cantoribus. Item, in omni alio tempore/ anni fiet processio [fo. 178. Sabbatis ad crucem et Dominicis in criptas, preter in quibusdam festis sanctorum, videlicet in Annunciacione beatæ Mariæ, et in festo sancti Benedicti, ad utrasque vesperas, sive Sabbato sive non, quibus fiet processio ad altaria eorundem; et in die sancti Stephani, ad altare sancti Johannis, quocumque die contigerit; et in utroque festo sancti Gregorii, et in Nativitate et Decollacione sancti Johannis baptistæ, et in festo sancti Martini et sancti Nicholai, videlicet ad primas vesperas, fiet processio ad altare eorundem, si Sabbatum non fuerit. Item, in vigilia Natalis Domini et in die et per totas

octabas fiet processio in criptas, nisi in die sancti Stephani, in quo fiet ad altare sancti Johannis, quocumque die contigerit. Item, vigilia et in die Epiphaniæ, processio in criptas, quocumque die acciderit. Item, in vigilia Trinitatis incipit processio ad crucem, et in die in criptas. Item, proxima feria sequenti erit conventus ad formulas, et incipietur leccio una de nocte, et durabit ista leccio usque in proximam feriam post festum Omnium Sanctorum. Item, eadem feria incipietur capitulum, scilicet "Vigilate," et ymni et oraciones ad feriam pertinentes.

De tabula argentea ante magnum altare.

In vigiliis omnium sanctorum principalium festorum tabula ante magnum altare inter capitulum debet discooperiri, et sic remanebit usque completorium diei sequentis. Eodem modo in festis quasi principalibus. Item, omnibus altis dupplicibus in die inter capitulum debet discooperiri, et post magnam missam cooperiri; eodem modo in festo sancti Laurencii archiepiscopi, Melliti, et Dunstani, et in quinque octavis principalibus, et in octavis Paschæ et in octabis Natalis Domini. Item, in duobus anniversariis, videlicet Omnium Animarum et Hugonis primi. Item, in tribus diebus post Pascha et Pentecosten. Item, infra tricennale fratris defuncti debet sacerdos qui fuit revestitus in laudibus, scilicet in principali festo et pari principali, post collectam de omnibus sanctis exire de choro, et, cum derevestitus fuerit, debet redire in chorum et dicere collectam pro fratre defuncto, scilicet "Absolve."

Ista festa habent matutinas de die.

Scilicet Mellitus, veneracio reliquiarum, item octavæ Paschæ, quando celebrantur post festum sancti Melliti archiepiscopi, translacio sanctæ Mildrethæ, Dunstanus, Ascensio Domini,/ Pentecostes, Trinitas, Augustinus, [fo. 178b. octavæ ejusdem, Nativitas sancti Johannis, festum apostolorum Petri et Pauli, octavæ eorundem, festum sanctæ Mildrethæ.

Item, in vigiliis omnium principalium festorum.

Erunt duo candelabra et unus cantor ad magnum missam, nisi in vigiliis Paschæ et Pentecostes, in quibus erunt duo cantores. Item, in quinque principalibus festis quæ habent ex se octavas, erunt pridie vigiliarum eorundem, scilicet ad vesperas, ad matutinas, et magnam missam, in vigilia sonitus et lucerna, sicut in xij. leccionibus.

De Dirige et Placebo per totum annum.

Item, a kalendis Novembris usque ad Purificacionem, dicitur "Placebo" ante vesperas, et "Dirige" de nocte. Item, a Purificacione usque ad Quadragesimam, sicut ante kalendas Novembris. Item, in Quadragesima dicitur "Placebo" ante vesperas, et "Dirige" post prandium servitorum. Item, a Pascha usque ad kalendas Novembris dicitur "Dirige" ante vesperas, et "Placebo" post vesperas.

De Cena.

Item, in omnibus dupplicibus festis et supra cenabit conventus, preter in Adventu, Septuagesima, et Quadragesima. Item, in die Purificacionis, sive infra Septuagesimam sive extra Septuagesimam contigerit, cenabit conventus.

Ad intelligendas observancias noviciorum in tempore professionis, sciendum est in primis quod illo die quo profitendi sunt, completis hiis quæ ad ordinem pertinent in capitulo et illis quæ dompnus abbas de statu illorum dicere voluerit, jubet eos vocari per priorem magistrorum suorum, qui fuerit in capitulo. Vocati autem venient ordinata processione, ita quod inter singulos sint vij. pedes, quod observari debent in omnibus processionibus eorum. Venientes in capitulum inclinabunt a latere juxta petras quæ jacent in introitu capituli, et ibunt ante analogium, singuli per ordinem stantes, et tunc accipient venias suas. Interrogati ab abbate quid dicant, dicet prior eorum in Gallico sic: "Nus requerums la

"misericorde Deu, nostre dame seynte Marie, seynt Pere, "seynt Pol, seynt Augustin, ove sa chere compaynie seynt "Beneth, e la vostre, ke vus nus grantes la profession de "moynage." Tunc jussi surgere, ostendet eis quod difficilem rem petunt, et diversas questiones quæ pertinent ad congruitatem religionis, ita quod semper una pars sit affirmativa, et ad illam/ respondebunt: "Oyl, sire, par la grace Deu," [fo. 179. et altera negativa, et ad illam respondebunt: "Nenyl, sire, si "Deu plest." Tunc concedet illis, ad honorem Dei et sanctæ Mariæ matris ejus, devotam peticionem suam. Hoc audito, inclinabunt omnes devote, et procedens prior eorum ad abbatem osculabitur genua ejus, si permiserit; proponit tamen de consuetudine manum coopertam; quam cum osculatus fuerit, descendet de gradu et, facta inclinacione, ibit ad locum suum; et, cum fuerit in in[ter]veniendo, ibit alter sic faciendo; et ita singuli usque ad ultimum.

Cum autem ultimus venerit ad locum suum, omnes simul accipient venias suas, sic dicendo in Gallico: "Nus requerums "la misericorde Deu, nostre dame seynte Marie, e la vostre, "ke vus priez pur nus, ke nus pusums si la profession receyvre "ke ce seyt al honur Deu e sauvacion de nos almes." Tunc precipiet abbas cantori quod faciat pro illis secundum quod moris est, scilicet dicere oracionem specialem ad magnam missam, et precipiet illis ut vadant ad Deum; et, facta inclinacione, recedent. Si statim terminaverit capitulum, remanebunt ad "Verba mea"; si non, ibunt in dormitorium.

Hæc autem omnia observanda sunt die qua recipiu[n]tur in capitulo, exceptis quibusdam, videlicet quod tunc precedent eos in capitulum duo magistri eorum, nunc autem non similiter quod tunc debet requiri habitus, nunc autem professio, et tunc recedent ad rasturam, nunc in dormitorium. Ad magnam missam tenebit chorum precentor cum socio usque post professionem, quia tunc recedet precentor et socius remanebit usque ad finem missæ; et post primam collacionem et "Per Dominum" erit alia collecta pro noviciis ante epistolam; cum evangelium incipitur, faciet precentor noviciis signum, et ipsi eum sequentur ad sanctum Gregorium, et ibi deponentes veterem habitum induent novos froccos tantum,

et ibunt usque ad introitum chori superius. Et, cum determinaverit evangelium, ingredietur precentor incipiendo psalmum "Miserere." Et continuo accipient longas venias. Et, cum dictus fuerit psalmus a conventu cum "Gloria Patri," erigent se. Tunc prior eorum ibit ad cornu altaris, stans versus crucem, et magister unus cum incausto et penna juxta ipsum, et ibi leget professionem suam, quam, cum perlegerit, signabit eam cruce;/ deinde plicabit eam et cum [fo. 179b. genuflexione tradet illam abbati, et, facta inclinacione, ibit ad locum suum; et sic vicissim facient singuli. Cum autem ultimus venerit ad socios, accipient curtas venias, dicendo hunc versum, "Suscipe me, Domine, secundum eloquium "tuum, et vivam." Incurvantes cum hiis verbis ad terram, et surgentes adjungent inclinando, "Et non confundas me ab expectacione mea," incipiendo semper alciori tono. Quod cum tercio factum fuerit et a conventu repetitum, adjicient "Gloria Patri," "Sicut erat," semper inferius inclinando usque ad "Amen." Deinde erigent se et accipient longas venias, jacentes sic usque aspergantur aqua benedicta. Et precentor cum socio incipiet letaniam, et interim abbas incurvabit se super scabellum ante altare quando dicitur in letania "Fili Dei," et cetera. Surget abbas et dicet tres oraciones; quibus dictis, incipiet festive sine genufleccione "Veni Creator," qui cantabitur de choro in chorum; et, quousque percantetur, incurvabit se abbas, ut dictum est. Deinde dicet unam oracionem longam, et asperget eos aqua benedicta; et continuo surgent stantes in pace, usque benedicantur cucullæ eorum. Post benedicciones accedent secundum prioritates ad sacrum habitum suscipiendum, cum genuflexione. Post suscepcionem vero stabunt ordinate in locis suis; et erunt ibi magistri eorum et subcamerarius, parati ad auxilium, iterumque accipient longas venias, dum abbas dicit unam oracionem; qua dicta, accedent divisim, stantes ante abbatem; et osculabitur eos, ponendo capucia eorum usque ad medium nasi. Postea osculabuntur sacerdotem, diaconum, et alios ministros altaris et cantores, deinde totum conventum per ordinem, incipiendo a senioribus vicissim ex utraque parte. Postea revertentur ad locum suum, in quo soliti sunt stare inter

missas. Et sciendum quod servitores ecclesiæ stabunt continuo inter professionem ante almare, portantes turribulum et cereos. Sacerdos vero et diaconus sedebunt in cathedra, donec posuerit capucia eorum. Sciendum vero quam cito sacerdos osculatus fuerit ultimum, incipiet "Credo in unum Deum," vel "Dominus vobiscum," secundum quod festivitas diei requiritur. Similiter intellige/ quod abbas ingre- [fo. 180. dietur ante evangelium, indutus alba, cappa, mitra, cirotecis et baculo pastorali, stans in loco ubi stabit diebus Dominicis ante processionem; et ponet thus in thuribulo, et dabit benediccionem super evangelium. Si vero non celebret missam, recedet post professionem factam.

Similiter intelligendum quod [si] prior fuerit in choro, statim quando percantatur "Sanctus," percuciet unam oracionem; et dicet conventus super misericordia[s] unum "Pater noster," et, facto iterum signo, surgent eodem modo quo fit ante unam horam; et tunc unus de magistris eorum portabit antiphonaria eorum, si habuerint, ad dormitorium, et queret eorum psalteria. Post "Agnus Dei" et preces, dicent more solito "Domine Jesu Christe." Deinde statim erigent se super formas, et dicent ad invicem "Confiteor." Postea ibunt ad communionem sanctam, et accipient rinsuras ante almare, ubi stant calices, ab uno de magistris eorum vel subsacrista; et redibunt ad suos ordines. Post missam, si statim pulsatur ad horam, ibunt superius in ordines suos more solito. Si spacium fuerit, ibunt in stallum prioris, et alii ex altera parte juxta stallum abbatis, et ibi sedebunt. Post horam, si meridiana non fuerit, ponent psalteria sub natas, ubi stant, et post prandium ibi ea reaccipient et residebunt in choro, ut supra.

Isto die communicabuntur omnes ad magnam missam. Similiter die secundo ad capitulum venient, et ad "Benedicite" exibunt usque in oratorium, sedentes interim juxta stallum abbatis in choro, et alii juxta stallum prioris; et die tercio ad sanctum Gregorium. Et quicumque celebrat illam missam deponet capucia eorum post "Agnus Dei," cum acceperint pacem de eo. Deinde dicent "Confiteor," flectendo genua; et tunc accedent ad sanctam communionem. Post missam ibunt in claustrum, mutantes sedes suas, ita quod prior eorum

sedeat versus hostium ecclesiæ, et junior juxta hostium beatæ Mariæ; et, cum dixerint "De profundis," educentur ad sanctam Brigidam a magistris eorum, singuli pro se trahentes manum ad priorem, si presens fuerit; et dicetur eis qualiter se habebunt in capitulo, videlicet, cum solutum fuerit silencium, sedebunt in pace, et presidens precipiet illis surgere, et ostendet illis quod de cetero secreta capituli non revelabunt,/ similiter quod non permittant aliquam literam [fo. 180b. obligatoriam pro debitis alienis sigillari sigillo communi, sine majori consensu capituli vel vi principis, quibus resisti non poterit. Et, ad hoc faciendum et fideliter observandum, tenebunt manus erectas contra majestatem, si fuerint inferioris ordinis; si vero sacerdotes, super pectus tenebunt, dicendo in quantum in ipsis est. Tunc precipiet illis presidens sedere; et sic remanebunt in congregacione.

De festis habentibus octavas, cum regimine chori: Epiphania infra octavas sancti Adriani, Assumpcio, Petrus et Paulus, Augustinus, Adrianus, Mildretha, Nativitas beatæ Mariæ.

Item, de festis habentibus octavas, sine regimine chori: Nathale Domini cum tribus diebus sequentibus, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Laurencius martyr, Nativitas sancti Johannis, ordinacio sancti Gregorii, Martinus, et Andreas; et per totas octavas omnium festorum predictorum erit conventus super misericordias, preter octavas sancti Andreæ, si infra Adventum acciderit.

Notandum eciam quod ad memorias Natalis Domini, Epiphaniæ, et Ascensionis capietur curta venia. Item, quod abbas non debet incensari inter aliquam processionem.

Ista de recorda Johannis Herewad, prioris.

Bona fratris mortui distribuenda sunt hoc modo: Aurum et argentum pertinent ad abbatem. Cera et species grossæ pertinent ad priorem. Percamenum, incaustum, aseur, vermilun, et carola, et alii colores pertinent ad cantorem. Species confectæ, pixides, et pulveres confectæ, vyoles et

hujusmodi pertinent ad infirmarium. Item, ferrum, plumbum, es, et stagnum pertinent ad thesaurarium. Item, panni ordinati pertinent ad camerarium; et alia minuta ad subcamerarium. Item, inordinati ad voluntatem dompni abbatis. Item, vestimenta ad thesaurarium ecclesiæ; et libri ad librarium; cyphi ad refectorium. Item, cera stricata pertinet ad sacristam.

[*Here sixteen leaves are wanting.*]

. . . . . bat ire ad dormitorium vel ad capitulum suum, tunc eat ad ecclesiam; et ibi in loco suo sedeat, orans pro anima fratris sui.

De modo minuendi et ejus observacione.

Cum necesse habuerit novicius minuere sibi, in capitulo suo dicat magistro suo; et ipse licenciam sibi dabit, si viderit expedire. Et, si habuerit licenciam, post evangelium majoris missæ, facto in loco suo ante et retro, exeat et ante crucem, inclinato capite, dicat psalmum "Deus in adjutorium," cum "Gloria" et "Pater noster," et post "Et ne nos," "Adjutorium nostrum," "Sit nomen Domini benedictum." Collecta "Acciones nostras." Et sic transeat ad dormitorium; et, acceptis nocturnalibus suis et fascia sua, cum summo silencio adeat locum ubi minuuntur fratres; ibique parum vel nichil loquatur. Ibique expectet, quousque ingrediantur refectorium; et tunc cum illis ingrediantur et reficiat cum aliis. In die illa in libro non studeat in claustro nec in crastino. Dum completorium dicitur in choro, ante crucem sedeat, nisi a magistro suo vel aliquo seniore ad locutorium ducatur; et similiter in crastino. Chorum non ingredietur ante diem tercium, et, quando vigilia prima dicitur, ingredietur ad terciam, quando cantatur ympnus; alio tempore semper ad "Miserere," ante primam. Secunda die caput non pectet neque nocturnales mutabit, ne ledat brachium in quo minuit sibi. In noctibus, cum audierit matutinas cum aliis, ante crucem [sedeat] ante altare quod sibi elegerit, usque ad laudes

conventus, et tunc eat dormiendum. Et mane, si vigilia prima fuerit, si necesse habeat, dormiat usque ad ortum solis; et tunc, advocato sibi aliquo socio, ante crucem dicat primam suam, et similiter dicat ibidem alias horas suas canonicas.

De infortunio ignis.

Si contingit quod ignis fuerit in civitate, ante altare magnum oret novicius; non exeat, sed ibi continue oret, quicquid majores sui fecerint.

/*Tradicio generalis capituli super mores et* [fo. 181b. *observancias monachorum ordinis sancti Benedicti.*

Quoniam decens est et justum ut, qui sub unius regula et sub unius professionis voto vivimus, in sanctæ religionis observancia inveniamur regulariter uniformes, quatinus unitatem interius servandam in cordibus foveat et representet uniformitas morum et observanciarum regularium exterius observata; iccirco tradicionem hanc infrascriptam, per quam de cetero, quid vel qualiter circa predicta, juxta regulæ nostræ veritatem, salvis mitigacionibus et declaracionibus sedis apostolicæ super eadem regula, in forma scilicet inferius tradita, inpetrandis, necnon et juxta constituciones felicis recordacionis domini papæ Gregorii ix., et aliorum summorum pontificum, legatorumque ab eisdem in Angliam transmissorum, ac eciam juxta sanas et approbatas consuetudines predecessorum patrum nostrorum, facere debeant, omnibus nostri ordinis innotescat, vobis, patres, juxta promissum nostrum, in hoc capitulo generali offerimus corrigendam, correctamque, si libuerit, approbandam, et approbatam per sedem apostolicam confirmandam; sub hoc modo, videlicet quod neque presens hæc tradicio, neque statuta per quoscumque nostri generalis capituli presidentes in futurum edenda, ut sic paci nostri ordinis prospiciatur et tranquillitati conscienciæ singulorum, auctoritate prelatorum nostri

ordinis in subditos, quam scilicet regula nostra jusve canonicum seu privilegium quodlibet, dum tamen regulæ non contrarium, dat eisdem, restringant nec eciam subditum vel prelatum obligent ad culpam de cetero, sed tantum ad penam in eisdem expressam, nisi cum precepto seu mandato superioris personæ vel statuto capituli ex deliberacione, quod absit, contempnitur obedire, aut remedium de contrafacto ex proposito negligitur procurare. Item, quod nulli, absque sedis apostolicæ vel hujus generalis capituli auctoritate expressa, quicquam de hac tradicione mutare, addere, vel minuere propria liceat voluntate, ne forte ab uniformitate optata, Deique dono et sancti patris nostri Benedicti meritis jam provisa, paulatim, ut retroactis temporibus, defluere videamur.

De regulæ informacione in genere.

In primis, gracia Sancti Spiritus invocata, statuitur quod non solum professi fratres nostri ordinis sed eciam no/vicii, juxta id quod sanctæ Romanæ sedis legatus [fo. 182. statuit Octobonus, beati patris nostri Benedicti regulam plene discant et quasi memoriter eam sciant; et quod, nichilominus, de eadem regula una leccio cum sua exposicione vulgari, juxta felicis recordacionis domini papæ Gregorii ix. statutum, in capitulo post martilogium et "Preciosa est mors" legatur cotidie, nisi ex supervenienti et urgenti causa, ad nutum presidentis, forsitan brevietur; quod tamen si contigerit, eadem leccio[1] ex integro ibidem in crastino relegatur. Item, quod lecciones de regula propriæ[2] scilicet de ordinando abbate, preposito, cellerario, et de disciplina suscipiendorum fratrum, die eleccionis seu institucionis eorum, et eciam de Quadragesimæ observacione, prima die Lunæ ejusdem ad premunicionem cantoris legantur; et regula semper in crastino ingressionis noviciorum a capite inchoetur. Prelati quoque[3] et fratres in infirmitorio ac eciam in maneriis exterius commorantes cotidie leccionem regulæ ac eciam martilogii, ubi haberi poterit, non omittant audire. Qui vero alterutram

[1] *leccione*, MS. [2] *prope*, MS. [3] *quos*, MS.

ipsarum leccionum omiserit per neglectum, pro singulis hujusmodi omissionibus psalmum "Miserere mei, Deus," vel oracionem Dominicam decies solvere teneatur. Statuitur eciam et firmiter est injunctum quod singuli ordinis nostri prelati omnes consuetudines expresse ipsi regulæ derogantes, in quibus scilicet apostolica sedes, juxta id quod in hac prima distinccione infra, capitulo penultimo et ultimo, traditur, communiter non dispensat, tanquam corruptelas extirpent; ipsamque nostræ professionis magistram regulam in divinis officiis et aliis omnibus faciant, secundum formam hic traditam, firmiter observari.

De judiciis regulæ, qualiter sane intelligantur.

Ad judiciorum sentencias in regula sancti patris nostri Benedicti sanius intelligendas, presenti declaratur statuto tres ibidem modos contineri, quibus error (?)[1] delinquencium corrigatur. Primus namque est de illis delictis quæ idem pater Benedictus proprio determinaverit judicio: ut est illud, qui per negligenciam tempore constituto non pulsaverit signum ad nocturnas vigilias, in oratorio satisfieri inde jubet; et qui ad divinum/ officium, vel ad mensam in hora [fo. 182b. refeccionis, per negligenciam seu vicium non accurrerit tempestive; et si cui a priore aliquid offertur, et renuerit accipere; et si quis, dum pronunciat psalmum aut antiphonam aut leccionem, fallitur; et qui pro aliqua arte extollitur, et aliis hujusmodi—de quibus sciendum quod non aliud judicium, quam quod regula determinat, est reddendum.

Secundus est de spiritualibus peccatis, de quibus in regula dicitur. Si quis frater contumax aut inobediens fuerit, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo scilicet spirituali peccato contrarius existens sanctæ regulæ, et cetera, hic proficiendo usque ad septem gradus extenditur, videlicet primo monendo, secundo publice corripiendo, in levioribus culpis seu gravioribus juxta consideracionem infrascriptam excommunicando, jejuniis nimiis affligendo, verberibus cohercendo, pro eodem inemendato ab omnibus orando, atque ad ultimum

[1] *eam*, MS.

de monasterio expellendo. De isto secundo modo sollicite curandum est, quia non omnibus personis supradicti gradus equaliter poterunt convenire. Aliter enim corripiendi sunt honesti, aliter improbi. Nam de contumacibus precipit regula, quod semel et secundo amoneantur secrete. Alibi eciam sic dicitur in eadem: "Si contumax fuerit, de monasterio "expellatur." Necesse est ergo ut justa moderacione utrumque discernatur, qualiter videlicet secundum regulam et secrete possit moneri, et de monasterio expelli. Ille namque amonendus est secrete qui, licet a priore aliquid imperatum, refutans, tamen increpatus mox emendacionem promittit, qui et honestus poterit jure dici; et ille de monasterio est merito expellendus qui, contumax existens, nullo unquam pacto adquiescit suscipere disciplinam: quem vocat regula contumacem omnino. Unde et non merito improbus est dicendus. Inprobum eciam nichilominus regula vocat illum qui, licet frequenter correptus, disciplinæ non contradicat expresse, tamen honestatem, quam prius dum emendare se profitens habere videbatur, relinquens, ad duram et improbam mentem transit. Unde notandum tria semper fore consideranda in istis: personam scilicet, intencionem, modum delicti. Personam: utrum modestia et intellectu vigeat, vel duricia mentis contradictor existat. Intencionem: utrum studio an infir/mitate deliquerit. Modum: utrum graviter [fo. 183. erraverit, vel certe leviter. Unde et in regula dicitur, secundum modum culpæ, excommunicacionis et disciplinæ debet extendi mensura. Igitur omnis spiritualiter delinquens tamdiu debet moneri secreto, donec seipsum improbum reddendo in publicum transeat ab occulto. In qua tunc publica correpcione si non emendaverit, ad excommunicacionem levium culparum vel gravium, juxta consideracionem predictam, transibit; ibi cum tentus fuerit, aliquamdiu nequiverit corrigi, nimiorum jejuniorum maceracione debet affligi, per quam si persona talis correcta non extiterit, flagellorum coherceatur acredine. Sed, [si] nec hoc valuerit aut eciam personæ consideracio non admiserit, omnipotentis Dei misericordia communiter ab omnibus inploretur. Quod si nec sanatus fuerit isto modo, proiciatur a corpore monasterii,

juxta regulam, vel pocius ad agendam penitenciam, juxta decretalem extra de regularibus, "Ne religiosi in carcere teneantur." Sciendum autem quod, sive in regula sic dicatur, "Excommunicetur," sive excommunicacioni subjaceat vel regulari, seu graviter, sive gravissimæ vindictæ subjaceat aut hujusmodi, totum juxta consideracionem predictam ad istum secundum modum debet referri. Quia tamen in quibusdam locis in regula dicitur, "Disciplinæ districciori subjaceat," intelligi hoc sic potest, videlicet quod, sive moneatur occulte sive corripiatur in publico, et cetera, in eodem gradu acrius coherceatur. Capitula vero regulæ quibus supradicta per ordinem colligi valeant sunt hæc tria; vicesimum tercium, scilicet de excommunicacione culparum; tricesimum, scilicet de pueris in minori etate qualiter corripiantur; et vicesimum octavum, scilicet de hiis qui, sepius correpti, non emendaverint. Ubi eciam omnes predicti vij. gradus possunt recolligi.

Tercius modus est de criminibus enormibus, incontinencia scilicet, ebrietate assidua, ceterisque hujusmodi, quorum judicia, licet propter eorum enormitatem, nec quidem monachis cogitandam, in regula lateant, nullo tamen modo nisi penitencia corporali purgantur, secundum auctoritatem canonicam. In quibus eciam modus, persona, et intencio, ut supradictum est, semper sunt inspicienda. Sanctorum quoque, et maxime nostri generalis capituli, instituciones sunt pariter perpendendæ.

De regulæ declaracionibus a sede apostolica inpetrandis.

Supplicant sanctitati domini papæ sui devoti filii, presidentes et capitulum generale Cantuariensis provinciæ, ordinis sancti Benedicti, quod, licet ipsi et omnes fratres ejusdem ordinis de bono et equo, eo magis, secundum exigenciam sui status, quo per statum perfeccionis, quem per/ suam [fo. 183b. professionem voluntarie assumpserunt, ad omnia quæ continentur in regula sancti Benedicti, plus quam Christiani ceteri, teneantur, ex benignitate tamen solita nullus frater professionis predictæ, sub disciplina videlicet dicti capituli constitutus,

post transgressionem cujuscumque statuti seu mandati regulæ memoratæ ad culpam mortalem de cetero obligetur, nisi videlicet per transgressionem eorum tantummodo ad quæ seipsum expresse in sua professione quilibet obligavit; hoc est, nisi actu promissionem de stabilitate transgressus fuerit, apostatando, vel promissionem de morum conversione in ordine, seculariter vivendo, seu promissionem de obediencia, statutum regulæ seu preceptum superioris contumaciter contempnendo. Item, quod idem de presidente et prelatis dicti capituli declaretur, nisi in premissis, ut dictum est, rei vel negligentes ex proposito fuerint et remissi. Si quis tamen voluntarius sui voti seu professionis cum deliberacione, juxta quod pretactum est, et ex proposito prevaricator extiterit, sic petunt, a communione et celebracione divinorum ipso facto suspensus, et eciam, nisi infra diem naturalem, id est xxiiij. horas, rediens ad cor resipuerit cum effectu, eo ipso ex tunc vinculo anathematis feriendus. Qui vero in criminibus predictis consensu tantum culpabilis fuerit et non actu, quamvis ex reo consensu fuerit sic suspensus, a predictis tamen anathemate et suspensione, quibus scilicet ligati se divinis inmiscentes irregularitatem ipso facto contrahunt, sit immunis. Item, quod nulla interpretacio, declaracio, vel exposicio, supplecio, seu mitigacio super regulam predictam a quoquam conficta, quæ sanctæ Romanæ sedis auctoritate vel dicti generalis capituli auctoritate canonice fuerit approbata, vim aliquam ligandi predictos fratres seu prelatos contra hanc summæ sedis declaracionem seu indulgenciam habeat de cetero, vel solvendi.

De regulæ mitigacionibus a sede eadem impetrandis.

Supplicant predicti quod, cum aliqua verba regulæ sancti Benedicti striccius interpretata in professorum ejusdem regulæ conscienciis generare scrupulum possint et scandalum, nisi scilicet per ipsum, qui claves Omnipotentis habet in terris, benignius explicentur, de solita benignitate verba dictæ regulæ infrascripta, juxta modum suppositum,

mitigare dignetur sedes apostolica, vel aliter super hiis, prout ad animarum lucrum et ordini melius expedire providerit, dispensare.

Primo, cum, secundum regulam, octavo capitulo, per hoc quod ibidem sic dicitur: quod vero restat post vigilias,/ a fratribus, qui psalterii vel leccionum [fo. 184. aliquid indigent, meditacioni inserviatur, pluribus videatur quod fratribus post vigilias seu matutinas dormire non liceat, aliter tamen in ordine diucius usitetur, supplicant super hoc, pro pace dictorum fratrum, benignitate solita dispensetur.

Item, super hoc quod a Pascha usque ad kalendas Novembris privatis diebus unica leccio pro tribus solitis secundum regulam est dicenda, supplicant quatinus privatis diebus, scilicet infra sollempnitatum et festivitatum octabas, ac eciam in vigiliis seu jejuniis proprias omelias habentibus, liceat eis isto, sicut reliquo anni tempore, tres lecciones habere.

Item, cum regula, 14° capitulo, jubeat indistincte sanctorum festivitates, sicut Dominico die, qui videlicet, semper cum xij. leccionibus celebrari, supplicant quatinus simplicium sanctorum festa cum tribus tantum leccionibus eis liceat celebrare, cum psalmis scilicet ferialibus, juxta morem antiquitatis, et[1] leccionibus et responsoriis ad festa hujus pertinentibus.

Item, cum, a Pentecoste usque ad capud Quadragesimæ, omnibus noctibus feriarum, sex posteriores psalmi nocturnales, ac omni Dominica extra Quadragesimam cantica, matutini, prima, tercia, sexta et nona cum "Alleluia" dici, secundum regulam, capitulo scilicet 15, debeant, supplicamus quatinus eis, a Septuagesima usque ad Pascha, juxta morem universalis ecclesiæ, tacere liceat "Alleluia."

Item, cum in regula 21 dicatur quod, si major fuerit congregacio, eligantur de ipsis fratres boni testimonii et constituantur decani qui, et cetera, nec apud eos in ordine personæ seu nomina hujusmodi sint in usu, supplicant quatinus dicti hodie tercii, quarti, vel quinti priores, decani, subdecani et decani, tercii appellentur, vel quod non habeantur de cetero, dispensetur.

[1] *et antiquitatis*, MS.

Item, cum, sicut ex tricesimo quinto, tricesimo octavo, et quinquagesimo tercio capitulis regulæ possit colligi manifeste, aliud esse coquinæ officium, a quo videlicet frater, nisi egritudine aut si in causa gravis utilitatis fuerit occupatus, debet, secundum eandem regulam, excusari, et aliud officium ministrancium, comedentibus fratribus et bibentibus necessaria, supplicant quatinus officium coquinæ predictum fieri valeat, tam in coquina abbatis quam conventus, per conversos videlicet, ubi fuerint, vel per honestos seculares, ut solet, salvo quod circa hoc consueverunt hactenus predicti facere ministrantes.

Item, cum regula 39 insinuet quod panis libra propen/sa una singulis fratribus sufficiat in die, sive una [fo. 184b. sit refeccio, sive prandii et cenæ, et cetera, et hoc in diversis monasteriis diversimode sit mutatum, supplicant quatinus, pro uniformitate in hoc elemosinaque salvanda, panis fratrum, sive fermentatus fuerit sive non, quinquaginta solidos ante decoccionem ubique ponderet sterlingorum.

Item, cum regula sancti Benedicti quodammodo sit stricti juris, propter quod videtur quod illa, quæ in eadem regula non sunt expresse prohibita, concessa ejusdem professoribus videantur, ac in eadem regula, 39° capitulo, sic dicatur: "Carnium quoque quadrupedum omnino ab omnibus ab-" stineatur comestio, preter omnino debiles et egrotos, nec " carnes bipedum, id est volatilium, quæ, quoniam ex eodem " quo pisces elemento, aquæ scilicet, trahunt originem, " alimenti levioris existunt, prohibitæ videantur," supplicant quatinus sanis extra refectorium diebus licitis se saltem de uno genere vel duobus hujusmodi carnium liceat recreare.

Item, cum sanctus Benedictus in regula 40 de mensura potus sic dicat, "Credimus eminam vini per singulos sufficere " per diem," quod tamen, si loci necessitas, labor, aut ardor estatis amplius poposcerit, in arbitrio relinquit abbatis, supplicant quatinus hæc mensura vini, pro causa scilicet et tempore fratribus liberanda, cum pluribus sit ignota, juxta pondus panis expressum superius limitetur. Cervisia vero, quam regula non mensurat, sufficienter in communi sine taxacione aliqua cotidie habeatur.

Item, cum dicat regula, 41 capitulo, quod a Penthecoste tota estate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas estatis non perturbat, quarta feria et sexta jejunent usque ad nonam, et cetera, supplicant quatinus dispensetur cum eis super jejunio predictæ quartæ feriæ, et non sextæ.

Item, cum dicit regula, 42 capitulo, quod exeuntes a completoriis nulla sit licencia denuo cuiquam loqui, et cetera, supplicant quatinus iste articulus, quoad infirmos et alios extra conventum existentes, in necessariis loquelis et brevibus mitigetur, ut pocius declaretur; nam et hoc videtur litera subsequens tollerare.

Item, cum dicatur in regula 43 capitulo quod ad horam divini officii, mox ut auditum fuerit signum/ "relictis [fo. 185. omnibus quæ licet fuerint in manibus, curratur," et cetera, supplicant quatinus hoc verbum, "relictis omnibus," et cetera, declaretur ita videlicet quod tamen non pereant sic relicta.

Item, cum dicat regula, 48 capitulo, quod ociositas inimica est animæ, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, et infra, omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes, et cetera, supplicant quatinus duæ missæ preter majorem, scilicet diebus singulis eciam profestis solempniter decantantæ, quarum videlicet prima est de Domina, secunda pro vivis benefactoribus et defunctis, quæ scilicet dicitur missa minor, septem eciam psalmi penitenciales cum letania diebus predictis, ubi scilicet theologiæ leccio non fuerit in conventu dicenda, necnon et exequiæ defunctorum predictis diebus singulis celebrandæ, cum aliis, si qua fuerint, supererogâcionum operibus, cedant vice predicti operis manualis; dum tamen, juxta eandem regulam, prelati provideant quod, si quis ita negligens et desidiosus fuerit ut non velit aut non possit meditari aut legere, injungatur ei aliquod opus quod faciat, ut non vacet.

Item, cum dicatur in regula, 54 capitulo, quod nullatenus liceat monacho nec a parentibus suis neque a quoquam hominum nec sibi invicem literas aut eulogias vel quælibet munuscula accipere aut dare, sine precepto abbatis, et hoc verbum, "preceptum, seu precipere abbatis," in regula sepius

iteretur, supplicant quatinus hujusmodi preceptum seu precipere, ubi striccius videlicet sumitur, sicut hic, pro permissione seu permittere exponatur.

Item, cum, licet pater Benedictus in regula, 55to capitulo, circa vestimenta, calciamenta, ac lectisternia fratrum, certam formam seu modum in locis ordinaverit temperatis, quia tamen idem consideracionem predictorum, precipue cum in frigidis regionibus amplius indigeatur, in calidis vero minus, penes abbatem relinquit, nec plene sit hodie forma predicta seu modus in usu, supplicant quatinus modus super antedictis uniformis, et quatenus fieri poterit regulæ congruus, salvo usu femoralium, in proximo generali capitulo provideatur, per sedem appostolicam postea approbandus.

Item, cum regula, 58 capitulo, dicat quod noviter veniens ad conversionem non ei facilis tribuatur ingressus, sed, et cetera, supplicant quatinus hac forma, regula non obstante, digniores personas, pro ordinis emendacione, cum viderint oportunum, possint inducere, ac eciam, remota/ [fo. 185b. tamen omni pravitate symoniaca, obligare.

Item, quod usus et jus scriptum circa eorum probacionis habitum approbetur.

Item, cum dicatur in regula, 59 capitulo, quod, si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minor etate est, parentes ejus, et cetera, supplicant quatinus ad minorum suscepcionem nullatenus ex regula teneantur.

Item, cum, licet regula, capitulo 61°, dicat quod, si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis venerit, et infra, suscipiatur, quanto tempore cupit, et cetera, supplicant quatinus ad talium ignotorum suscepcionem ex regula non teneantur inviti.

Item, cum in regula, 61 capitulo, de sacerdotibus monasterii, si fuerint rebelles, dicatur quod, tales sepe moniti si se non correxerint, eciam episcopus adhibeatur in testimonium, supplicant quatinus iste articulus regulæ non nisi in ecclesiis cathedralibus, ubi scilicet episcopi loco sunt abbatum, vendicet sibi locum.

Item, cum regula 66° dicat capitulo quod ad portam

monasterii ponatur frater sapiens, qui sciat accipere responsum et reddere, et cetera, supplicant quod in monasteriis, ubi per fratrem monachum seu conversum hoc nequit comode fieri, per secularem honestum et discretum fieri valeat servientem.

Item, cum dicatur in regula, 67 capitulo, quod revértentes de via fratres, ipso die quo redeunt, per omnes horas canonicas, cum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii in loco quo stant ab omnibus petant oracionem propter excessus, et cetera, ac ex longa consuetudine habeatur quod sic revertentes fratres ad unam tantum horam, quamcumque diei canonicam venerint, petant oracionem predictam, supplicant quatinus consuetudo predicta ex interpretacione vel indulgencia, ne scilicet fatigatis ex itinere addatur ex hoc fatigacio, approbetur.

Item, cum regula perfecta sit et sancta, totumque, sancto testante Fulgencio, quod sufficit et nusquam minus habens, nec sit nostræ fragilitatis in omnibus maxime hoc tempore ad ejus perfeccionem attingere, supplicant quatinus supradicta, et eciam si qua fuerint alia quam in hoc capitulo superius sint expressa, quæ forte de eadem regula pro pace infirmorum videntur esse su[b]tracta, seu in aliquorum recompensacionem addita, vel pro qualitate temporis immutata, dum tamen sic subtracta scienter addita seu mu/tata in generali [fo. 186. capitulo approbentur canonice, super hoc cum ordine, pro fratrum conscienciarum tranquilitate, misericorditer dispensetur.

De admissione vel obligacione noviciorum.

Circa recepcionem vel obligacionem noviciorum illud quod in regula statuitur, salva mitigacione supra capitulo proximo posita, observetur; hoc addito quod, juxta statutum Gregorii ix., nullus ad probacionem ordinis, qui etatis suæ annum xviij. non attigerit, admittatur, nisi per robur corporis et industriam sensus, seu per excellentem edificacionem, a quarto decimo anno completo et supra, etas, secundum prudentum judicium, suppleatur.

Item, quod laici, non nisi pro portæ vel coquinæ seu ceteris officiis familiaribus personaliter exercendis, aut pro evidenti ecclesiæ utilitate vel ordinis honore ampliando, nullatenus admittantur.

Item, quod omnibus nostrum ordinem volentibus ingredi, ante eorum recepcionem vel obligacionem, juxta statutum ejusdem predicti domini Gregorii, exponantur hæc tria, scilicet obediencia, continencia, sine proprio vivere. Qui eciam interrogentur sollicite de subscriptis: si corpore sani, si condicione liberi, si debitis et raciociniis expediti, si religionem arciorem non professi, si excommunicacionis precipue majoris vinculo non ligati, si consummato matrimonio non astricti, si nichil proprium in seculo post ingressum voluerint reservare. Hæc a laicis. A clericis vero, qui scilicet tanquam clerici ingredi voluerint, non solum premissa querantur, sed hæc eciam quæ sequuntur: videlicet, si per bigamiam, homicidium, vel aliter irregulares non fuerint; si defectum aliquem non habuerint in persona, quominus ad sacros ordines saltem in religione valeant promoveri.

Item, quod recipiendi vel eciam obligandi sine omni paccione et rei cujuslibet temporalis exaccione, preter eorum probacionis habitum, admittantur. Si quid tamen sine pacto et taxacione gratis oblatum fuerit, secundum regulam et canones, recipi poterit sine culpa. Qui vero contra formam predictam aliquem receperit vel obligaverit sponte et sciens, omni feria sexta a piscibus ex tunc abstineat, quadragesmalique cibo nichilominus sit contentus, donec per presidentes seu visitatores capituli generalis hoc procuraverit emendari; nec ad professionem sub eadem pena sic receptus antea admittatur.

De vestibus, calciamentis, et lectisterniis noviciorum.

Quoniam austeritas ordinis monachalis in habitu regulari pro parte consistit, statuitur novicios,/ juxta [fo. 186b. consuetudinem hactenus habitam sacrisque canonibus approbatam, in habitu monachali, dum tamen non benedicto,[1] ceterisque pertinentibus ad usum monachorum, tam calcia-

[1] *benediccio*, MS.

mentis quam lectisterniis, fore probandos. Hæc autem sunt quæ, nostro generali approbante capitulo, juxta regulam et apostolicæ sedis indulgenciam, ad usum et habitum singulorum, tam monachorum, quam conversorum, nostri ordinis et provinciæ, propter noctes et mutacionem ipsarum rerum sufficere decernuntur: tres tunicæ stamineæ cum totidem lineis femoralibus; item, duæ laneæ tunicæ, quarum alteram habeat qui voluerit tenuem; duæ eciam tunicæ pelliceæ quæ, juxta statutum domini papæ Gregorii ix., de pellibus fieri non debent sillvaticis (ipsas tamen, qui voluerit, petita licencia, panno nigro poterit operire); duæ cucullæ cum duplici frocco, cujus scilicet frocci vice conversus laycus habeat scapulare: quæ omnia, scilicet cuculla, froccus, seu scapulare, usque ad talos et non ultra, sicut eciam in quolibet alia vestis usualis exterior, protendantur; caligarum duo paria; similiter et pedulum, quorum par alterum sit spissum pro hyeme, et aliud tenue pro estate: sit insuper pedulum par unum semper mundum, vel duo pro mandato, scilicet Sabatino. Sotularium eciam, scilicet botarum, duo paria, unum scilicet par diurnalium, quorum scilicet loco conversi laici corrigiatos et antefissos habeant sotulares, et aliud nocturnalium, quod scilicet fultro vel panno propter frigora noccium sit furratum. Stramenta lectorum sint ista: scilicet sagum unum et matra; stragulæ quatuor; coopertoria duo de panno nigro vel russeto, pellibus silvaticis non furrata; tapetum unum tenue, non de stragulato colore aut vario, sed tantum nigro vel quasi; capitale sive cervical sub capite unum, scilicet magnum, vel duo minora; lenæ sive lineæ duæ, quas scilicet sudaria seu pannos rasuræ vocamus; almuciæ duæ, una scilicet furrata pellibus scilicet nigris non silvaticis, et alia non furrata; cingulum simplex de corio, cum quo et dormiunt; vaginam planam de corio, cum pectine et cultello non picto; bracile sive lumbare duplex de panno vel corio, absque ferro. Acum vero graphium, tabulas et cultellulum, post professionem, a prelato seu vestiario, quem camerarium dicimus, recipiant monachi, et non ante.

De disciplina noviciorum ante ingressum.

/Ordinandis seu induendis noviciis senior juxta [fo. 187. regulam, qui aptus sit ad lucrandas animas, deputetur, qui eis omnia bona et sancta verbis ostendat et factis; cui unus vel duo, prout loci prelatus opus viderit, fratres apti et solliciti in solacium assignentur. Qui senior predictos novicios per unum vel per duos vel tres dies ante ordinacionem eorum omnes simul convocet ante prandium in scolam scilicet noviciorum, vel locum alium ad hoc aptum, ubi omnes simul constituti dicant, ipso seniore, quem magistrum vocamus, incipiente, ymnum, "Veni Creator Spiritus," indirecte, distincte et devote. Quo finito, dicat ipse magister versiculum, "Emitte spiritum tuum et creabuntur"; responsorium, "Et renovabis faciem terræ"; "Dominus vobiscum"; "Oremus: Deus qui corda. Per Dominum," "Benedicamus Domino." Et sic ad nutum magistri, sedentibus omnibus, dicat idem "Benedicite," et aliquod verbum edificacionis congruum atque breve. Inter quod eis suadeat quod habitum, confessi atque mundi maxime a mortali, suscipiant; et quod prelato suo, vel alteri monacho confessori, quibus videlicet, si antea non sunt confessi, tucius occulta sua et honestius ex tunc poterunt revelare. Post hæc disciplina illa, quæ consistit in membrorum omnium motu ordinato et disposicione decenti, scilicet circa custodiam visus et silencii, locucionem, habitum, gestum et accionem, secundum tradicionem regulæ et Hugonem de institucione noviciorum, informet jugiter ex illa hora, ut congruit et oportet. Deinde, juxta tempus conversionis suæ et disposicionem prelati, singulis ordinem seu locum stacionis assignet et chorum. Deinde doceat singulos facere crucis consignacionem, quæ scilicet tribus primis digitis dextræ manus a summo capitis quasi ad pedes, et a summitate sinistri humeri usque in dextrum humerum, protrahatur directe; item, corporis inclinacionem, quæ scilicet non arcuato vel curvato dorso sed plano, ut est possibile, et directo, et cancellato scilicet prius dextro brachio super sinistrum, profunde quasi scilicet ad equalitatem renum fiat,

non modo precipiti sed devoto; genufleccionem eciam illam, quæ curta sive pocius minor venia dicitur, quæ scilicet, habitu parumper utraque manu anterius sublevato, et flexis genibus, inclinatoque corpore, manibus demissis in terram, equato dorso quatenus poterit, fiat et capite[1]; item ge/nuflexionem, quæ longa vel major venia dicitur, [fo. 187b. quæ scilicet sic fiat, ut stando, discoopertis prius manibus et complosis ante pectus, veluti ad orandum, deinde flexis devote pariter genibus, sicque sinistra manu, corpore inclinante, directe porrecta in terram, et dextra cum suo latere, directe consequenter porrectis et demissis in terram, conjunctis pedibus, demissoque equaliter capite, sinistra manus in dextram cancelletur.

De gestu noviciorum die ingressus.

Novicii, die qua ordinandi sive induendi fuerint, ad monicionem sui magistri, mane conveniant ad cotidianam missam beatæ Virginis; ad quam post evangelium offerant singuli denarios singulos, a prioribus inchoando. Deinde, post oracionem "Corporis Domini," ducat eos magister in cellam seu scolam noviciorum, ubi recapitulent facienda. Cum ergo prelatus loci, vel cui ille hoc officium commiserit, expediendis eo die in capitulo expeditis, adduci eos preceperit, veniant ipsi bini, si tot fuerint, in capitulum processionaliter, hii ex choro sibi assignato et hii ex suo, unus contra alium, precedentibus prioribus, usque ad locum in quo correccio fit culparum. Ubi cum omnes, prioribus in medio stantibus, ordinate fuerint congregati, prosternant se in majores venias omnes simul et, interrogante presidente quid dicant, respondeat eorum prior, omnibus interim jacentibus in terra, sic: "Dompne, nos petimus misericordiam Domini nostri, Jesu "Christi, et suæ gloriosæ matris et virginis beatæ Mariæ, "nostri sancti patris Benedicti, beati seu beatorum N., patroni "seu patronorum hujus loci, et vestram, ut nobis concedere "velitis habitum monachatus." Qui surgere jussi stabunt cum maturitate, vel sedebunt, juxta quod presidenti videbitur expedire, et ipse presidens, facto prius sermone brevi, si

[1] *caput*, MS.

voluerit, tres primos articulos positos supra eadem distinctione, capitulo primo, a singulis tunc inquiret, si corpore sani, si condicione liberi, si debitis et raciociniis expediti. Ad quos interrogati respondeant singuli sub hoc modo : " Dompne, sic, " ut credo." Deinde subdat presidens sequentes ibidem articulos negativos, eciam si religionem arciorem non professi, et reli/quos qui seq[u]untur ; ad quos singuli hoc [fo. 188. modo respondeant : " Dompne, non, per Dei graciam." Quod si quis eorum forsitan, quod absit, aliquid aliud contrarium scilicet senserit vel responderit, data sibi licencia a presidente, exeat et recedat. Deinde presidens, juxta regulam, predicet eis dura et aspera et viam per quam pervenitur ad celum, continenciam scilicet castitatis, abdicacionem proprietatis, obedienciam humilitatis, et regulæ sancti Benedicti, quæ arta est, obedienciam. Quæ omnia hujusmodi proposita sibi si prompto animo voluerint observare, singuli ad interrogatum presidentis respondeant sub hiis verbis : " Dompne, sic, cum " gracia Dei." Tunc presidens, si prelatus fuerit, ita dicat : " Et nos, ex quo sic est, in nomine Christi concedimus vobis " habitum, quem scilicet pro ejus amore tam humiliter et tam " constanter requiritis." Si vero presidens non sit prelatus sed simplex prior vel alius, tunc sic dicat : " Et ego, vice " patris nostri, domini archiepiscopi, episcopi, abbatis, vel " prioris hujus loci, in nomine Christi concedo," et cetera, sicut ante. Audita ergo concessione habitus requisiti, mox novicii omnes simul devocius inclinabunt et, procedentes singuli juxta suas prioritates, successive ad pedes veniant presidentis et, flexis genibus, ibidem pedem presidentis, vel manum si eam porrexerit, si videlicet presidens sit prelatus, alioquin textum evangelii deosculabuntur vel regulam.

Deinde, reversi ad locum suum, omnes se simul ibidem prosternent in majores venias, et, interrogati a preside quid petant, dicat prior eorum : " Dompne, misericordiam Dei " vestramque oracionem et conventus, pro nostra fragilitate " juvanda, requirimus." Tunc presidens, ipsis semper interim jacentibus sic prostratis, surgens incipiat solempniter, genibus flexis, ymnum " Veni creator " ; cum quo eciam surgens conventus genua flectet ; reliquos versus post primum ejus

ympni sine genufleccione, incipiente cantore, conventus alternatim, ubi scilicet major est congregacio, prosequatur. Ymno finito, dicat presidens versiculum, "Emitte spiritum tuum," et cetera; "Dominus vobiscum"; oracio, "Acciones nostras; Per Dominum" et, responso "Amen," presidens resideat cum conventu, et mox, postquam novicii ad mandatum ejus surrexerint, precipiat quod major vel minor missa eodem die vel quam cito pote/rit, scilicet de Spiritu [fo. 188b. Sancto, cum collecta N., pro ipsis dicatur.

Postea precipiat noviciis quod vadant ad Dominum cum magistro. Quo audito, inclinent omnes simul et ex[e]ant, precedentibus prioribus, ut intrabant, et sequantur eos mox e vestigio magistri eorum et camerarii, deducentes eos ad locum ubi fuerunt induendi, atque vij. psalmos penitenciales cum letania psallentes distincte; et, dum psalletur, tondeantur clericaliter scilicet vel laicaliter, juxta morem, lotisque postea pedibus, novis femoralibus, caligis, pedulibus, et botis diurnalibus, si videlicet clerici fuerint, alioquin corrigiatis, ut supra[1] dicitur, calcientur; deinde stamina, tunica, vel pellicia vel utraque, ut magister providere [debet], cuculla, et, si fuerint clerici, frocco, si laici, scapulari, capucio eciam vel almucia vestiantur; et cingulo, cum suis appendiciis, scilicet vagina et cultello et pectine, precingantur.

Quibus reverenter peractis, magistrum sequantur novicii processionaliter, prioribus precedentibus, usque ad ostium ecclesiæ, quod est a parte claustri, ubi, magistro existente in medio, prosternant se novicii, juxta quod sunt priores, cum eo in veniam minorem, limen seu primum gradum ejusdem ostii, ut mos est hospitibus, osculantes. Indeque surgentes, et usque ad aquam benedictam eisdem inclinatis dandam scilicet a magistro, et deinde ad altare seu locum, ubi primo ducuntur ad oracionem fratres nostri ordinis hospites, procedentes, dicant ibi cum magistro oracionem Dominicam, inclinati, si videlicet conventus super misericordias fuerit eo die, alioquin in veniam minorem prostrati. Postea surgentes et, uno cum magistro, sanctæ crucis signaculo se signantes, ducantur in conventum, scilicet quam cito magister viderit oportunum.

[1] *s. e.*, MS.

Sintque ex tunc hinc inde a dextris vel sinistris partiti in choro, processione, capitulo, et refectorio, ultimi juxta tempus conversionis suæ vel disposicionem prelati, in inclinacionibus et aliis observanciis magistros suos, donec melius didicerint, imitando; qui scilicet magistri ex tunc, propter hoc, in choro, capitulo, et refectorio stabunt vel sedebunt jugiter inter eos, et eciam semper, ubi viderint necesse, precedent, donec in predictis observanciis plenius informentur. Quod autem de pluribus noviciis ˌhic supra vel infra traditur,/ hoc [fo. 189. idem de uno vel duobus, secundum consideracionem racionis, fore intelligatur faciendum.

De quibusdam specialibus documentis noviciorum, post eorum ingressum.

Ordinatis ergo noviciis, ut supra dicitur, et in conventum adductis, per singula ex tunc horarum canonicarum congrua intervalla in cellam seu scolam suam a magistro, cum idem viderit expedire, ducantur, donec disciplina et observanciis regularibus plenius sint instructi. Ipsis igitur noviciis in observanciis capituli infra sequentis proximi necessariis scilicet aliqualiter primitus informatis, magister eorum hæc regulæ capitula, scilicet v., vj., vij., decimum octavum, preter cotidianam ejusdem regulæ leccionem, horis et locis congruis eis legat sepius et exponat; et jugiter se Deum respicere cum reverencia et tremore doceat; recordari omnium peccatorum matrem, scilicet propriam voluntatem, eo saltem quod nichil aliud, secundum sanctos, ardeat in inferno; corde, ore, et opere intime detestari; honeste conversari; humiliter obedire; juramentum aliud quam forsitan "Crede mihi," "Secure," "Plane," vel hujusmodi non proferre; pure et frequenter semel ad minus in ebdomada confiteri; ardenter orare; cordis et corporis puritatem sollicite custodire; et ad omnem perfeccionem regulæ et evangelii anelare; denique regularem disciplinam et observancias, quas magister eorum docuerit, tanquam doctrinam Christi, mente pervigili retinere. Unde ne novicii, in quibus scilicet seminatur seu plantatur thesaurus nostri ordinis, abducantur doctrinis

peregrinis, quod absit, et variis, aut fallantur, sub pena suspensionis ipso facto scilicet incurrendæ, presenti inhibitum est statuto, ne predicti magistri noviciorum eos scienter aliquid huic tradicioni contrarium docere presumant; immo, hac contenti, diligenter considerent quod traditæ hic noviciorum observanciæ variæ sunt et multæ, et iccirco, juxta racionis exigenciam, sunt ex diversis distinccionibus seu capitulis hujus opusculi sollicite requirendæ. Quædam autem sunt observanciæ quas novicii cum professis habent communes, et heæ pro magna parte infra, juxta earum congruenciam, in distinccionibus diversis ponuntur. Quædam sunt quæ eisdem noviciis competunt ante ingressum et in ingressu eorum, et istæ hic supra/ eadem distinccione [fo. 189b. ponuntur per totum. Quædam eciam quæ in progressu probacionis eorum et egressu, et heæ in presenti capitulo et duobus proximis infra sequentibus contine[n]tur.

De observanciis noviciorum, anno probacionis durante.

Sciendum igitur quod novicii, ab hora peticionis eorum in capitulo factæ pro habitu, semper, ubicumque ierint, usque post missam, scilicet ad quam tercio die proxime[1] post professionem eorum facies deteguntur, non seorsum quilibet per se, sed omnes simul incedent, singuli singulos codices regulæ, psalterii, vel alterius, in quo scilicet fuerint reddituri, in manu et latere sinistro gestantes; excepto quod in dormitorio, disjuncta scilicet conventuali processione, semper, donec ad eorum expectacionis locum debeant convenire, per se singuli et sine libris et eciam extra dormitorium, facto scilicet signo sibi proximo assistenti socio vel magistro, ubi necessitas exigerit, bini possunt incedere. Cum autem bini vel plures aut omnes simul usquam, ut ante dicitur, ierint, semper processionaliter, id est bini conjuncti,[2] incedent, singuli bini a propinquioribus binis precedentibus quasi quinque pedum distanciam equaliter conservantes, junioribus quoque precedentibus semper, nisi videlicet quando ad celebrandum introitur capitulum, vel quando de completorio in dormitorium

[1] *proxima*, MS. [2] *conjuncio*, MS.

est eundum, aut si de loco silencii ad loquendum exitur, et nisi quando itur de refectorio ad mandatum pauperum die Cenæ, vel eciam processionaliter nocte Natalis Domini ad altare beatæ Virginis; in quibus scilicet omnibus antedictis seniores precedent. Quociens vero ante Corpus Christi, textum evangelii, altare, ymaginem Domini, crucis, beatæ Virginis, reliquias cujuscumque sancti canonizati, vel capitulum transierint aut intraverint, bini simul vel singuli, si via sit striccior, reverenter inclinent.

Item, quociens ante papam, principem terræ, vel quemcumque prelatum ecclesiæ canonice electum transierint, vel hii ante eos, stando inclinent, et, predictis obviantes, trahent se ad partem, stantes donec pertransierint, inclinando. Hoc idem ipsi faciant obviantes[1] conventui; quod tamen ipsi cavere debent summopere, et eciam servitoribus mensæ conventus, et facientibus cotidianum mandatum. Aliis vero, quam predictis personis, omnibus, tam religiosis quam aliis, dum tamen honestis, ubicumque extra dormitorium in loco et hora silencii eisdem venerint/ obviam, non stando [fo. 190. sed eundo solummodo inclinetur. Ad quodcunque eciam bonum eis appositum vel oblatum, et eciam ad quodlibet sumptum ad elemosinam coram ipsis, in loco scilicet silencii, inclinent.

Item, quociens aliquid cum signo mittitur eis a presidente conventus, illi tantum quibus fit missio, sive plures fuerint sive unus, facta prius pro appositis simplici inclinacione, discoopertisque capitibus, assurgentes inclinent mittenti. Prelato vero loci vel eo majori, aliquid sic mittent[i], si presens non fuerit, simpliciter inclinetur, versus locum scilicet in quo creditur mittens esse. Ubicumque eciam extra capitulum a prelato loci vel suis magistris (nam aliter hoc non licet) verbo vel signo correpti fuerint, mox, discoopertis capitibus, in signum emendacionis inclinent. Aliæ vero inclinaciones, quas novicii scire debent, querantur infra, distinccione septima, capitulo de capitulo cotidiano, et distinccione 12, capitulo 19.

Item, novicii literas vel aliud non recipiant seu mittant sine licencia speciali; nec alicui seculari, seu cujuscumque religionis

[1] *obvientes*, MS.

viro, exceptis suis magistris vel confessoribus, gracia scilicet confitendi, signum fiat sive nutum, nec cum tali loquantur sine licencia superioris, qui scilicet fuerit domi presens, per suum magistrum petita[1]; quod eciam non nisi in loco licito ad loquendum et valde racionabili causa fiat, presente eciam et audiente vel saltem aspiciente magistro. Monachus vero nostri ordinis, verbum ex proposito ipsis aliter quam dictum est vel signum non necessarium ex deliberacione faciens, a carnibus et piscibus propter hoc abstineat uno die. Ubi vero de loco et hora silencii exeuntes loquuntur, semper "Benedicite" a magistro, vel eo qui prior est ordine, aliis respondentibus "Dominus," premittatur ibidem; semper doctrinam Hugonis de institucione noviciorum pretactam, et maxime nostræ regulæ, quam dicere, loqui, et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit, observantes.

Ceterum, ut unius diei observanciæ, una scilicet cum predictis, quasi aliarum dierum noviciis sint[2] exemplar, observanciæ eorum hic in genere, ab hora scilicet qua surgitur ad nocturnas vigilias usque ad recubitum post sequens completorium, supponuntur. Ad ictum itaque primi signi appellantis ad vigilias scilicet primo auditum, ac semper eciam cum expergefacti sunt, surgunt de lectulis singuli mox, dicto prius "Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc," et cetera; "Adjutorium nostrum," et cetera. Signum sibi sanctæ crucis per invocacionem sanctæ Trinitatis inprimant, sic dicentes: "In nomine Patris,/ et Filii, et Spiritus [fo. 190b. Sancti, amen." Deinde, dicta salutacione beatæ Virginis, scilicet "Ave Maria, gracia plena," et cetera, quæ videlicet semper in preparacionem cordis ante singulas horas ipsius dici debet, incipiant per se singuli tacite vigilias beatæ Virginis, quæ sic incipiunt: "Domine, labia mea aperies," ut infra, distinccione 12, vel quindecim et vij. psalmos cum letania, aut, si hæc nescierint, quodcum[que] aliud eis magister dicendum loco predictorum injunxerit, quando scilicet de Domina fit officium in conventu; curantes semper sollicite quod omnia quæ ad aures Dei pertinent, sive per se tacite sive cum aliis extra conventum dicenda, cum aliquali pausa

[1] *petitam*, MS. [2] *sit*, MS.

in medio versuum tam psalmorum quam ymnorum fiant distincte, pariter, et devote. Surgentes igitur ad vigilias tunica seu pellicia, juxta quod indiguerint, se induant, et cuculla calciati[s]que nocturnalibus, eciam frocco, se vestiant vel devestiant, seu calciant vel discalcient; observando ne se in aliquo discooperiant inhoneste, et quod nunquam in dormitorio cuiquam facies alicujus appareat discooperta; sed semper, cum de lectulis surgunt vel ostium intrant dormitorii, mox capucio velent capud et oculos. In dormitorio nullus eorum loquatur, nisi ex summa necessitate forsitan cum magistro; nec ibidem signum vel nutum strepitumve faciat aliquis aut tumultum; nec ad alterius maxime professi presentis vel absentis lectum accedat, excepto quod ipsi surgentes ad opus Dei se invicem, moderate tamen, juxta regulam poterunt cohortari. Surgente[s], ergo, ut dictum est, ad nocturnas vigilias, cum jam, necessitate corporea expleta, ultimus eorum ad locum expectacionis venerit, omnes simul processionaliter, ut dictum est, ad oratorium, sicut semper eciam ad omnes horas, pulsante secundo signo, festinent, observancias et cetera ad divinum officium spectancia tunc, sicut eciam et singulis aliis horis diei ac missis per annum ibidem, secundum exigenciam temporis et officii, juxta modum traditum infra, 12 distinccione, per totum eorum docente magistro, strenue, pure, et reverenter cum conventu facturi. Hic de fluxu narium vel oris, cum in divino officio vel alibi sunt, ubique caveant.

Preter hæc, ad instruccionem noviciorum, qui scilicet conventum quasi semper prevenire tenentur in observanciis, est sciendum quod tempore eorum observanciæ juxta varietatem dierum sepius variantur. Omnibus enim diebus trium leccionum per totum annum, excepto triduo proximo ante Pas/cha, in quo scilicet triduo distingu[u]ntur horæ [fo. 192. sicut in diebus jejunii xij. leccionum, procedent in dormitorium, ut sic quod post vigilias restat meditacioni, juxta regulam, vel dispensativæ si indiguerint requiecioni, ut ceteri fratres, inserviant, donec cum signo ad matutinas laudes, quæ scilicet incipiente luce agendæ sunt, regulariter appelletur; excepto quod, a kalendis Novembris directe usque ad

kalendas Februarii exclusive, "Dirige," id est vigiliæ et laudes pro defunctis, ac reliquo anni tempore, dum scilicet prelati seu fratris monachi trigintale duraverit, psalmi familiares pro defunctis, scilicet "Verba mea," et cetera, et eciam in Quadragesima psalmi prostrati,[1] post nocturnas predictas, antequam sic vadant, dicentur. Sciendum tamen quod "Dirige" nullo die infra octabas Natalis Domini, nec in ejus vigilia, post nocturnos vel aliter dicitur in conventu; circa quod similiter est sciendum quod, a feria quarta proxima ante feriam quintam in Cena Domini usque ad octabas Paschæ, et eciam a vigilia Pentecostes usque ad festum sanctæ Trinitatis, nullo die "Dirige" nec "Verba mea," nisi forte pro funere presenti, in conventu dicetur. In omnibus autem predictis diebus, scilicet trium leccionum et infra, excepto triduo ante Pascha, singuli, priusquam matutinæ laudes incipiantur, Dominicam oracionem cum symbolo privatim bini, prioribus eorum inchoantibus, ut infra, distinccione 12, capitulo 20 traditur,[2] "Confiteor" ad signum dicant prioris. Hora quaque prima eciam hiis diebus semper ipsis laudibus dictis et suffragiis mox jungatur. Quociens eciam hiis diebus sermo in conventu vel theologiæ leccio non habetur, exceptis vigiliis festorum principalium et ceteris diebus infra eorundem octabas,[3] si tamen octabas habuerint, septem psalmi penitenciales cum letania inmediate post primam dicantur.

Deinde mane juxta regulam exeuntes a prima redeant ad necessaria in dormitorium cum conventu; calciantes se tunc primo diurnalibus et cultellos cum pectinibus suis cingulis appendentes, secumque suos libros sumentes, ad lavatorium simul pergant, ubi lavent manus suas et facies, capita eciam pectinent simul in aliquo loco stantes seorsum per ordinem; sicque, sumpta prius aqua benedicta, intrent chorum, juxta formam infra, distinccione 12, capitulo 20 traditam.[4] Quibus factis, prioribus eorum in claustro in medio et qui de choro sunt dextro versus ecclesiæ ingressum sedentibus, dicant per se tacite singuli psalmum "De profundis," cum oracione

[1] *prostrales*, MS. [2] *traditur faciendas*, MS. [3] *octabis*, MS.
[4] From *Confiteor* above, to *traditam*, written on an inserted slip, fo. 191.

Dominica et collecta "Fidelium," scilicet pro fundatoribus et fratribus loci ac aliis fidelibus infra scepta monasterii sepultis. Quem videlicet psalmum et cetera, eciam cum post prandium vel cenam claustrum scilicet ad sedendum intraverint, eodem dicere debent modo. Post hæc suis leccionibus, dum scilicet professi sacerdotes intra missam beatæ Virginis celebrant, vacant ibidem, donec ad tercium appellacionis signum pulsetur. Quo audito, tunc, sicut et semper ad omnes appellaciones horarum, in necessariis se preparent indigentes, ut, cum secundum signum pulsaverit, regulariter parati simul accurrant.

Hora ergo tercia percantata, missa matutinalis, omnibus videlicet predictis diebus trium leccionum et infra, nisi in triduo ante Pascha, continuo celebretur. In cujus fine, post terminacionem signi, juxta formam datam infra, distinccione 7, capitulo primo,/ intrent capitulum, libris eorum [fo. 192b. juxta ingressum ejusdem, ubi scilicet eosdem in egressum resumere possint, relictis; inde scilicet, cum dicitur a presidente "Loquamur de ordine," exituri, et in dormitorio suis leccionibus singuli ad lectulos suos secrecius, durante capitulo, nisi videlicet pro capitulo eorum tenendo vel aliis necessariis magister eorum vocaverit eos, vacaturi.

Finito autem conventuali capitulo, cum magister eorum ad ostium dormitorii cum haspa ejusdem ostii vel aliter fecerit brevem sonum, mox conveniant omnes ibidem cum libris suis, ut sic, ad nutum magistri, conveniant ad suum capitulum ; quod quidem ad instar conventualis capituli bis vel semel ad minus in ebdomoda, postquam provecciores scilicet effecti fuerint, celebretur, magistro scilicet ibidem, vel alio, ut loci prelatus ordinaverit, presidente. Qui scilicet presidens, noviciis coram ipso, durante eodem capitulo, stantibus jugiter simul per ordinem, et prioribus eorum in medio constitutis, dicat in principio "Benedicite," et cetera, deinde "Loquamur de ordine," et "Ite ad Dominum," capitulo terminato. Vel, si capitulum non fuerint habituri, ad magistri nutum mox de ostio scilicet dormitorii sequantur conventum, qui videlicet hiis diebus trium leccionum et infra de capitulo, expedita prius processione, si videlicet cum

"Verba mea" eodem die in ecclesiam pro obitu in capitulo recitato fuerit facienda, ad parlamentum vadat in claustrum. Quod quidem parlamentum, "Verba mea," sive in capitulo sive in ecclesia pro obitu, sicut predicitur, terminato, dicto a priore, qui scilicet presens fuerit, "Benedicite," et "Dominus" a conventu, in claustro de edificatoriis tantum et ordine maxime cum noviciis teneatur, magistro seorsum in scola eorundem, durante parlamento, cum eisdem sedente. Feria tamen quarta et sexta per totum annum, et eciam feria secunda et Sabbato per totam Quadragesimam, non fiat parlamentum in claustro; sed hora ipsius parlamenti leccioni in claustro et oracioni vel operi manuali, juxta disposicionem prelati vel prioris in ordine, est vacandum.[1]

Cum autem, post predictum spacium parliamenti seu leccionis, appellacione solita prius facta, signum secundum audierint, mox sileant, et, si dies jejunii fuerit, ad horam sextam festinent; quoniam scilicet tunc inmediate major missa sequetur, nisi fuerit tempus Quadragesimæ, in quo quidem post horam vj., modico/ intervallo facto, in [fo. 193. claustro pulsatur ad nonam, et post nonam sequetur major missa. In cujus fine, dum ad primum signum horæ nonæ se devestiunt ad missam induti, dumque fit cotidianum mandatum, leccioni vacent in claustro, donec secundum signum horæ sequentis, sive horæ nonæ extra Quadragesimam, sive vesperarum in Quadragesima, pulsetur. Ad quod accurrentes, postquam hora fuerit determinata, in dormitorium precedant conventum. Redeuntes vero de dormitorio, libris eorum ibidem relictis, intrent refectorium, manibus videlicet prius lotis, disciplinate in suis observanciis, juxta quod mox infra sequitur, se habentes.

Si vero jejunii non fuerint dies, sed prandii et cenæ, pulsante post predictum parlamenti seu leccionis spacium signo secundo, ibunt ad oracionem preparatoriam, quæ fit ante missam majorem. Deinde, finita missa et habito spacio leccionis in claustro, ibunt ad horam sextam, et de ipsa hora in dormitorium, de dormitorio in refectorium, manibus, ut

[1] This sentence marked with *vacat* in the margin, for omission.

predicitur, ante lotis, sicque suis in locis singuli ibidem ante mensas, inclinacione prius facta ad Deum versus principalem mensam, resideant, dicentes, si vacaverint, pro defunctis benefactoribus "De profundis," oracionem Dominicam, et "Inclina." Intranti autem presidenti assurgant, stantes donec ipse, si voluerit, sedeat, vel, si noluerit, donec, pulsata mensæ campanula, versus dicatur et benediccio super dona Dei sumptura (*sic*); quo facto, ad mensas ascendant, panes antepositos, cum lector incipit legere, detegentes, et de appositis et apponendis cum Dei timore et graciarum mentaliter accione, semper oculis ad mensam et auribus ad leccionem intentis, sumentes panes vel alia sibi apposita, nisi, quatenus necesse fuerit, pro scolaribus pauperibus et peregrinis advenientibus non frangentes. In fine vero prandii, postquam scilicet prior ad colligendas reliquias tercio mensam percusserit, nulli comedere liceat nec eciam bibere, ex quo scilicet, mensæ percussa campanula, leccio terminatur. Collectis ergo reliquiis, quicquid fuerit integrum post terminatam leccionem surgentes singuli reverenter cum utraque manu et inclinacione elemosinario porrigant, vel illud mappa operiant, si fuerint cenaturi./ Cum autem prior [fo. 193b. campanulam dictam pulsaverit, descendant, stantes inferius ante mensas donec, versu et graciarum accione perdictis et data eciam benediccione, videlicet si abbas insignitus vel alius eo major ibi comederit, precedant conventum in ecclesiam, psallentes scilicet alcius et distincte cum ceteris "Miserere." Quo dicto, cum pertinentibus precibus conventum precedant in claustrum, "De profundis," et cetera, ut mane supra traditur, ibidem dicturi. A kalendis tamen Februarii directe usque ad kalendas Novembris inclusive, semper diebus trium leccionum post predictas gracias in ecclesia "Dirige" inmediate dicitur pro defunctis, excepta die Cenæ et Parasceves et vigiliis Paschæ et Pentecostes, et omnibus diebus infra eorum octabas, in quibus videlicet pro defunctis, excepto fratris obitu, nil agitur in conventu. Dicto igitur in claustro, ut supra dicitur, "De profundis," et cetera, ad lavatorium simul vadant; deinde, quesitis a duobus eorum senioribus vel aliis quos magister

eorum ordinaverit primo libris, in claustro leccionibus sui[s] vacent, usque ad vesperas, si videlicet dies jejunii fuerit et extra tempus meridianæ; alioquin, si videlicet dies cenandi fuerit et eciam extra tempus meridianæ, suis leccionibus usque ad nonam et post nonam eciam, facto spacio, usque ad vesperas ibidem indulgeant. Quod si tempus meridianæ fuerit, audita[1] in fine secundæ mensæ campanula refectorii, mox intrent dormitorium, ibidem, froccis depositis et cultellis, discalciati in suis lectulis quiescentes, vel suis in libris juxta regulam modeste legentes, donec appelletur ad nonam. Audita appellacione, calciati, sumptis froccis et ceteris, ut supra mane, vadant ad lavatorium, ubi loti sua capita pectinent, et intrent ecclesiam sic ad nonam. Post nonam in claustro repetant suas lecciones usque ad vesperas. Si vero dies jejunii fuerit, in qua scilicet nona semper ante prandium est dicenda, loti et pecti, ut supra dicitur, sedeant in claustro cum libris, donec pulsetur ad vesperas, si tamen fuerit extra tempus Quadragesimæ, in quo scilicet vesperæ et "Placebo" ante prandium dici debent. Vesperis autem dictis et suffragiis, semper "Placebo," diebus scilicet trium leccionum et infra, eisdem vesperis inmediate, si videlicet dies cenandi non fuerit, adjungatur, exceptis tamen triduo ante Pascha et vigiliis Paschæ, Pentecostes, et Natalis Domini, et omnibus diebus infra eorundem/ octabas. [fo. 194.

Peractis autem predictis, in dormitorium ad necessaria conventum precedent, deinde simul ibunt in claustrum, ibidem suis leccionibus vacaturi, donec ad potum cimba pulsetur; qua audita, lotis prius manibus et extersis, refectorium, libris juxta ingressum ejusdem ubi revertentes scilicet eos resumere possint relictis, intrabunt, ubi facta prius inclinacione, ut supra de prandio dicitur, ante mensas sedeant et presidenti assurgant. Cumque ipse presidens ad dextum ascenderit, ascendant eciam et ipsi ad mensas, dictaque benediccione super potum bibant singuli, prout indiguerint, gracias semper Deo in donis suis cordialiter exfundentes. In fine vero potacionis, cum prior, percussa prius quasi in medio ipsius potacionis spacio unico ictu mensæ campanula, ne scilicet ex

[1] *audito*, MS.

tunc alicui de foris venienti liceat ingredi ad potandum, iterum tercio eandem campanulam mensæ percusserit, ultra ibidem tunc bibere non licebit, sed mox descendentes singuli, versus dextum facta inclinacione, iterum in claustro, donec ad collacionem fiat pulsacio, leccionibus suis vacent. Si autem fuerit dies cenæ, vesperis ut predictum est finitis, et suffragiis necessariis quoque in dormitorio expeditis, libris ibidemque relictis, intrabunt eodem modo, quo supra dicitur de prandio, refectorium, ad cenandum[1]; et, cena facta, ibunt ad ecclesiam, cum graciis, dicturi ibidem cum conventu, inmediate post ipsas gracias, omnibus scilicet predictis diebus trium leccionum et infra, "Placebo" pro defunctis; quo facto, ibunt in dormitorium, de dormitorio, sumptis libris, ad lavatorium, inde suis leccionibus, usque dum pulsetur collacio, ut ante dicitur, indulturi. Ceterum, diebus omnibus xij. lectionum simplicium et supra per totum annum, excepta die Natalis Domini, quia nullum scilicet in hiis diebus inter nocturnos et laudes esse debet secundum regulam intervallum, nec eciam in triduo ante Pascha, finitis laudibus et eciam "Verba mea," durante videlicet defuncti prelati vel fratris monachi trigintali, ipsi novicii in dormitorium precedant conventum ad meditandum, ut supra dicitur, vel eciam quiescendum, donec prior mane campanulam dormitorii, juxta consideracionem racionis et occupacionis diei instantis, pulsaverit, vel tabulam percusserit, sicut in biduo ante Pascha; qua audita, si quis tunc in suo quieverit lectulo, mox habitu suo vestitus, ad minus pedes, priusquam so/nitum prior terminaverit, habeat extra [fo. 194b. lectum; cunctique tunc, diurnalibus calciati, cultellos suos cum pectinibus assumentes et froccos, expeditis necessariis, ad lavatorium simul vadant, cetera dicta superius, cum ageretur de tribus lectionibus et infra, usque ad horam ibi terciam, hic per ordinem usque ad pulsacionem horæ primæ, facturi. Dicta prima, in capitulum sequantur conventum, ut supra. A capite tamen Quadragesimæ usque ad Pascha exclusive, omnibus diebus xij. leccionum simplicium, exceptis Dominicis, psalmi penitenciales cum letania, sicut supra in

[1] *cenam dei*, MS.

tribus leccionibus, dicantur inmediate post primam, quando scilicet sermo vel leccio theologiæ non fuerit in conventu. De capitulo autem vadant in dormitorium, de dormitorio in ecclesiam, ad missam scilicet mat[utinalem] vel ad terciam, scilicet si dies jejunii fuerit, cum conventu, vel ad eorum capitulum, juxta quod magister eisdem significaverit, vel ad mixtum. Die tamen Natalis Domini, de capitulo in dormitorium it conventus, ut ad processionem se preparent tunc instantem. Post missam vero matutinalem, si dies jejunii non fuerit, remaneant in choro, suis ibidem leccionibus indulturi, donec hora tercia inchoetur. Quando tamen totus conventus ad terciam revestitur, tunc, dicta minori missa, eant in dormitorium, ubi, dimissis froccis, in suis cucullis descendentes, lotis prius manibus, redeant sic in chorum, ut se revestiant ad horam terciam tunc dicendam, post quam inmediate sequatur missa major vel processio, si fuerit facienda. In festis autem duodecim leccionum et majoribus in diebus jejunii contingentibus, post capitulum inmediate dicetur hora tercia ; post terciam vero missa minor quæ de festo erit, si vulgare sit jejunium ; post missam, facto intervallo, dicatur hora sexta, et subsequenter missa major. In Quadragesima vero, diebus omnibus xij. leccionum et supra, excepta Dominica, dicta post capitulum hora tercia, dicetur missa minor, quæ scilicet erit de festo ; post quam, facto in claustro modico intervallo, dicentur simul hora sexta et nona, quas tunc inmediate sequetur missa major. Missa autem majore dicta, sive dies jejunii fuerit sive prandii et cenæ, leccioni vacent in claustro, donec signum ad horam sextam, si scilicet fuerit dies prandii et cenæ, vel ad nonam, si dies jejunii fuerit et extra/ Quadragesimam, vel ad [fo. 195. vesperas, si in Quadragesima sit, pulsetur.

Omni autem tempore, dicta post missam majorem hora, quæ scilicet tempori convenit et diei, vadant in dormitorium, de dormitorio ad lavatorium, de lavatorio in refectorium, de refectorio cum graciis in ecclesiam, de ecclesia in claustrum ad oracionem, scilicet " De profundis." De oracione ad lavatorium, ut ante dicitur, simul vadant ; de quo, lotis manibus, juxta exigenciam temporis, aut in dormitorium ad meridianam

vadant, ut supra dicitur, vel in claustro suis leccionibus usque ad pulsacionem indulgeant vesperarum, vel, si tempus fuerit Quadragesimæ, potacionem expectantes. Si vero non fuerit dies jejunii sed cenandi, post sextam statim vadant in dormitorium, sicque ad prandium et cetera faciant, ut superius dicitur, usque dum, finiente meridiana, si tamen tempus fuerit meridianæ, ad nonam appelletur. Si vero dies non fuerit meridianæ, post prandium, dictis graciis et hora nona quæ tunc inmediate post gracias est dicenda, sedeant in claustro continue, donec pulsetur ad nonam vel ad vesperas, secundum differenciam temporum superdictam. Postea vero usque ad collacionem, juxta differencias dierum jejunii vel cenandi, facient per omnia, ut supra dicitur, de diebus scilicet trium leccionum et infra, excepto quod "Placebo" vel hujusmodi pro defunctis non dicitur in conventu. Appellacione vero collacionis audita, duo eorum, ut predicitur, sumptis omnium libris, eos in dormitorio juxta locum coexspectacionis eorum, ubi scilicet quilibet suum cum venerit resumere possit, reponant, aliis eorum sociis capitulum intrantibus interim, et ibi ante loca sua in banco inferiori sedentibus; ubi et ipsi, cum redierint, consedeant, exspectantes introitum presidentis, cui scilicet assurgent intranti, stantes continue donec ipse resederit, quod eciam semper facient intrante capitulum presidente, sicque, ipso sedente, cum versus orientem inclinaverint, et ipsi in banco superiori resideant. Si vero prelatus loci vel aliquis major ipso capitulum, ad tenendam collacionem, intraverit, non solum ei assurgant, verum eciam descendentes ad terram, dum ante eos transierit, inclinabunt, stantes donec in loco suo resederit. Postea, si dies cenandi fuerit, aut mandati scilicet Sabatini, vel eciam festum quartæ dignitatis aut supra, semper inter collacionem, cymbalo ab illo qui post presidentem in ordine est prior percusso, mox, nisi lectæ leccionis clausula terminans/ fuerit suspensiva, [fo. 195b. descendant ad terram, et, facta prius inclinacione Deo, scilicet versus principalem sedem prelati, in refectorium precedant conventum; ubi eciam, facta inclinacione solita, mox ascendant ad mensas, super eas, dum conventus intraverit, et donec presidens dextum ascenderit, inclinantes. Deinde, benedic-

cione data super potum, bibant qui indiguerint, et, percussa quasi in medio spacio ipsius potacionis mensæ campanula, ad terminandum scilicet leccionem, et eciam ut supra de primo potu dicitur, ne alicui ex tunc de foris venienti liceat ingredi ad potandum, ceterisque, ut ibidem dicitur, terminatis, descendant, stantes in locis suis singuli ante mensas, donec dicto a presidente, stante scilicet in medio ante dextum, "Ad-"jutorium nostrum, in nomine Domini," et responso a conventu "Qui fecit celum et terram," inclinent. Quo facto, ad completorium in ecclesiam conventum precedant. De mandato vero Sabbatino et observanciis pertinentibus ad illud, queratur, cum mandato Domini in Cena, infra, distinccione 12. Diebus autem omnibus aliis quam proximo supradictis, collacione in capitulo terminata, mox ad completorium in ecclesiam, ut dictum est de collacione supra, conventum precedant; ubi scilicet ad signum prioris singuli oracionem Dominicam cum symbolo apostolorum dicant privatim, et bini "Confiteor," ut supra eadem distinctione dicitur, ante laudes scilicet diebus trium leccionum et infra.

Completorio siquidem terminato, et junioribus descendentibus versus ostium, ad quod conventus scilicet tunc exibit, senioribus remanentibus superius, dictaque a singulis inclinando ter oracione Dominica, ut est moris, trahent se novicii cum aliis in partem, singuli scilicet stantes ex choro suo, ante formulas inclinando, donec prior et seniores conventus, bini et bini, in medio procedendo scilicet inclinati, in dormitorium eos precesserint ad quietem. Deinde, cum quilibet in dormitorio, processione conventuali quæ scilicet intra dormitorii ostium semper distinguitur jam disjuncta, ad suum inclinaverit lectulum, frocco exutus, aliisque necessariis expeditis ad ingressum cubiculi, prius se, postea lectum, rejecto coopertorio, muniat crucis signaculo, et sic super staminam tantum cinctus, tergo verso ad lectum suum, habitum usque ad dictam staminam utraque manu submovens, lecto insideat, et, se sub habitu suo discalcians, suo se lectulo recipiat,/ sicque [fo. 196. super staminam cinctus, femoralibus et caligis calciatus, reliquo exutus habitu, capite lena[1] vel sudario capucioque

[1] Altered from *leena.*

furrato vel hujusmodi cooperto, sees in lecto reponat; et sic, dicto ymno "Christe, qui lux es," vel "Te lucis ante terminum," "Pater noster," "Ave Maria," tacite et devote, usque ad appellacionem vigiliarum in pace dormiat, si voluerit, et quiescat. Sciendum autem quod semper, ex quo conventus dormitorium ad dormiendum scilicet ibidem intraverit, mox singuli juxta lectos suos se exuent froccis suis, ex tunc nullus ostium dormitorii forinsecum exibit, usque ad proximam signi in ecclesia appellacionem vel campanulæ in dormitorium sonitum, exceptis hiis qui ad dormiendum extra in diversis officiis forsitan deputantur, et hiis eciam qui ex superveniente infirmitate vel mandato superioris aliter facere compelluntur; nullus eciam de foris veniens intra dormitorium infrocatus, sed, quo necessitas traxerit, debet incedere cucullatus.

De occupacione noviciorum et eciam promocione.

Occupacio noviciorum circa hæc debet consistere, ut precipue regulam suam sciant et ordinem, aut eciam non segnifer repetant vel reddant quæ cordetenus a monachis sunt scienda, videlicet regulam sancti Benedicti, psalterium, letaniam sanctorum communem, cantica tam ecclesiastica quam monastica, ambrosianum, id est ymnarium, omnia invitatoria et versus nostri antiphonarii, omnia responsoriola et eciam responsoria ejusdem, ad processiones scilicet pertinencia, antiphonas super laudes, tam super psalmos primos scilicet quam eciam "Benedictus," sex eciam communes ferias integre, et totum commune sanctorum; antiphonas eciam, lecciones, ac responsoria, quæ ad exequias pertinent defunctorum; quæ scilicet in primo triduo professionis eorum congruencius reddi poterunt ab eisdem, et, ut vacent melius ad predicta, toto probacionis tempore studio non intendant. In scriptis tamen edificacionis liceat eos, secundum disposicionem magistri sui, aliquando, presertim postquam predicta reddiderint, occupari. Poterunt autem prelati locorum cum personis precipuis et insignius literatis super predictorum vel partis eorum reddicione, prout expedire viderint, dispensare,

ac locum eciam superiorem talibus assignare, maxime si soli intraverint et prelatus talem eorum prospexerit esse vitam, necnon ad sacros ordines ipsos ante eorum professionem precipue si de eorum stabilitate/ vehemens sit [fo. 196b. presumpcio, promovere. Cum autem in claustro vel in ecclesia leccioni vacaveri[n]t singuli, si commode possit fieri, manu sinistra in manica frocci supposita libro suo jacenti super genua, dextram manum habebunt detectam, quasi ad tenendum seu volvendum librum suum predictum. Item, licet secundum statutum Gregorii nulla omnino noviciis, donec professi sint, sit administracio, sive eciam officium secundum Octobonum legatum aliquatenus committendum, sane tamen[1] permittitur quod ipsi novicii, postquam videlicet per annum dimidium laudabiliter in claustro fuerint conversati, ad nutum sui magistri vel eciam prioris in ordine seu cantoris, campanis in choro si sunt vel juxta pulsare; gradale, tractum, vel hujusmodi, revestito scilicet conventu, cantare; candelabra eciam vel turibula in necessitate portare; necnon et fragmenta quæ supersunt mensæ conventus colligere; et hujusmodi modica facere, unde scilicet inordinacionis occasio non possit haberi. Denique noviciorum observanciis considerandis, scilicet ex subsequentibus diligenter et eciam ex premissis, magistrorum discrecioni relictis, de professione eorundem breviter est dicendum.

De quibusdam ante professionem noviciorum diligenter considerandis.

De professione[2] noviciorum taliter est statutum: videlicet, quod nullus ad professionem recipiatur ante annum probacionis completum; nec ultra idem tempus per triduum differatur profiteri, nisi forte graviter infirmetur, et tunc, postquam convaluerit, profiteatur continuo vel discedat. Quod si, ut predictum est, profiteri renuerit vel non possit, vel si contagioso morbo et incurabili, corporali scilicet vel spirituali,

[1] *cum*, MS. [2] *Cum professionem*, MS.

laboret, si gratis exire noluerit, expellatur, nisi forte sit talis cum quo de consensu conventus possit misericordius provideri. Et est hic sciendum quod tali, qui sic expellitur vel gratis discedit, precipue si animo relinquendi seculum simpliciter intraverit ordinem, suaderi oportet quod, juxta decretalem "Super eo" extractum de regula, saltem ad religionem transeat leviorem. Abbas vero, qui in suo principali monasterio non munitus, aut in prioratu sive cella sibi pleno jure subjectis per duos menses a prioribus eorumdem locorum munitus, infra predictum tempus novicium profiteri non fecerit, videlicet in sua presencia, si possit, vel alterius cujuslibet sibi subjecti monachi suo nomine ad hoc/ depu- [fo. 197. tati specialiter, si non possit, in pane et aqua, juxta statutum Octoboni, omnibus sextis feriis, donec compleverit omissum, jejunet, novicio sic ultra annum stante nichilominus habito pro professo. Priores vero predicti, qui suos, ut dictum est, abbates neglexerint premunire, dictam jejunii penam sustineant per quot dies eos fuisse constiterit negligentes. De prioribus autem plena jurisdiccione utentibus, et qui professiones subditorum monachorum suorum hactenus consueverunt recipere, idem quod de abbatibus, et [de] supprioribus cathedralibus idem quod supra de prioribus, obsequetur. In cathedralibus vero ecclesiis, in quibus ex consuetudine diuturna archiepiscopi vel episcopi professiones consueverunt recipere, inpetretur quod, si, humiliter premissa trium mensium premunicione, infra mensem post annum probacionis completum predicti archiepiscopi vel episcopi per se vel per alium, ut dictum est, non venerint, prior loci vel ejus vices gerens, sub pena suspensionis ipso facto incurrenda, novicium profiteri faciat sine mora. Fine ergo anni probacionis instante, licet ante probacionis annum completum, non debeat aliquis, secundum decretalem "Non solum" extractum de regula, facto vel verbo ad profitendum induci. Quod eciam hic sub pena suspensionis firmiter statuitur observandum. Excitare tamen novicios poterit magister eorum et inducere, scilicet, quod, si stare voluerint, petant, ut decet, humiliter et devote per se singuli sibi a prelato loci misericorditer professionem concedi.

De hiis quæ pertinent ad diem professionis noviciorum et eciam ad duos sequentes.

Constituta ergo die noviciis ad profitendum, tali videlicet in qua nec sollempnis sit processio in crastino nec eciam conventus debeat revestiri, veniant novicii in capitulum ad presidentis mandatum, ibidem, ut primo die suæ ordinacionis, audituri per omnia et facturi; excepto quod, ubi tunc habitus, nunc professio monachatus petatur, et quod nunc, inter dura eis et aspera predicanda, pena carceris et ceteræ satisfacciones culparum per ordinem, juxta quod infra distinccione proxima capitulo 5[1] traduntur, eisdem in genere exprimantur, ne forte per ignoranciam se possint alias excusare; et eciam quod in fine, cum pro se orare pecierint, dicatur a presidente, ipsis interim in terra jacentibus, in hunc modum: "Dominus "Jesus Christus sic perficiat in vobis quod, pro ejus amore, "tam humiliter et tam constanter requiritis, ut Deo cedat et "ordini ad gloria[m] et honorem, vobisque et nobis ad "/graciam et salutem eternam." Et, ab omnibus [fo. 197b. "Amen" dicto, surgant ad imperium presidentis et, preter officium missæ in conventu et ceteris pro eisdem dicendis solempniter eo die, ut notatur infra distinccione 12, injungat presidens singulis constitutis in sacerdocio unam missam, ceteris vij. psalmos penitenciales cum letania pro eisdem; et hoc, sive plures fuerint novicii sive unicus, non mutatur. Hoc facto, dicat eciam noviciis quod vadant ad Dominum cum magistro; qui, hoc audito, inclinabunt ut alias exeuntes et sequentur eos magistri eorum, continuo ducentes eos in cellam noviciorum, et ipsos ibidem observanciis suis, ab hora scilicet missæ benediccionis suæ instantis usque in tercium diem sequentem, plenius instructuri; ubi eciam tunc, vel die pocius precedente, quilibet in presencia sui magistri propria manu, si quomodo sciverit, alioquin ad peticionem suam alius, professionem suam de magistri licencia conscribat, quæ talis est: "Ego N., sacerdos, vel dyaconus, subdyaconus, vel acolitus," secundum ordinem scilicet quem habet majorem, "promitto,"

[1] *c. h*[i]., MS.; probably for *capitulo* 5.

ut infra sequitur. Si vero primam tonsuram tantum habuerit, vel omnino nullam, tunc ita: "Ego frater N., "conversus, promitto stabilitatem meam et conversionem "morum meorum ac obedienciam, secundum regulam sancti "Benedicti, in hoc monasterio, quod est constructum in honore "N. sancti, vel sanctorum, coram Deo et sanctis ejus, et in "presencia domini archiepiscopi, episcopi, abbatis, vel prioris "vel procuratoris N."

Benediccio noviciis ad missam majoris altaris celebrandam, presente conventu, a prelato loci vel procuratore ipsius, ut infra sequitur, inpendatur. Ipsam siquidem missam prelatus, si presens fuerit et comode possit, vel ejusdem procurator eo absente, tenetur, si valuerit, celebrare; precentore cum socio suo ad eandem missam chorum regente. Post lectum igitur evangelium missæ cantatumque symbolum, si tamen officium diei hoc exigat, prelato vel ejus procuratore, si missam celebraverit, stante ad cornu altaris australe vel, si neuter eorum missam celebraverit,[1] altero eorum, qui scilicet benediccionis officium est facturus, ad cornu altaris aquilonale accedente solempniter revestito, sacerdote autem qui missam celebrat ad cornu altaris australe tunc stante, ministrisque altaris solito more astantibus incipiat cantor psalmum "Miserere mei, Deus," sub tono minoris psalmodiæ, conventu reliquum prosequente usque in finem cum "Gloria Patri." Interim autem novicii, con/sueto habitu non mutato, ad nutum magistri [fo. 198. precedentis eos, processionaliter, secundum ordinem sicuti sunt priores, procedant ad gradum altaris, ubi scilicet propter eos tapecia tunc sternentur et cucullæ eorum et frocci benedicendi ad magistri providenciam collocantur, ibique omnes simul per ordinem, prioribus scilicet eorum in medio constitutis, in majores venias se prosternant, sic continue jacentes prostrati donec, terminato predicto psalmo scilicet "Miserere," omnes pariter surgant; et sic, juxta quod priores fuerint, successive ad legendam suam professionem distincte et aperte accedant singuli ad altare. Quod si aliquis eorum legere omnino nesciat aut non possit,

[1] *stante...celebraverit*, in margin.

magister eorum, novicio stante juxta ipsum complosis manibus tanquam ad orandum, in signum videlicet sui consensus, eam legat pro ipso. Lecta professione, singuli stando manu propria signum crucis vice sigilli eidem subscribant, et eam super altare flexis genibus offerant. Quo facto, et singulis ad locum in quo prius se prostraverunt reversis, ibidemque stando expectantibus donec ad locum suum convenerint, dicant simul, eorum priore incipiente, hunc versum, "Suscipe me," et cetera, sub hoc modo:—Cum incipiendo sic dicunt, scilicet "Suscipe me, Domine, secun-"dum eloquium tuum, et vivam," petant minorem veniam, et, interim facta pausa debita in metro scilicet, surgant simul, adjungentes stando, "Et non confundas me ab expectacione mea." Inclinent versus altare, punctando in medio hujus versus, et in fine sic *fa. re.* Quem versum sub eadem voce et puncto conventus, stans versis vultibus ad altare, sine genufleccione et sine inclinacione repetens, ipsi secundo alcius quasi per unam notam iterent, modo per omnia quo prius, versum eundem, conventu eciam resumente eundem, ut prius; tercio eciam quasi per aliam notam alcius eundem versum repetant, ut prius, et conventus similiter. Quarto autem adjungant novicii, sub eodem tono et puncto quo ultimo, dictum versum, "Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto," non flectendo genua sed tantummodo inclinando. Quo dicto, ibidem in majorem veniam se prosternant, sic prostrati jacentes donec, predictis precibus et ymno "Veni Creator" ac oracionibus ut infra sequitur, ille qui fecerit officium ipsos aqua asperserit benedicta; conventus vero, dicto a noviciis, ut supra dicitur, "Gloria Patri," addant "Sicut erat in principio,"/ et cetera, cum pausa, [fo. 198b. puncto et modo quo prius, excepto puncto finali, qui sic fiet *fa. mi. re. fa.*, et postea "Kyrieleyson," "Christeleyson," "Kyrieleyson," puncto directaneo, ut est moris, ponentes se super formas vel misericordias, juxta exigenciam diei, donec, dictis a prelato vel procuratore, qui fecerit officium, precibus scilicet "Et ne nos inducas," "Salvos fac vel salvum servos vel servum tuum," "Dominus vobiscum," et hiis tribus oracionibus, scilicet "Deus indulgenciæ pater," "Deus, qui

per coeternum," "Domine Jesu Christe, qui es via," se erigant. Quo facto, idem ymnum "Veni Creator" incipiat, conventu devote et solempniter prosequente, et, eodem terminato, dicat hanc collectam, "Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum." Qua dicta, aqua aspergat novicios benedicta, et tunc mox surgant; et, eisdem stantibus, benedicantur cucullæ et frocci. Quibus benedictis, accedant novicii singillatim, ut sunt priores, ad eum qui facit officium, et singuli flexis genibus ante ipsum cum manu utraque anterius suberigant cucullas cum froccis; quibus manum apponens qui facit officium, quemlibet exuendo propria cuculla et frocco, sic dicat, "Exuat te Dominus veterem hominem cum[1] actibus suis"; et, induens eum cuculla et frocco prius benedictis, subjungat, "Induat te Dominus novum hominem[1] qui secundum Deum creatus est in justicia et sanctitate veritatis"; ad utrumque audientes respondeant fratres "Amen." Sicque singulis successive eorum, adhuc capitibus non opertis, ad locum priorem reversis, cum convenerint, iterum se in majores venias, ut prius, ibidem prosternant, jacentes sic donec super eos hæc oracio perdicatur, scilicet "Deus misericors, Deus clemens." Hac ergo oracione perdicta, surgant simul et accedant, ut sunt priores, unus post alium, ad osculum illius qui fecit officium; qui, pacis osculo prius dato, capucio cucullæ prius operiat capita singulorum et oculos, sic tamen restricte ut videre valeant ad eundem. Dehinc novicii, osculatis ministris altaris et suis magistris, ducantur a magistris ad osculandum omnes fratres, primo per chorum dextrum, postea per sinistrum; et sic in choro stallis, in quibus ante professionem steterant, collocentur, ibidem continue moraturi, repetendo et reddendo defunctorum officio vacaturi; nisi cum ad prandendum, cenandum, vel potandum, vel ad capitulum, de quo scilicet, cum dicitur "Loquamur de ordine," exeant sicut prius, seu [ad] collacionem sive in dormitorium bini et bini pro necessitate aut certe omnes pariter cum conventu fuerint exituri; capi/taque cooperta continue usque in diem [fo. 199. tercium sic habentes, toto quoque habitu sic induti, frocco

[1] *cum...hominem*, in margin.

duntaxat excepto, quem tantum cum dormire debuerint exuere eis licet, nisi superveniens infirmitas aliter suadeat fieri. Unde sciendum quod, si aliqua processio inopinata forsitan, dum sic operiuntur novicii, supervenerit, vel eciam revestiatur conventus, ipsi novicii in dormitorium interim, vel ubi magister providerit, leccionibus suis vacabunt. Hiis autem tribus diebus communionem corporis Christi et sanguinis, concomitantibus eorum magistris, suscipiant, duobus videlicet primis diebus ad missam majorem, et die tercio ad privatam, vel pocius ad missa[m] beatæ Virginis a prelato loci vel priore claustri celebrandam, si valuerit, ipso die. Cum ergo tercio die ad communionem accesserint, ille qui missam celebraverit tribus digitis inferioribus manus sinistræ, magistris eorum juvantibus, capita singulorum successive veniencium discooperiat, et sic eis sacramentum communionis[1] contribuat. Finita missa, intrent claustrum simul ad loca sua ubi, dicto prius more solito "De profundis," per se singuli ex tunc, ut alii professi, intra claustri limites ire possunt, disciplinæ tamen ut prius servata in omnibus gravitate, sicut plenius traditur infra, distinccione proxima, capitulo 1°.; cetera vero omnia, sicut ante professionem, usque dum eodem die in capitulo a presidente dicatur "Loquamur de ordine," prosequentur.

Quod professi disciplinam novicialem seu regularem post factam professionem non negligant.

[2]C... ... ... professos ... ...
... ... in capitulo die tercio profes-
sio[nis] ... ...
or ... ...
sens ... ...
proced ... ...
pituli ... ...
fessa n ... ...
liciose ... ...
aut ma ... ...

[1] *communionem*, MS.

[2] The lower part of leaf 199 is mutilated.

nostri non fu... ... ... contravenientes ... ... /tantum in pane et aqua jejunent. Officia vero, ad [fo. 199b. quæ ipsi noviter jam professi, eodem predicto tercio die, ve in reliquum, ut alii professi, juxta quod eis congruit, asscribuntur in tabula, seu aliter cursorie ipsis proveniunt, ac alia omnia in specie et in genere sibi injuncta regulariter, quatenus a superioribus eisdem permittitur, hilariter ac certatim, juxta regulam, propter sanctum servicium quod voverunt, satagant adimplere; nullatenus sese a noviciali disciplina laxantes, nisi quatenus regularis obediencia eos duxerit in hujus[modi], seu necessitas traxerit inportuna; regulam quoque sancti patris nostri Benedicti, statuta superiorum, precipue capituli nostri generalis observancias eciam juxta eadem traditas, morum conversionem, obedienciam, et cetera quæ voverunt seu sub disciplina noviciali didicerunt, diligencius studeant observare; non quidem fatue pravorum exemplo post professionem emissam plus solito se laxantes, cum ex tunc ad ordinis rigorem et disciplinam ex voto arcius sint astricti, meliusque sit eis viam Dei non agnoscere, quam post agnitam retroire. Ut autem ipsi noviter jam professi informentur eo melius in predictis, ac officia seu ministeria aliaque diversa eis incumbencia tunc addiscant, magistri eorum duo vel unus, ut loci prelatus viderit expedire, per annum unum post professionem eorum ad minus, hora parlamenti in claustro vel extra claustrum ... ... it ... scolam teneat sicut ante ipsos, si ... ... soli ... ... os ... ... istra ... ... [ca]pitulo ... ... ipsis ... ... nitur ... ...m corde ... ... mur redden ... ...fessionis .. ..[l]audabiliter ... ... [mon]asterii scepta /ad pernoctandum maxime vel prandendum. Cum [fo. 200.

personis tamen precipuis prelatis locorum, quatenus viderint expedire, racionabiliter in predictis permittitur dispensare.

Ne per seculares, precipue mulieres, intus vel extra quies fratrum impediatur aut ordinis honestas ledatur.

Ut[1] fratres nostri, precipue in conventu, Deo et ordini, juxta suam professionem, liberius et quiecius valeant famulari, statuitur quod prelati occasiones hiis contrarias omnes tollant, juxta statutum domini Gregorii ix., sollicite providentes quod claustri, chori, et vestiarii custodiæ certis committantur personis, vel quod ostia predictorum locorum, ubi scilicet poterit commode fieri saltem presente ibi conventu, firmentur, ita quod nullis temporibus sive locis, maxime durante capitulo seu parlamento in claustro vel locione pedum conventus, per accessum secularium vel occursum quies fratrum inpediatur vel ordinis ledatur honestas. Nec secularis quispiam infirmis fratribus in infirmitorio se inmisceat, nec cum eis, sine licencia superioris existentis in monasterio, comedat, medicis duntaxat exceptis et servientibus ad eorum curam et custodiam deputatis. Infirmi ministris communibus sint contenti, nisi quibus, exigentibus meritis, major debetur reverencia, seu quibus, necessitate urgente, per loci prelatum vel infirmarium specialis serviens assignatur; hoc semper observato, quod nullus ad pernoctandum in infirmitorio vel eciam ministrandum infirmis fratribus admittatur, nisi prius de fidelitate et secretis fratrum non revelandis prestiterit sacramentum. Hoc idem de conversantibus infra septa monasterii observetur, et eciam extra in maneriis, quatenus videbitur[2] ... ...
Dormitorium vero, refectorium ... ...
nullus secularis, eciam... ... ...
monacho, ingrediatur ... ...
interiorem curiam mo ... ...
ditorum, administrandum per ... ...
salva consideracione, circa ... ...

[1] *Et*, MS.

[2] The lower part of leaf 200 is mutilated.

trum parentes, ex discr ... ...
Infirmitorium tamen d ... ...
prelatorum fuerint, sive ... ...
reginis, comitiss[is] ... ...
scilicet/ si peterent, sine gravi offensa vel scandalo [fo. 200b. ingressus non posset negari. Nulli vero monacho, sine licencia superioris qui domi fuerit petita et optenta, liceat cum muliere aliqua habere colloquium, nec mulierem unquam aliquam osculari vel tangere, vel super aliquam aspectum figere, vel ridere, nec aliquam egrotantem in lectulo decumbentem personaliter visitare, nec ab aliqua sic ullatenus visitari. Qui vero ex deliberacione venerit contra aliquod hic ultimo predictorum, uno die pro singulis transgressionibus in pane tantum jejunet et aqua. Quoad honestum tamen colloquium, in loco scilicet ad hoc specialiter deputato, ac propriarum matrum egrotancium, poterit lọci prelatus, vel qui major domi prefuerit, fratribus licenciam indulgere, cum viderint expedire.

Notandum quod generaliter per totum annum officium ad horas, tam diei quam noctis, faciendum est de tempore vel de sanctis ; et hoc quidem aliquando solempniter, aliquando simpliciter. Solempniter autem, ut in festis primæ dignitatis, secundæ dignitatis, terciæ dignitatis, quartæ dignitatis, quintæ dignitatis, sextæ dignitatis, septimæ dignitatis, et octavæ dignitatis. Festa primæ dignitatis sunt : Nathale Domini; festivitas sancti Benedicti; et Annunciacio Dominica, quando in Pascha celebratur ; Pascha ; Pentecostes ; festum sanctæ Trinitatis ; Assumpcio sanctæ Mariæ ; festivitas Omnium Sanctorum ; et festivitates patronorum, reliquiarum, et dedicacionis ecclesiæ.

Festa secundæ digni[tatis] sunt festum sancti Benedicti ; et Annunciacio Dominica, quando ante [Pascha celebratur ; et Ascencio] Domini.

Festa terciæ [dignitatis sunt : festum sancti Johann]is, ewangelistæ ; Epipha[nia ; Purificacio sanctæ Mariæ ;] Nativitas sancti Johannis [baptistæ ;] .... Nativitas sanctæ Mariæ ;...........

[Festa quartæ] dignitatis sunt: festum [sancti Stephani, protomartyris; festum sancti] Thomæ, archiepiscopi [et martyris; festum sancti Gregor]ii; duo dies primi [post festum Dominicæ Resurrectio]nis; festum apostolorum [Philippi et Jacobi; Invencio sanctæ Cru]cis; festum sancti [Augustini; duo die proxime seque]ntes diem Pentecostes; festum/ [fo. 201. sanctæ Mariæ Magdalenæ; festum sancti Jacobi, apostoli; ad vincula sancti Petri; festum sancti Laurencii, martyris; festum sancti Bartholomei, apostoli; Exaltacio sanctæ Crucis; festum sancti Mathei, apostoli et ewangelistæ; festum apostolorum Symonis et Judæ; festum sancti Martini, episcopi; oblacio sanctæ Mariæ, xj. kal. Decembris; festum sancti Andreæ, apostoli; festum sancti Nicholai, episcopi; Concepcio sanctæ Mariæ, scilicet vj. idus Decembris; festum sancti Thomæ, apostoli. In quibus omnibus festivitatibus supradictis semper missa de festo, conventu vestito in capis, ubi scilicet haberi poterunt, congrue celebretur. Excipiuntur tamen festivitates predictæ, quæ scilicet contingunt a capite jejunii usque ad Pascha, et eciam Purificacionis quocumque tempore acciderit, quæ omnes in albis tantum solempnioribus tamen celebrantur. In festis vero infra sequentibus, usque ad festum octavæ dignitatis exclusive, et in Cena Domini, necnon et in duabus vigiliis scilicet Paschæ et Pentecostes, missæ de festis, conventu vestito in albis, ubi haberi poterunt, eciam congrue celebrentur.

Festa quintæ dignitatis sunt: festum Innocencium, et octabæ omnium festorum principalium octabas habencium, exceptis octabis Natalis Domini et Resurreccionis Domini, quæ inter festa quasi secundæ dignitatis computantur.

Festa sextæ dignitatis sunt: Conversio sancti Pauli; Cathedra sancti Petri; festum sancti Mathiæ, apostoli; Dominica palmarum; feria quarta in ebdomada Paschæ et Pentecostes; festum sancti Marchi, ewangelistæ; festum sancti Barnabæ, apostoli; Dominica infra octavas Assumpcionis; festum sancti Augustini, doctoris; Decollacio sancti Johannis, baptistæ; festum sancti Lucæ, ewangelistæ.

Festa septimæ dignitatis sunt hæc: festum sancti Vincencii, martyris; festum sancti Johannis ante portam Latinam;

festum sancti Dunstani, archiepiscopi; festum sancti Albani, martiris; Commemoracio sancti Pauli; Ordinacio sancti Gregorii, papæ; Translacio sancti Edwardi, regis; festum sancti Edmundi, regis et martiris; festum sanctæ Katerinæ, virginis et martiris.

Festa octavæ dignitatis sunt quatuor (*sic*) heæ Dominicæ, videlicet prima Septuagesimæ, et prima Quadragesimæ, et prima Adventus.

In istis duobus scilicet festis octavæ dignitatis et aliis inferioribus, omnibus ministris altaris revestitis tantum secundum quod infra dicetur hac distinccione, capitulo xiiij.°, missæ celebrentur de ipsis. Simpliciter vero est officium faciendum quando xij. sim/plices lecciones aut tres [fo. 201b. vel unica tantum pro tempore faciendæ occurrunt. Duodecim autem simplices lecciones fiunt aliquando de tempore, ut per omnes Dominicas vacantes per annum, exceptis predictis quatuor Dominicis, quæ dicuntur seu fiunt quasi in albis, excepta eciam Dominica palmarum, Paschæ, Pentecostes, et sanctæ Trinitatis. Aliquando eciam fiunt xij. lecciones de festis sanctorum, ut sunt: festa sancti Petri, abbatis; sancti Silvestri, papæ; sancti Adriani, abbatis; sancti Mauri, abbatis; sanctorum Fabiani et Sebastiani; sanctæ Agnetis, virginis; sancti Laurencii, archiepiscopi, qui convertit Scociam; sanctæ Agathæ, virginis; sanctæ Scolasticæ, virginis; sancti Cuthberti, episcopi; sancti Ambrosii, episcopi; sancti Elphegi, archiepiscopi et martyris; sanctæ Etheldrithæ, virginis; sancti Swithuni, episcopi; Translacio sancti Thomæ, martyris; sanctæ Mildrethæ, virginis; sanctæ Margaretæ, virginis et martyris; Invencio sancti Stephani; festum sancti Bernardi, abbatis; festum sancti Egidii, abbatis; sancti Bertini, abbatis; Translacio sancti Augustini, Anglorum apostoli, sociorumque ejus, scilicet xj. confessorum monachorum; item, sancti Theodori, archiepiscopi; sancti Mauricii sociorumque ejus; sanctorum Cosmæ et Damiani; Jeronimi, presbyteri; sancti Dyonisii sociorumque ejus; sancti Leonardi, confessoris; sancti Edmundi, archiepiscopi et confessoris; sanctæ Ceciliæ, virginis et martyris; sancti Clementis, papæ; sanctæ Luciæ, virginis. Aliquando vero

fiunt xij. lecciones de octabis sanctorum, ut in octabis Epiphaniæ, Asscencionis Domini, sancti Johannis baptistæ, apostolorum Petri et Pauli, sancti Laurencii, Nativitas beatæ Mariæ, sancti Martini, et in Dominicis quæ eveniunt infra eorum octavas, si vacaverint. Tres vero lecciones fiunt eciam aliquando de tempore, ut in feriis quibus de tempore agitur, scilicet a kalendis Novembris usque ad Pascha; aliquando de sanctis, et hoc aliquando cum regimine chori, ut in Commemoracione beatæ Virginis et patronorum sive reliquiarum, et in ultima die octavarum sanctorum Stephani, prothomartyris, Johannis ewangelistæ, et sanctorum Innocencium; et in vigiliis omnium festorum primæ dignitatis et quasi octabas habencium; et in feriis et infra octabas earundem. Infra octabas vero omnium festorum aliorum octabas habencium per totum annum fit servicium trium leccionum simpliciter, sine regimine chori; ac eciam de sancto Felice in pincis; de sancto Marcello, papa et martire; de sancto Antonio, abbate; de sancta Prisca, virgine et martire; de sancta Emerenciana, virgine et martire . . . .
. . . .

LONDON:
HARRISON AND SONS, PRINTERS IN ORDINARY TO HIS MAJESTY,
ST. MARTIN'S LANE.

HENRY BRADSHAW SOCIETY,

FOR EDITING RARE LITURGICAL TEXTS.

PRESIDENT.

THE BISHOP OF SALISBURY.

VICE-PRESIDENTS.

The Bishop of Edinburgh.
The Bishop of Bristol.
The Dean of Carlisle.
Rev. F. Procter, M.A.
Monsieur Léopold Delisle.
The Lord Aldenham, F.S.A.
Whitley Stokes, Esq., C.S.I., C.I.E., D.C.L., F.S.A.
Sir Edward M. Thompson, K.C.B., LL.D., D.C.L., V.P.S.A.
G. F. Warner, Esq., M.A., F.S.A.
Sir Thomas Brooke, Bart., F.S.A.

MEMBERS OF COUNCIL.

Dr. J. Wickham Legg, F.R.C.P., F.S.A., *Chairman.*
Rev. E. S. Dewick, M.A., F.S.A., *Hon. Treasurer.*
Rev. H. A. Wilson, M.A., *Hon. Secretary.*
Very Rev. John H. Bernard, D.D.
W. J. Birkbeck, Esq., M.A., F.S.A.
Rev. W. C. Bishop, M.A.
Rev. F. E. Brightman, M.A.
Rev. Walter Howard Frere, M.A.
W. H. St. John Hope, Esq., M.A.
F. Jenkinson, Esq., M.A.
F. Madan, Esq., M.A., F.S.A.
J. T. Micklethwaite, Esq., F.S.A.
A. W. Pollard, Esq., M.A.
Rev. F. E. Warren, B.D., F.S.A.
Rev. Christopher Wordsworth, M.A.

HONORARY AUDITORS.

Rev. Edgar Hoskins, M.A.
Leland L. Duncan, Esq., F.S.A.

List of Works already issued.

1891. I. MISSALE AD USUM ECCLESIÆ WESTMONASTERIENSIS. fasc. i. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A. 8vo. [Dec. 1891.]

III. THE MARTILOGE, 1526. Edited by the Rev. F. PROCTER, M.A., and the Rev. E. S. DEWICK, M.A., F.S.A. 8vo. [May, 1893.]

1892. II. THE MANNER OF THE CORONATION OF KING CHARLES THE FIRST, 1626. Edited by the Rev. CHR. WORDSWORTH, M.A. 8vo. [Dec. 1892.]

IV. THE BANGOR ANTIPHONARIUM. Edited by the Rev. F. E. WARREN, B.D., F.S.A. Part I. containing complete facsimile in collotype, with historical and palæographical introduction. 4to. [Aug. 1893.]

1893. V. MISSALE AD USUM ECCLESIÆ WESTMONASTERIENSIS, fasc. ii. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A. 8vo. [Aug. 1893.]

VI. OFFICIUM ECCLESIASTICUM ABBATUM SECUNDUM USUM EVESHAMENSIS MONASTERII. Edited by the Rev. H. A. WILSON, M.A. 8vo. [Aug. 1893.]

1894. VII. TRACTS OF CLEMENT MAYDESTONE, viz. DEFENSORIUM DIRECTORII and CREDE MICHI. Edited by the Rev. CHR. WORDSWORTH, M.A. 8vo. [Oct. 1894.]

VIII. THE WINCHESTER TROPER. Edited by the Rev. W. HOWARD FRERE, M.A. 8vo. [Nov. 1894.]

1895. IX. THE MARTYROLOGY OF GORMAN. Edited by WHITLEY STOKES, D.C.L., Foreign Associate of the Institute of France. 8vo. [July, 1895.]

X. THE BANGOR ANTIPHONARIUM, Part II. containing an amended text with liturgical introduction, and an appendix containing an edition of Harleian MS. 7653. Edited by the Rev. F. E. WARREN, B.D., F.S.A. 4to. [Nov. 1895.]

1896. XI. THE MISSAL OF ROBERT OF JUMIÈGES, BISHOP OF LONDON, A.D. 1044–1051, AND ARCHBISHOP OF CANTERBURY IN A.D 1051. Edited from a MS. in the Public Library at Rouen, by the Rev. H. A. WILSON, M.A. 8vo. [July, 1896.]

XII. MISSALE AD USUM ECCLESIÆ WESTMONASTERIENSIS, fasc. iii. Containing an appendix giving certain Offices from Westminster MSS. in the Bodleian Library and the British Museum, together with full indices, notes, and a liturgical introduction. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A. 8vo. [Nov. 1897.]

1897. XIII. THE IRISH LIBER HYMNORUM. Edited from MSS. in the Libraries of Trinity College, and the Franciscan Convent at Dublin by the Rev. JOHN H. BERNARD, D.D., and ROBERT ATKINSON, LL.D. Vol. I., Text and Glossary.

XIV. Vol. II., Notes and Translations of the Irish Prefaces and Hymns. 8vo. [July, 1898.]

1898. XV. THE ROSSLYN MISSAL. An Irish manuscript in the Advocates' Library, Edinburgh. Edited by the Rev. H. J. LAWLOR, D.D. 8vo. [April, 1899.]

XVI. THE CORONATION BOOK OF CHARLES V. OF FRANCE. With reproductions in collotype of all the miniatures which illustrate the ceremony, and facsimiles of seven of them in gold and colours. Edited by the Rev. E. S. DEWICK, M.A., F.S.A. 4to. [Dec. 1899.]

1899. XVII. MISSALE ROMANUM, Milan, 1474. (The first printed edition of the Roman Missal.) Edited by the Rev. ROBERT LIPPE, LL.D. Vol. I. Text. 8vo. [Oct. 1899.]

XVIII. THE PROCESSIONAL OF THE NUNS OF ST. MARY AT CHESTER. With English rubrics. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A. 8vo. [Oct. 1899.]

1900. XIX. THREE CORONATION ORDERS: (1.) The Coronation Order of William III. and Mary II. (2.) An Anglo-French version of the English Coronation Order. (3.) Consecration of the Anglo-Saxon King. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A. 8vo. [Feb. 1901.]

XX. CLEMENT MAYDESTONE'S DIRECTORIUM SACERDOTUM. Edited by (the late) Rev. Canon COOKE, M.A., and the Rev. CHRISTOPHER WORDSWORTH, M.A. Vol. I. 8vo. [Feb. 1901.]

1901. XXI. FACSIMILES OF HORÆ B.M.V., reproduced in collotype from English MSS. of the 11th Century. Edited by the Rev. E. S. DEWICK, M.A., F.S.A. 4to. [Jan. 1902.]

XXII. CLEMENT MAYDESTONE'S DIRECTORIUM SACERDOTUM. Edited by (the late) Rev. Canon COOKE, M.A., and the Rev. CHRISTOPHER WORDSWORTH, M.A. Vol. II. 8vo. [March, 1902.]

1902. XXIII. CUSTOMARY OF THE BENEDICTINE MONASTERIES OF ST. AUGUSTINE, CANTERBURY, AND ST. PETER, WESTMINSTER. Edited by Sir EDWARD MAUNDE THOMPSON, K.C.B., LL.D., D.C.L., V.P.S.A. Vol. I. Containing text of Cottonian MS. Faustina C. xii. 8vo. [October, 1902.]

The following Works are in preparation:

THE BENEDICTIONAL OF ROBERT OF JUMIÈGES. Edited by the Rev. H. A. WILSON, M.A. [In the Press.]

A MISCELLANEOUS VOLUME OF TRACTS ON THE MASS. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A. Containing :—

Ordinarium Missæ Sarum. From an early 14th Century Missal formerly in the possession of the late Mr. WILLIAM MORRIS. F.S.A.

Langforde's *Meditatyons for Goostly Exercyse in the tyme of the Masse.* (Bodleian MS., Wood 17.)

Alphabetum seu Instructio Sacerdotum. (Bodleian, Douce 14.) Collated with four other editions.

Dominican Directions for High Mass. From a 13th Century MS. (Brit. Mus. Add. 23,935.) With an Appendix on Low Mass from a Dominican Missal printed at Lubeck in 1502.

Ordo Missæ of John Burchard, Rome 1502, collated with a shorter recension from a Roman Missal of 1501.

And other pieces. [In the Press.]

CUSTOMARY OF THE BENEDICTINE MONASTERIES OF ST. AUGUSTINE, CANTERBURY, AND ST. PETER, WESTMINSTER. Edited by Sir EDWARD MAUNDE THOMPSON, K.C.B., LL.D., D.C.L., V.P.S.A. Vol. II. Containing text of the Cottonian MS. Otho C. xi. and Gonville and Caius College MS. 211. 8vo. [In the Press.]

THE HEREFORD BREVIARY. Edited by the Rev. W. HOWARD FRERE, M.A., and LANGTON E. G. BROWN, sub-Librarian of the Hereford Chapter Library. 8vo. [In the Press.]

THE LITURGY OF ST. JAMES. Edited by the Rev. F. E. BRIGHTMAN, M.A.

MISSALE ROMANUM, Milan, 1474. Edited by the Rev. ROBERT LIPPE, LL.D. Vol. II. Supplement and Indices.

FACSIMILES OF EARLY MSS. OF THE CREEDS, including an early copy of *Quicunque vult*, from an Irish MS. in the Ambrosian Library at Milan (O. 212, sup.). Edited by the Rev. A. E. BURN, M.A. **4to.**

THE CLERK'S COMPANION TO THE FIRST PRAYER BOOK OF EDWARD VI. From the unique copy in the British Museum. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A.

THE PONTIFICAL IN THE LIBRARY OF MAGDALEN COLLEGE, OXFORD (MS. 226), an English manuscript of the twelfth century. Edited by the Rev. H. A. WILSON, M.A.

THE LEOFRIC COLLECTARE, an English manuscript of the eleventh century (Harl. MS. 2961.) Edited by the Rev. E. S. DEWICK, M.A., F.S.A.

THE SECOND RECENSION OF QUIGNON'S BREVIARY. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A.

CRANMER'S EARLY PROJECTS FOR REFORM OF THE DIVINE SERVICE. A complete Edition of British Museum MS. Royal 7 B. iv. Edited by Dr. J. WICKHAM LEGG, F.S.A.

THE MARTYROLOGY OF ŒNGUS THE CULDEE. Edited with a collation of the MSS., by WHITLEY STOKES, D.C.L., Foreign Associate of the Institute of France.

PONTIFICALE LANALETENSE. An English MS. of the 10th Century, now in the Public Library at Rouen. Edited by LEOPOLD G. WICKHAM LEGG, B.A.

THE COLBERTINE BREVIARY. Edited by F. C. EELES.

THE BRIGITTINE BREVIARY OF THE NUNS OF SION, with English rubrics. From a MS. at Magdalene College, Cambridge.

THE MONASTIC BREVIARY OF THE CHURCH OF DURHAM. (Harl. MS. 4664.)

October, 1902.

*** Persons wishing to join the Society are requested to communicate with the Hon. Secretary, the Rev. H. A. Wilson, Magdalen College, Oxford; or with the Hon. Treasurer, the Rev. E. S. Dewick, 26, Oxford Square, Hyde Park, London, W.

The books are issued to members in return for an annual subscription of one guinea, payable at the beginning of each year.

Harrison & Sons, Printers in Ordinary to His Majesty, St. Martin's Lane, W.C.


UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 02760 0694